Ex Munificentia Ferdinandi III.

M.E.D.

Die [illegible] Mensis Augusti 17[illegible].

HISTORIA
ALMÆ ET ARCHI-EPISCOPALIS
UNIVERSITATIS
SALISBURGENSIS

Sub Cura

PP. BENEDICTINORUM.

*Prodit nunc primum opera & studio R.P. **. Presbyteri & Monachi Benedictini e Congregatione S. Blasij in Sylva Nigra.*



BONNDORFFIJ

Typis Joannis Baptistæ Waltpart.

DEO FAVENTE, SUPERIORE ANNUENTE, AC UNIVERSITATE COMPROBANTE.

ÆTERNÆ ET INCREATÆ
SAPIENTIÆ,
A
QUA
OMNE DONUM
AC
DATUM OPTIMUM
DESUPER VENIT,
HÆ
Laborum & Studiorum
Noſtrorum
PRIMITIÆ
Sacratæ Sunto.



PRÆFATIO.



UÆ primum pro conſcri-
benda Univerſitatis Salisburgen-
ſis Hiſtoria cum ex ipſiusmet Uni-
verſitatis Scriniis, tum confœde-
ratis cum ea Monaſteriis *P. Ro-
manus Sedelmayr*, Congregationis
San-Blaſianæ quondam Alum-
nus, collegerat adverſaria, poſt
1. ejus obitum a Majoribus meis ea ratione mihi ſunt
reddita, ut illa in commodum utilitatemque litera-
Instituti ratio. torum, atque ipſarum Scholarum Salisburgenſium
ornamentum ordine diſpoſita publicam in lucem
emitterem, ne tantorum Virorum, qui rempubli-
cam hanc Academicam beneficiis ampliſſimis, ſin-
gularique eruditionis fama ad hæc uſque tempora
auxerunt, præclara geſta ac ingenii monumenta ob-
livione premerentur diutius. At ubi chartas mihi
traditas penitus inſpexiſſem, eas ad ſpartam hanc
rite ſubeundam nequaquam ſufficere poſſe facile ad-
vertebam. Quapropter ex diverſis provinciis & lo-
cis cætera omnia ad hoc inſtitutum pertractandum
neceſſaria tandem poſt aliquot annorum curricula
comparavi; cumque ſat amplam collectaneorum
meſſem ad manus haberem, rem totam in tres Libros
diſpertire volui.

II. Primus agit *de Academiæ Salisburgensis Origine, Incremento, & Privilegijs: ubi Fundationes variæ, Ædificia, Templa, Alumnorum collegia, Congregationes seu pia Sodalitia, ac res aliæ, quæ a prima ejus institutione ad hæc usque tempora, hoc est, ab an: MDCXVII. usq; ad annum MDCCXXVIII. peractæ sunt, enarrantur.*

Secundus ob oculos ponit *formam Magistratus Academici, Reverendissimos DD. Præsides & Assistentes, Rectores Magnificos, Procancellarios, pluresque alios Viros vita & doctrina clarissimos, quorum meritis & virtute hactenus stetit Universitatis gloria, quique scholasticis suis laboribus eandem mirifice hucusque exornarunt, nec intermori unquam sinent. Horum omnium, ut debitus eis honor haberetur, vitæ initium, annus mortis, ac eximia cum in universam rem literariam, tum præcipue in Academiam nostram merita recensentur, Scriptorum etiam, quæ quisque edidit, aut MS. hodiedum asservantur, notitia adjecta.*

Tertius demum exponit *Leges & Statuta Studiosorum, Gradus Academicos, Disputationes publicas, Abbates & Præpositos e Collegio PP. Professorum religiosoque Convictu S. Bonifacij eductos, atq; illustrem Juventutem, quam, si ulla alia, Universitas Salisburgensis hactenus copiosam habuit.*

III. *Scholæ Monasteriales dilucidatur, & cur?*

Finem hic Præfationi imponerem, nisi in decursu qualiscunque hujus lucubrationis comperissem, initio statim nascentis Academiæ Benedictinis Patribus illud D. Hieronymi: (*) *Monachus non docentis sed plangentis habet officium, qui vel se, vel mundum lugeat,*

(a) *Epist. ad Riparium & Desiderium contra Vigilantium; & refertur Causa 16. Q. 1. Can. 4.*

geat, & Domini pavidus præstoletur adventum: identidem a quibusdam ad nauseam usque recoctum fuisse. Ne proin ubi ad eum locum pervenisset oratio, historiæ seriem interrumpere dura cogeret necessitas, *Monasteriales Germaniæ scholas* hic discutiendas sumpsi; quamquam non ignorem, plures præclaros Viros (*) imo ipsum *Mabillonium*, quem nominasse satis est, dudum eo munere egregie functos fuisse, tantaque sese offerre venerandæ antiquitatis monumenta, quæ non solum Præfationis modum excederent, verum etiam integros sibi libros deposcerent. Sed cum Viri isti clarissimi eo præcipue laborem animumque contulerint, ut S. Regulæ Benedictinæ auctoritatem, antiquorum Patrum exempla, communem in Romanam Ecclesiam redundantem utilitatem, Principum decreta, atque alia id generis argumenta, quæ scholarum necessitatem induxerunt, in medium adducta adversarijs opponerent, plerumque vix Patriæ nostræ meminere, licet ex eo tempore, ex quo Monachi Benedictini Germaniam intraverunt insigni prorsus fama; utilitateque in singulis pene Cœnobijs eas tenuerint scholas, quæ si non superarunt, adæquarunt tamen exterarum nationum *scholas monasteriales*. Hinc operæ quoque pretium me facturum existimabam, si e pauperi penu mea ea in medium afferrem, quæ juventutis institutionem a Germaniæ Monachis feliciter olim susceptam illustrare possent. Habebunt inde Sodales nostri, qui novo hodie fervore reliquum ab exercitijs spiritualibus, & sacris in Regula præscriptis tempus literarum

[b] *P. Matth: Weiß in Lycæo Benedictino. P. Corbin: Kham Hierarch: August: Prodromo p:* III. *regul. P. Felix Egger Lib. I. & II. Id.:: Ord: Hierarch. Bened. D. Mabill: tract: de studijs monasticis, & in præfat: ad acta Ss. Ordinis nostri.*

rarum ſtudijs certatim adeo conferunt; nova Majorum exempla, ac indefeſſam eorum in inſtruenda juventute diligentiam: alij vero, unde aut manum ori imponant, aut potius Benedictinos laudibus proſequantur, quod preſſo adeo pede anteceſſorum ſuorum veſtigijs inſiſtant.

IV. Prima ſcholarum noſtrarum fundamenta in Italia poſuit Ipſemet S. P. BENEDICTUS. Ita de eo teſtatum facit *P. Ribadeneira* e Societate Jeſu: Et exemplo nobis ſunt *Placidus* & *Maurus* pueruli, quos *a B. Benedicto receptos legimus & in omni genere excultos atque perfectos, quæ conſuetudo diu poſtea tenuit; nam D. Gregorius Anglos pueros magna diligentia conquiri jubebat, & in ſui Ordinis cœnobijs ali & educari.* (c) (*) Magiſtrum in Gallijs ſtrenue imitatus fuit *S. Maurus*, ædificatoque ſibi ac ſocijs Monaſterio prope *Glanafolium*, continuo *Bertulphum* Fundatoris filium *puerum octo circiter annorum* (d) *nutriendum & inſtituendum doctrina ſuſcepit*, (*) quem poſtea annis & virtutibus maturum toti congregationi Abbatem præfecit. In Anglia quoque & Hybernia jam Seculo VI. intra Monaſteria literas excultas diſcimus ex vita S. Galli, *Cap. I.* ubi eum in *Bencorenſi* Cœnobio *ſuperna gratia ſe præveniente tanto ſtudio divinas epotaſſe ſcripturas* dicit Walafridus Strabus, *ut de theſauro ſuo nova proferre poſſet & vetera, metrorumque ſubtilitates capaci conſequeretur ingenio.* Ex eadem Provincia in Germaniam unacum Catholica fide Benedictina Religio ſcholæque clauſtrales illatæ ſunt auctore *S. Wilibrordo, Ruperto, Bonifacio*, alijſque apoſtolicis Viris, quos *ſcientia varia imbutos* e patria ſua evocarat *Bonifacius.*

Earum origo in Germania.

(c) *Lib. II. Cap. 24. vitæ Ignatianæ.*
(d) *Fauſtus in vita apud Mabill. in Sec. I. Act. Ord. S. Bened.*

e *cius.* (*) Novos dein ſtimulos addidit epiſtola ſeu potius conſtitutio *Caroli Magni* ad *Baugulſum* Fuldæ Abbatem, & per hunc ad reliquos Epiſcopos ac Ab-
f bates Alemanniæ data circa an: DCCLXXXVIII, (**) in qua pijſſimus Jmperator ad bonarum artium ſtudium ſingulos cohortatus fuerat, *ut quicunque eos propter nomen Domini & ſanctæ converſationis nobilitatem ad videndum expetierit, ſicut de aſpectu eorum ædificatur viſus, ita quoque de ſapientia, quam in legendo ſeu cantando perceperit, inſtructus Omnipotenti Domino gratias agendo gaudens redeat.* Inde factum, ut brevi tot eſſent Gymnaſia, quot Monaſteria, nec alibi aditus ad ſcientias pateret, niſi in Epiſcopijs quibuſdam, vel Cœnobijs.

V. Non una tamen utrobique aut ſcholarum aut diſcipulorum ratio in uſu fuit: alia dicebatur *Catechetica* & *Cantorum*, alia *Clauſtralis* ſeu *interior*, alia *Canonica* ſeu *exterior*. Hic admittebantur, illic excludebantur Seculares; alibi in duas turmas diviſi erant, prout cum locorum celebritas, tum Monachorum paupertas, minorque Laicorum concurſus exigebat.

VI. *Schola catechetica.* In ſchola, quam *Catecheticam* diximus, adoleſcentes æque ac adulti noviter ad fidem converſi principia fidei, orationem dominicam, aliaque, quæ Chriſtianis ſcitu neceſſaria fuerant, addiſcebant. Id, quod *Capitularium Caroli M.* & *Ludovici Pij*, ab *Anſegiſo* Abbate & *Benedicto* Levita collectum, non tantum Cle-
g ricis ſed etiam Monachis demandavit. (*) *Symbolum, quod eſt ſignaculum fidei, & orationem Dominicam diſcere ſem-* per

[e] *Othlonus in vita L. I. cap. 25.*
[f] *Integram eam refert Baluzius in Capitul: Regum Franc. tom. I. hucq; etiam faciunt Capit. Aquisgran: an: 789. & 817. celebrata.*
[g] *Lib. V. capit. 161. apud Baluzium, in cap. Regum Franc. tom. I.*

per admoneant Sacerdotes populum Christianum. Voluimusque, ut disciplinam condignam habeant, qui hæc discere negligunt, sive in jejunio in alia castigatione. Propterea dignum est, ut filios suos donent ad scholam sive AD MONASTERIA, sive foras Presbyteris, ut fidem Catholicam recte discant, & orationem Dominicam.

VII. *& Cantorum.* Quantam utilitatem afferebat Schola *Catechetica* rudi juventuti, tam necessaria & proficua extitit *Schola Cantorum* ijs, qui Divino servitio jam addicti fuerant, aut suo tempore Deo se mancipare cogitabant. Ejus
b mentio fit *in Libro Sacramentorum*, (*) *& in Epistola I. Leidradi Archi-Episcopi ad Carolum M.* Cum enim Augustissimus Jmperator in primo Capitulari Aquisgranensi anni DCCLXXXIX. *Cap.* LXXXVIII. statuisset, ut *Monachi cantum Romanum pleniter & ordinabiliter per nocturnale & gradale officium peragerent*, ne unquam deesset locus, ubi ille addisceretur, *Cap.* LXX. præcepit, *ut schola legentium puerorum fiant; Psalmos, notas, cantus, computum, grammaticam per singula* Monasteria, *vel Episcopia discant.* Eam ob causam *Ekkehardus* Junior *Cap.* III. *Marcellum* San-Gallensem dilaudat, quod *Notkerum, Ratpertum* & *Tutilonem septem liberales duxerit ad artes, maxime autem ad Musicam.* In quo autem loco musicæ vacaverint Monachici habitus pueri, indicant nobis Consuetudines Cluniacenses ab *Udalrico* conscriptæ: *pueri sedent in Capitulo, & per aliquem præcinentem cantum addiscunt.* Tempus huic exercitio as-
i signat Domnus *Edmundus* Martene illud, (*) quod post vigilias S. P. Benedictus concessit, ut *post vigilias a Fratribus, qui psalterij vel lectionum aliquid indigent, me-*
k *ditationi inserviatur.* (*) VIII.

[b] *pag.* 36. *ex editione P. Hugonis Menardi.*
[i] *Comment. in Reg. S. Benedicti cap.* 8.
[k] *S. Regula cap.* 8.

VIII. *Scholæ interiores pro solis Monachis.* Tertium Scholarum genus bonis artibus dicabatur: in minoribus Cœnobijs *minores & privatas* tenebant noſtrates; in majoribus econtra & famoſioribus *majores*, quas ob penuriam Profeſſorum Laicorum omnibus patere, & publicas fieri promiſcue permiſerunt, ita ut *Extraneis*, *Secularibus*, *Laicis & Clericis* ad eas convolare liberum eſſet, quamquam in pleriſq; locis, ne, ſi Seculares regularibus miſcerentur, in ordinem monaſticum confuſio & perverſitas irreperet, *exteriores* pro Secularibus, *interiores* pro Monachis deſtinatæ fuerint. De utriſque clare *Ekkehardus* (*) [l] *traduntur*, inquit, *post tempus Marcello ſcholæ clauſtri cum Notkero poſtea cognomine Balbulo, & cæteris monaſtici habitus pueris; exteriores autem, id eſt Canonica Iſoni cum Salomone & ejus comparibus.* Solis itaq; Monachis *interiores* patebant ſcholæ, quorſum ex diverſis Cœnobijs mittebantur juniores Fratres: *Quamvis enim in ſingulis cœnobijs haberentur ſcholaſtici moribus & ſcientia potiores, quorum inſtitutione juniores ad optima quæque proficerent, in certis tamen Monaſterijs inſignibus, ubi & numerus Monachorum extitit copioſior, & rerum temporalium abundantia major, generalia tenebantur Monachorum Gymnaſia, ad quæ Monachos mittebant Abbates, quos altioribus voluiſſent erudiri doctrinis.* (*) [m] Sic *Rabanus* in Fuldenſi Academia diſcipulos accepit *Lupum* Ferrarienſem & *Otfridum* Wiſſenburgenſem Monachum, poſtquam & ipſe a *Ratgario* Abbate unacum *Hattone* Turonis ad *Alcuinum* miſſus fuiſſet.

IX. *Earum diſciplina.* Diſciplina porro, quæ in his ſcholis obſervabatur, erat ſtrictiſſima, cujus ſpecimen nobis ſubminiſtrat *Vetus diſciplina Monaſtica* nuper Pariſijs a *Sodali*

b *noſtro*

[l] *In Libr. de caſibus S. Galli. cap.* I.
[m] *Trithemius chron. Hirſaug. tom.* I. *in Lutberto I. Abbate.*

nostro edita; ac præprimis Cluniacenses consuetudines, quæ successu temporis a Fructuariensi cœnobio receptæ, demum Seculo XI. a *S. Wilhelmo Hirsaugiæ*, & *Gisilberto S. Blasij* Abbatibus in pleraque Germaniæ asceteria propagatæ fuere. Tanto vero pietatis studio tantaque cura ibidem nutriebantur adolescentes,
n ut merito *Bernardus* Cluniacensis pronuntiaverit, (*) *nullum Regis filium majori diligentia nutriri in palatio, quam puerum quemlibet parvulum in Cluniaco.* Idem se in Italia observasse fatetur *S. Sturmius* Fuldensis Abbas in consuetudinibus e Casino Seculo VIII. Fuldam illatis. *Vi-*
o *dimus etiam*, inquit ille, (*) *de adolescentioribus fratribus maximam curam haberi, & ad hanc curam deputatos duos, quorum probatissima vita habebatur in Monasterio: nec declinare adolescentes ab eorum aspectu, sive in die, sive in nocte, nunquam ausos fuisse.* Semper equidem dum in choro psallebant, aut refectionis hora mensis edentium fratrum intererant, dum in agrum ad labores, aut ipsa necessaria naturæ pergebant, dum cubitum concedebant, dum se lavabant &c. Magistri eos comitabantur, prout fusius explanat *Bernardus* cit. loc. p. I. cap. 27. *ideoque eorum sessio in claustro taliter ordinata fuit, ut pueri sedeant juxta murum, Magistri in cancellis claustri, ita ut eos possint jugiter intueri.*

Pueri nunquam a conspectu Magistri declinabant.

X. Quando ad chorum venerint idem *Bernardus* prosequitur *l. 2. Providet eorum Magister principalis, ut non prius ad Ecclesiam accedant, quam omnes potuerint convenisse, & septem psalmos sensim & diligenter decantasse; tunc primum solemniter venit cum scholaribus suis, & luminaribus, & ipse tres illas Fratrum orationes continuat.* Ingens ibi erat singulorum devotio & attentio. Hinc ut narrant

Attentio in templo.

[n] *Ord. Clun. p. I. cap. 27. in veteri disciplina monastica.*
[o] *Num: 7. in cit vet. discipl. monst. fol. 8.*

rant monumenta San-Gallensia, cum *Conradus*, qui *Ludovico* im̃atura morte sublato in Imperio successerat, cum *Salomone* Episcopo Constantiensi ad S. Gallum accessisset, triduum ibi exegit, mire Religiosorum disciplina & præprimis juniorum ac puerorum institutione delectatus. Is ut experimentum caperet tot præconijs jam olim ubiq; laudatæ San Gallensis disciplinæ, unacum toto comitatu suo, dum psallebant Monachi, ex inopinato chorum ingressus magnam pomorum multitudinem per pavimentum chori ante oculos puerorum projici mandavit, a quibus tamen, oculorum continentiam ut læderent, impetrare non potuit, nullo, ne quidem parvulorum minimo, oculum ad hoc insolitum spectaculum aperiente, aut pomum de terra levante.

XI. *Silentium* Par fere modestia & silentium in scholis visebatur. Nullus alteri loquebatur, nisi petita licentia a Magistris & audientibus omnibus, qui in schola erant: *p* extra eam nunquam colloqui licebat, (*) minus hora incompetente; (*) ab hac lege exemptos fuisse illos, qui *Notkero* Præceptori verba faciebant, persuasit *Ekkehardus* junior *cap.* III. *neque enim hora incompetens dicebatur, si codice in manibus quis cum Domino Notkero loquebatur. Ipse autem cum propter Regulæ tenorem sibilis eos interdum & strepitu obturbaret, ab Abbatibus ei per obedientiam, quod refutarat, injunctum est.* Signis ergo potius quam verbis invicem petebant necessaria, quorum omnium notitiam Benevolus Lector haurire poterit ex Ordine Cluniacensi *p. I. cap.* XVII. & constitutionibus Hirsaugiensibus *S. Wilhelmi Lib. I. a cap.* VI. usq;

b 2 ad

[p] *Guidonis disciplina Farfensis cap.* 16. *Lib.* 2.

[q] *Sic S. Benedictus Reg. Cap.* 48. *eas horas vocat, quibus colloqui & simul convenire Fratribus interdictum erat.*

r ad *cap.* XXV. (*) omnia etiam, quibus indigebant, in schola inveniebant. *Pueri*, inquit Guido, *habent in schola libros, rosaria cum scutellis, & ollas ad capita illorum lavanda. Quid plura? insuper etiam omnia, quæ illis sunt necessaria, ipsi per se habent ibi.* (*)
s

XII. *Deo in Ss. Missæ Sacrificio commendantur.*

Sed silere hic non audeo pietatem, quam in S. Blasij Asceterio scholaribus inter Missarum solennia impensam in antiquis dipticis, quorum non pauca ad usque initium Seculi XVI. supersunt, deprehendi. Enimvero, postquam ad *Memento pro vivis* pervenerat Sacerdos, primò loco Abbatem, secundo Priorem, tertio *Præceptorem*, seu *Informatorem*, quarto aliquos e Confratribus, quinto denique Diaconos, Subdiaconos, & *omnes Scholares Congregationis S. Blasij* Domino Deo commendabat. Post hos sequebantur Parentes, Cognati, Amici, & alij Laici, quorum memoriam facere volebat. Eadem in *Memento pro Defunctis* observata fuerunt: unde etiam mos obtinuit, ut si quem fatis cedere contingebat, ejus nomen Necrologio Monastico, in quo alias soli Monachi San-Blasiani annotabantur, inscriberetur. Qua de re uberior quondam sermo in ejusdem loci annalibus redibit, cum & hodie non modicum veteris hujus disciplinæ, quam Monachici habitus pueris seu oblatis impendebant nostrates, exemplum in eodem nostro Cœnobio superfit, ubi decem vel undecim annorum infantes, sine ulla tamen oblatione [qualis a B. Benedicto *Reg. cap.* LIX. præscribitur] aut votorum nuncupatione, ad interiores scholas admitti, ac *Juvenes Togatos* appellari conspicimus. Utuntur ij habitu monastico, si scapulare, seu caputium excipias, in dormitorio Novitio-

[r] *In veteri disciplina monastica. f.* 169. & 386.
[s] *In discipl. Farfensi Lib II. cap.* 16.

vitiorum & Fratrum juniorum cellas suas habent, ibique sub cura Fratris Diaconi, quem ob reverentiam *Seniorem* vocant, somnum capiunt; in Refectorio cum reliquis fratribus reficiunt, & si quid extra scholam delinquunt, ibi disciplinæ regulari subjacent; diebus Dominicis & Festivis minoribus horis in choro intersunt, reliquis vero diebus literis operam navant. Nulli præterea sine licentia pedem claustro efferre, aut literas, seu aliud quidpiam a parentibus accipere permissum est. Emensis hoc modo inferioribus scholis libere ad seculum redeunt, aut si Divino impulsu præmissaque matura deliberatione habitum Benedictinum suscipere exoptant, ante alios e Seculo venientes ad Novitiatum admittuntur.

XIII. *Scholæ exteriores.* Jam ut ad scholas *Canonicas* seu *exteriores* diggrediamur, oportet. Licet enim cœnobiales scholæ pro Monachis & oblatis solummodo edocendis primitus ordinatæ fuerint, quia tamen Episcopi & aliarum Ecclesiarum Prælati suas exercere neglexerunt, aut tot Juvenes capere non poterant, eos parentes ad Monasteria mittebant, ut unacum scientijs pietatem quoque imbiberent. Imo, ut scholas initio privatas necessitate sic cogente externis atque Laicis aperirent (t) Nostrates, coactos eos fuisse tradit *Egasius* Bulæus. (*) Magnum exinde emolumentum Monasteria cepisse visa sunt: Quædam optimorum Juvenum selectum habebant, qui Magistrorum suorum scientia, pietate, ac virtutibus allecti asceticam vitam profitebantur. Atque ita Ecclesia firmissimis columnis fulciebatur; respublica econtra secularis ex ijs, quibus Monachale institutum minus arridebat, Viros prudentes & literatos ad Provinciarum gubernacula sibi deligere poterat.

(t) *Hist. Univ. Paris. tom. I. de scholis Cœnobialibus & Episcopalibus.*

terat. Alia vero tum Regum ac Principum gratia, tum opibus cumulabantur, si *Joanni* Marianæ apud
u *P. Buzelinum* credimus (*) *antiqua*, ait ille, *Benedictinorum præsertim Monasteria scholæ publicæ erant ad juventutem erudiendam a sanctissimis Viris constitutæ, unde haud levis publica utilitas exstitit: Ipsi magnis divitijs atque ingentibus creverunt, omnibus certatim pios eorum conatus juvantibus re, opera, consilio.* Simile quid *Guilielmus* Malmesbu-
x riensis de *B. Lanfranco* refert. (*) *Factus is Monachus, homo, qui nesciret agresti opere victum quærere, publicas scholas de Dialectica professus est, ut egestatem Monasterij scholarum liberalitate temperaret.*

XIV. *Discipulorum numerus.* Ingens porro discipulorum numerus, qui identidem scholas nostras frequentabant, ex eo satis eruitur, quod *Raipertum* S.Galli scholasticum ægrotantem una die quadraginta Canonici, ejus quondam Disci-
y puli, inviserint, & *P. Joannes Egon* (*) scribat, *Heitonem* Abbatem & Episcopum Basileensem scholam Augiensem ad altissimum artium scientiarumq; omnium culmen promovisse, ita ut undique magnorum Procerum, Ducum videlicet & Comitum Filij in Augiam convolarint, literis & bonis moribus initiandi, ut deinde ad Episcopatus & Ducatus gubernandos idonei fierent. His adde *Joannem Mezlerum* de Viris illustribus S. Galli *Lib. II. cap.* XIII. *Brouuerum*, *Trithemium*, & alios, e quibus plura testimonia afferri possent.

XV. Neque id mirum cuiquam videbitur, qui istarum scholarum Magistros novit. Viri erant, ut *Trithemius* ait,

[u] *Annal. Benedictin. pag. 2.*
[x] *Lib. I. de gestis Pontificum Anglorum.*
[y] *Lib. de Viris illustr. Augiæ p. 2. cap. 5. apud P. Bernard. Pezium Thesaur. anecd. noviss. tom. I. p. 3.*

Magiſtri quales. ait, *non ſolum in ſcripturis Divinis, ſed in omni quoque literatura ſecularium ſtudiorum exercitati.* Ea de cauſa *Windekindus* Corbeiæ Monachus *in Lib. de ſtudijs veterum Monachorum Meginradum* Hirſaugienſem ſcholaſticum hiſce encomijs exornat: *Monachorum ille doctiſſimus Præceptor veluti Hieronymus alter Divinarum interpres ſcripturarum profundiſſimus ſua nos eruditione vertit in ſtuporem: ut vere cœleſtis ſapientiæ dici queat armarium, quippe quem nihil lateat doctrinarum.* Quod ſi quem non habebant idoneum, quem alijs præficerent, aliunde ex alijs Monaſterijs evocabant, teſte eodem *Trithemio. Sic namque doctiſſimus ille Gemblacenſis Monachus* Sigebertus *multo tempore in Cœnobio S. Vincentij Metenſis Monachorum præceptor, quanquam de alio monaſterio, fuit: ita* Strabus *Monachus Fuldenſis in Hirsfeldia*, Notkerus *S. Galli in Stabulenſi*, Albinus *Monachus Anglus in Fulda*, Milo *S. Amandi in Corbeia, atque alij complures in alijs Monaſterijs docendi ad tempus tenuerunt officium.*

XVI. *Diſciplina.* Diſciplinam *exteriorum* ſcholarum quod attinet, non multum ab *interioribus* ſcholis deviaſſe videtur ex *Ekkehardo* juniore in *Cap.* VI. de Monaſterio S. Galli. *Erant* ſiquidem *diſciplinæ loci, ut ſemper, & tunc ſeveræ, non modo in clauſtro, ſed & in ſcholis externis.* Præcipue tamen in id incumbebant noſtrates, ut, quos literis in Viros efformabant, pietate in Deum, vitæ innocentia, ac ſecularium rerum contemptu præ alijs diſtinguerent. *Proinde etiam Reges, Principes, cæterique nobiles ad diſcendum Dei timorem cum literis, liberos ſuos Monachis intra clauſtra tradiderunt inſtituendos.* (*) Bilem itaque ſuam produnt illi, qui, cum *monaſteriales ſcholas* ab omni pene Europa frequentatas penitus negare non poſſent, eas altioribus ſcientijs undequaque de-

ſti-

[z] *Longius in Chron. Citizenſi.*

ſtitutas fuiſſe aſſeverare auſi ſunt. Deum bonum! an *Bedam* Venerabilem, *Alcuinum*, *Rabanum* Maurum, *Notkerum*, *Hermannum* contractum, *Clementem* Scotum, *Lanfrancum*, *Anſelmum*, *Lupum* Ferrarienſem, alioſque Ordinis Benedictini Scholaſticos ignorarunt? etiamſi libri ab illis conſcripti perjiſſent hodie, abunde nihilominus diſcipuli omni ſcientiarum genere exculti, eorum doctrinam proderent. Verum jam nullus diſputationi locus: plenæ ſunt Bibliothecæ noſtratum monumentis & encomijs, quæ nemo ignorat, niſi qui
a in literis hoſpes. (*) Reſtat nunc, ut e multis pauca adducam aſceteria, literarum cultura per Germaniam olim præ alijs magis conſpicua.

XVII. *Schola Salisburgenſis.* Scholas *Salisburgi* unacum fide Catholica plantaſſe *S. Rupertum* docet *P. Mezgerus* in Hiſtoria Salisburgenſi; Magiſtros autem, quibus illa impoſterum propagata fuerit, non enarrat. Refert tamen *Hedio* (*)
b *doctos Viros e Græcia in Galliam veniſſe, & a Pipino ac Carolo M. in Monaſteria miſſos eſſe, ut Græcam linguam docerent Monachos: atque ita Ægidium in Gallijs, Apollonium Ratisbonæ in Cænobio Hemerani, Vergilium apud Salzburgenſes inclaruiſſe.* Seculo dein decimo *Chunibertus* S. Galli Monachus, generis Nobilitate, doctrina, & communi Sanctitatis opinione illuſtris, Henrici Bavariæ Ducis interventu ſcholas Salisburgi reſtituit. Ex his ad Abbatiam Altahæ promotus, poſtquam pari ſcientiæ & pietatis laude eidem loco præfuiſſet, demum cellulæ deſiderio ad S. Gallum redjit, defunctus an: DCCCCLXXXIX.

[a] *Scientias, quas noſtrates publice non ſine maxima laude profeſſi ſunt, fuſius enarrat Trithemius de illuſt. Viris Ord. S. Benedicti, quod proin hic brevitatis cauſa notaſſe ſufficiat.*

[b] *Lib. VI. cap. 9. hiſt. Eccleſ.*

[c] LXXXIX. (*) Ab eo tempore ſenſim ruinas hæc ſchola perpeſſa eſt. Seculo poſtea quinto decimo *Erhardus* de Lainz Artium Liberalium Magiſter advocatus, ut in vicem Monachorum diſcipulos ſcientijs imbueret, ſed brevi, dictis prius monaſticis votis, in Abbatem electus, inter ſuos neminem habuit, qui pari fructu & encomio altiora ſtudia proſequeretur; unde etiam tanta literarum clades, quam *Lib. I. Cap. I.* enarrabimus: per totam Salisburgenſium Provinciam ſecuta fuit.

XVIII. *Hirſaugienſis.* *Hirſaugienſe* Cœnobium quondam Doctorum ac illuſtrium Virorum Seminarium literarum initia *Lutberto* Abbati debet. Evocatus is e Fuldenſi Monaſterio circa annum DCCCXXXVIII, ut principio ſtatim Hirſaugiæ Scientias excoleret, *Hidulphum* Monachum e *Rabani* diſciplina Fulda adductum ſcholis præfecit anno inſequente. Eo in munere Succeſſorem nactus eſt *Ruthardum Strabi* olim Auditorem, & hic anno DCCCLXV, *Richbodonem* Monachum non minus doctum quam probum. Quartus poſtea Hirſaugienſium ſcholaſticus fuit *Harderadus*, cumque an: DCCCXC reſignatam a *Regenbodone* Abbatiam eidem Fratres detuliſſent, ſcholas *Luthelmo* ſeu *Linthelmo* commiſit, qui etiam uno & triginta annis multos præclaros Viros effecit, *Sigiſmundum* nimirum poſt Epiſcopum Halberſtadienſem, *Gunzigonem*, *Herdericum* Poëtam tunc temporis celebrem, *Adalberonem* ſcholaſticum S. Albani, ac tandem Abbatem S. Ferrucij conſtitutum anno DCCCCXXI, quo æternitatem adijt *Luthelmus* Magiſter cæterorum. Poſt hunc *Herbordus*, *Diethardus*, *Meginradus*, *Reginhardus*, *Theobaldus* alijq:

[c] *P. Mezlerus de Viris illuſtr. S. Galli Lib. I. cap.* 30. *apud P. Bern. Pezium theſ. anecd. nov. Tom. I. p.* 3.

juventutis institutionem in se susceperunt, quorum vigilantia & eruditione plures egregij Monachi educati fuerunt, *qui de diversis Cœnobijs mittebantur Hirsaugiam: alij ut sanctis instituerentur moribus, alij vero ut Divinarum humanarumque scientiam ab optimis Magistris, haurirent scripturarum.* (*)
d

XIX. San-Gallensis. Majorem adhuc famam sibi vendicat *San-Gallense* Monasterium, ubi semper quidem, præcipue autem sub *Grimaldo* Abbate (*) magnorum terræ Principum & Nobilium Filios in omni Facultate accurate institutos scribit P. Mauritius Müller Monachus S. Galli. (*) Hos inter numerabatur *Notkerus* Balbulus e Carolorum Stemmate Cæsareo prognatus sub *Isone* & *Marcello* Magistris, quorum censuræ *Sequentias* & *Hymnos* suos sese comisisse fatetur in epistola ad Luitvvardum Vercellensem Episcopum. Celebriores itaque Seculo IX. San-Gallensium scholastici exstiterunt *Marcellus*, qui *Notkerum* & *Tutilonem* discipulos habuit, *Iso* & *Ratpertus*. Hic ab ipsa pene adolescentia ad summam usque senectam juventutis regimini destinatus tantum vidit discipulorum concursum, ut *cum circa claustrum S. Galli languidus iret, nec tamen docere desineret, quadraginta discipulis quondam suis Canonicis, tunc quidem Presbyteris loco propter festum advenientibus animam singulis in manus commiserit: quorum quisque ei triginta Missas obituro promiserat.* (*) *Isonem* vero dum gravida ferret Mater, somniavit se ericium sub utero gestare, cui pueri aculeos evellerent. Rem
e f g

eventu

[d] *Tritbemius Chron. Hirs. Tom. I. in vita Diethmari Abbatis.*

[e] *Ex Archicapellano Ludovici Regis Abbas designatur anno* 842.

[f] *In MSS. collectaneis Virorum illustr. S. Galli, quorum partem non exiguam ab amico descriptam nuper vidimus: opus sane typis dignissimum, quodque res D. Galli non parum illustrare posset.*

[g] *Ekkehardus junior cap.* 111.

eventus probavit; natus *Iso* & Monachum in S.Gallo professus tam felix fuit, ut ingenium adeo hebes esset nullum, quod sicut vaticinatus & somnium interpretatus fuerat S. Eusebius, pro ingenij sui acumine humanis, divinisq; disciplinis ipse non exacuerit, donec a Rege Burgundionum Rudolpho expetitus, ex scholis Monasterij Grandi-Vallis ad æternam laureolam
b capiendam evocaretur an: DCCCLXXVIII. (*) Successores tantorum Virorum Seculo decimo reperimus *Hartmondum, Adelhardum, Helpericum, qui ad instantiam juvenum Monachorum scripsit imprimis de computo Ec-*
i *clesiastico Librum unum*, (*) *Geraldum, Ekkehardum III.* Græcæ & Latinæ linguæ peritissimum, *Wichardum, Faillanum, Notkeros* duos, unum Physicum ab arte Medica nuncupatum, alterum ex Præposito S. Galli Episcopum Leodiensem. Quin etiam *Gerardus* in vita
k S.Udalrici Episcopi Augustani (*) *Waningum* ejus Præceptorem egisse dicit. *Accepto enim consilio commendaverunt eum ad S. Galli Monasterium, quia ibi nobilium Dei servorum multitudo & Religiositas discendi docendiq; studium tunc temporis habebatur. Commendatus vero cuidam religioso viro grammaticæ artis edocto,* Waning *nuncupato, a quo bene procuratus quotidianam religionis atq; lectionis doctrinam accepit, & intimus sui cordis inseruit.* &c. Denique ut quosdam Seculi undecimi Magistros commemorem, illud scholasticis suis laboribus illustrarunt *Hilpericus* Hermanni contracti Magister, ac *Notkerus* a latioribus labijs *Labeo* dictus, Vir sublimis ingenij, & in literis omnibus apprime exercitatus, qui primus in gratiam fratrum suorum psalterium Davidicum in linguam Teutonicam transtulit. Obijt circa an: MXXII.

[b] *Ita tabula* X. *in peristilijs S.Gallensibus, quanquam Hepidanus eum jam an*: DCCCLXXI. *pridie Idus Maij obijsse dicat.*
[i] *Trithemius Chron. Hirs. Tom. I.*
[k] *Cap.* 5. *apud Bollandum ex editione Velseriana.*

XX. *Augienſis.* San-Gallenſi magna affinitate conjunctum, pariq; in educandam juventutem ſtudio celebrata fuit *Augienſis* ſchola, in qua literarum cultus vigere cœpit ſub *Hetone*, *Erlebaldo*, *Walafrido*, & *Alavvico* Seculi noni & decimi Abbatibus. Horum opera, ac præprimis optimorum Magiſtrorum diligentia, Monachorumque omnium virtute & ſanctitate mirum in modum ſchola iſthæc dilatata fuit, ita quidem, ut inter principaliores Germaniæ numerata fuerit. Id nos docet *Cap. III.* vitæ S. Wolfgangi Epiſcopi Ratisbonenſis, cujus verba hæc ſunt. (*) *Idem pretioſa indolis puer tanta aviditate ac memoria literas cœpit capere, quo paucis annorum decurſibus tranſactis non ſolum hiſtorici ſenſus ſuperficiem penetrarit, verum etiam myſteriorum medullas inveſtigarit. Quam ob rem in privatis jam minime contentus eſt diſcere locis, ſed ubi tunc in Germaniæ partibus maxime pollebat ſcholare ſtudium, patre ducente bithalaſſum adijt, id eſt, Augienſe Cœnobium.* Plura qui petit, P. Joannem Egonem Lib. de Viris illuſtr. Augiæ p. 2. *cap. 31.* conſulat. [l]

XXI. *Fuldenſis.* Superat hæc omnia *Fuldenſis* ſcholæ celebritas; neque multum in evolvendis ejuſdem Profeſſoribus imoror, ſed *Haimone* poſtea Epiſcopo Halberſtadienſi, *Bernvvaldo*, *Wernhero*, *Poppone*, *Radulfo*, *Meginfrido*, *Candido*, *Richardo*, & alijs quam pluribus prætermiſſis, ſingulorum vices ſubeat *Rabanus* Maurus ex Abbate Fuldenſi Archi-Epiſcopus Moguntinus. *Ad hunc*, ut Trithemius loquitur, (*) *quaſi ſigno dato undique confluebat præter Monachos nobilitas ei tradendo generis ſui & familiæ ſpem politioris literaturæ artibus informandam. Emicuit ſiquidem*, atteſtante Baronio ad annum DCCCLXIX, *ut fulgentiſſimum ſydus, cujus quæ extant ſcripta, tanquam lucis ra-* [m]

[l] *Apud Mabillonium in actis Ss. Ord. S. Benedicti Seculo V.*
[m] *In Catal. Illuſtr. Germ. ſcript. pag. 162.*

radij excellentiam demonstrant auctoris, ut & iisdem illustrata Germania glorietur, suum haud adeo imparem magnis habuisse Doctorem. Inde Fulda educti *Lutbertus* primus Hirsaugiæ Abbas, *Hildulfus* & *Ruthardus* ibidem primi scholastici, *Walafridus* Augiensis, *Lupus* Ferrariensis, & *Bernardus* Hirsfeldensis Abbates, *Freculfus* Lexoviensis Episcopus, *Altfridus* Corbeiæ novæ in Saxonia scholasticus ac demum Episcopus Hildesheymensis, *Heiricus* Antisiodorensis Monachus, quem dein Præceptorem venerati sunt *Remigius* & *Huebaldus* Monachi, non multo post a *Fulcone* Remensi Archi-Episcopo ad regimen Remensium scholarum evocati. Primus porro *Fuldensis Academia* autor fuit ipse *S. Bonifacius*, qui non tantum hic loci, verum etiam in Fritislariensi Asceterio, & Trajecti ad Rhenum ludum literarium aperuit, prout tradit Mabillonius *Præf. I. ad Sec. III. in act. Ss. Ord. S. Bened. §.* IV. *Num.* XXXVIII.

XXII. *S. Mathiæ Treviris.* Æquali pene fervore juventutis profectui invigilavit Monasterium *S. Mathiæ* prope muros Trevirorum sub *Diethelmo*, Viro non *solum scientia scripturarum magnifico, sed etiam mirabili quadam gratia docendi pradito, quâ suis auditoribus multa parvo tempore tradere potuit, quæ cæteri forte pluribus annis vix impertiri alicui potuissent.* n (*) Scripsit *de compositione Astrolabij* librum unum; *de arte metrorum* libros duos, *de studio & amore divinarum scripturarum* librum unum. Ast jam ante eum Seculo nono *Florbertus* scholam *S. Mathiæ* rexit, cui anno DCCCLXXXV. substitutus est *Eberhardus*, & huic anno DCCCCIX. *Richardus*. Post *Diethelmum* vero discipulos erudierunt *Adalbertus*, qui de monachorum juvenum institutione ad septem liberales artes præclarum opus condidit, *Theodoricus, Theodorus, Golsche-*

[n] *Tritbemius in Chron. Hirsaug. tom. I.*

ſcherus eidem muneri admotus an: MXII. *Lampertus* de Legia, *Joannes* & *Arnoldus* auctor libri *de computo Eccleſiaſtico*, quem Mariano Scoto Monacho nuncupavit.

XXIII. *S. Maximini.* Alterum prætera Cœnobium *D. Maximino* ſacrum in eadem Urbe extat, unde olim maximi quique Viri prodierunt per *Adalbertum*, poſtea primum Archiepiſcopum Magdeburgenſem, *Marinum*, & *Rathbodonem* Viros doctos æque ac probos. Præclarum huic rei teſtimonium ſtatuit *Brovverus*, (*) cujus verba huc apponere operæ pretium duxi. „Per id tempus Monaſteria S. Maximini, Prumienſe, & Mediolanenſe, reſtituto quaſi & cumulato literarum honore „oculos ſuſtulere, & ad religionis ac diſciplinæ normam pronuper, ita nunc ad inſignem eruditionis „famam ſimul inclareſcere cœperunt. Accurabant „ſcilicet Præfecti Monaſteriorum liberalitate, fovendis, honorandisq; literarum divinarum juxta atque „humanarum ſtudijs impartita, ut ne Seculum hoc „ſterile atque effætum haberent. Profeſſores alebantur Viri ex eadem S. Benedicti diſciplina, quorum „auditoria lectiſſima ejuſdem Ordinis juventute ſtipata, & excellentiſſimis erant ingenijs referta. Quæ „ubi ad maturam virtutis doctrinæque frugem effloruiſſent, inde in alia Monaſteria diffuſi, veluti in colonias quaſdam propagabantur, eximio pietatis „ubique fructu atque religionis incremento.“

XXIV. *S. Willibrordi.* Sex milliaribus ab his duobus diſtat Cœnobium *S. Willibrordi* prope Epternacum, ubi Seculo X. ſcholarum rationem non ſine maxima laude proſecuti ſunt *Marcquardus*, ad quem *Diethelmus* S. Mathiæ prope muros Trevirenſes ſcholaſticus librum ſuum *de ſtudio* &

[o] *Annal. Trev. Lib. IX. Num.* CXIII.

& amore Divinarum scripturarum direxit, *Heribertus*, *Rudgerus*, & *Adelharius*, omnes Monachi multa eruditione, & diuturna juvenum institutione clari.

XXV. *S. Albani.* Scholas Monasterij *S. Albani* Moguntiæ, quod Seculo decimo quinto ab Ordine nostro ad Canonicos translatum fuit, diutius illustrasse *Probum* & *Altvvicum* post Trithemium probat Mabillonius; (*) cui quod adderem, reliquum non inveni. [p]

XXVI. *S. Michaëlis Lunæburgi.* In Monasterio quoque *S. Michaëlis* Lunæburgi ab Hermanno Saxoniæ Duce circa annum DCCCCLXXII. constructo primus literas profiteri cœpit *Erhardus*, *homo magnæ sapientiæ & incomparabilis doctrinæ, sub cujus magisterio plures laudabiliter instituti ad plenitudinem omnium scientiarum doctissimi profecerunt.* (*) Ei anno MIV. e vivis erepto in præfectura scholæ successit *Ludgerus*, & ipse Monachus in omni scripturarum genere doctissimus. [q]

XXVII. *S. Burkardi.* Adjungendum est istis Cœnobium *S. Burckardi* in Suburbanis Herbipolensis Civitatis olim positum. Huc postquam Hugo Herbipolensium Episcopus S. Burckardi corpus transtulisset, ejusdem interventu primi scholastici e Hirsaugia venerunt, *Arnoldus* & *Bernvvardus*, qui etiam demortuum Hugonem in Pontificatu excepit circa annum DCCCLXXIX.

XXVIII. *Corbeia Saxonica.* Neque prætermittere hic possum *Corbeiam Saxonicam*, seu novam dictam, ut eam a Corbeia Galliæ, unde sub Adelardo Abbate anno DCCCXXII ortum sumpserat, eo facilius discernas. Qua vero ratione

S. An-

[p] *In Actis Ss. Ord. S. Bened. Sec. IV. p. 2. in vita S. Probi.*
[q] *Joan. Trithemius Chron. Hirsaug. tom. I.*

S. Anscharius, postmodum Episcopus Hammaburgensis, primus in Corbeia nova studiorum officinam erexerit, id eruere licet ex *S. Remberto* Ejus discipulo &
r Successore, (*) *cæptum est itaque*, ait ille, *olim in his partibus, videlicet Saxoniæ, Monasterium fieri, quod auctoritate & magisterio sanctitatis vestræ & primo fundatum, & succedente tempore, Deo donante, feliciter consumatum est, nomenque mutuatum a loco habitationis vestræ accepit, ut vocaretur nova Corbeia. Ad hunc ergo locum Dei famulus (S. Anscharius) unacum alijs fratribus vestris primo directus, ut inibi officio fungeretur docendi. In qua re ipse per omnia tam probabilis & acceptus inventus est, ut omnium electione publice quoque in Ecclesia Verbum Dei populis prædicaret; sicque factum est, ut ejusdem loci ipse primus & Magister scholæ, & Doctor fieret populi.* Perseveravit eadem doctrinæ opinio apud Corbeienses Seculo x. & xi, ut colligitur ex Trithemio, qui *Windekindum* Saxoniæ Historiographum, *Adelgerum*, *Rogerium*, *Erhardum*, & *Bernardum* ob ingenij monumenta & scholasticos sudores varijs pro
s more extollit laudibus. (*)

XXIX. *Tegernseensis.* In *Tegernseensi* Cœnobio tam Monachorum suorum pietate & doctrina, quam rerum ab ejusdem Abbatibus gestarum amplitudine inter Bavariæ Monasteria celeberrimo, adhuc laicum literas efformandi rationem sese percepisse meminit Anonymus Ratisbonensis in Libro *de ipsius tentationibus, varia fortuna*
t *& scriptis*; (*) Eum *Othlonum* esse Ratisbonensem S. Emmerammi Monachum nuper probavit Vir doctissi-

[r] *In vita apud Mabillonium in actis Ss. Ord. S. Bened. Sec.* IV. *p.* 2.
[s] *Chron. Hirsaug. Tom. I.*
[t] *Extat apud Mabillonium vet. analect. Tom. IV. qui jam ibi eundem Othlonum esse suspicatus est.*

u tissimus P. Bernardus Pezius Mellicensis (*) ac simul quædam ejus opuscula eruditis hactenus incognita in lucem emisit. Susceptus itaque inter S. Emmerami Cœnobitas *Othlonus* sub *Burckardo* Abbate, tanto scribendi desiderio tenebatur, ut *raro nisi in festivis diebus, aut in alijs horis incompetentibus ab hoc opere cessaret*, cui tamen brevi alium laborem successisse constat ex ijs, quæ sub finem *c. l. de tentationibus* &c. apposuit hisce verbis: *nam pro eo quod sæpius legere, aut scribere, aut dictare videbar, Scholasticorum cura mihi commissa est; ex quibus nimirum omnibus ita per gratiam Dei constringebar, ut sæpe corpus quieti necessaria non permitterer tradere. Cumque dictandi studium inesset, ad hoc sæpissime non habui tempus nisi in festivis diebus aut noctibus, constrictus videlicet & puerorum cura ad docendum, & illorum petitione, quibus scribere cæpi, ad*
x *scribendum.* Visione tandem tertia (*) facile se in S. Emmerammum admissum scribit, *pro eo scilicet, quod Cœnobij ejusdem Monachi profectuosum sibi fore arbitrarentur*
y *ejus scire in scribendo vel in docendo Canonicos quoslibet.* (*)

S. Emmerammi Ratisbonæ.

XXX Sic etiam *S. Alberto Altahæ* Superioris in Bavaria Monacho, qui anno MCCCXVI. e vita migravit, cum *Poppo* ejusdem loci Abbas cerneret, *quia de virtute in virtutem iret, commisit ei primo scholas puerorum, deinde fecit*
z *eum Priorem.* (*)

Altahæ Superioris.

XXXI. Plura quidem dicenda superessent de Monasterio *Schyrensi, Ottoburano, Admontensi, Hirsfeldensi, Murensi, Einsidlensi &c.* sed ne longior sim, neque mea limites excedat Præfatio, ea intacta relinquo ac pro coronide *D. Blasij* Monasterium adduco, in quo Seculo x. ante-

S. Blasij.

d quam

[u] *Dissertat. Isagog. in p. 2. Tom.* III. *Thes. anecd. nov. n.* V.
[x] *P. Bernard. Pezius Thes. anecd. noviss. Tom.* III. *p. 2. fol.* 556.
[y] *Vide etiam ea, quæ supra de Salisburgensibus scholis adduximus.*
[z] *Idem P. Bernard. Pezius L. c. Tom.* I. *p.* 3.

quam ad Abbatiam eveheretur, scholam jam viguisse adnotavit Anonymus San-Blasianus: (*) *evenit etenim, ut in brevi locus iste elevaretur in solennem statum, in tantum, quod nobiles Filios suos illi Patri & Conventui sub Patrocinium S. Blasij commendarent, qui pueri adulti, & in sacros Ordines promoti Presbyterij gradum conscendentes laudabiliter se tenuerunt in tantum, quod in brevi scholam per se tenuere in loco.* Inde prodierunt *Bernardus*, qui egregie scripsit contra Simoniacos, *Manegoldus Magister scholarium clarissimus*, anno MCXI. x. Cal. Junij e vivis ereptus, *Giraldus* Dialecticus, *Otto* Historicus, *Frovvinus*, *Theodoricus*, *Lutfridus*, *Hartmannus*, *Bertholdus*, *Wernerus*, & alij plures, quorum industria non solum consuetudines Fructuarienses, verum etiam literæ varijs Germaniæ Cœnobijs illatæ fuerunt, prout fusius in annalibus S. Blasij enarrabimus, si tamen boni Superi vires, & Majores nostri, in quorum manibus studiorum nostrorum ratio posita est, tempus ac otium concesserint.

XXXII. *Monachi ad exteras scholas vocantur.* Et quoniam inter privata Monasteriorum septa majorum nostrorum scientia se continere non potuit, ad alia subin Cœnobia, imo ad publicas & Episcopales scholas evocatos ibidem doctrinam suam in alios diffundere coactos fuisse superius exemplum exhibuerunt *Chunibertus* & *Jso* San-Gallenses Ascetæ; ille *Salisburgum*, hic ad *Grandi-Vallem* Magister expetitus. Et amplius illustrari posset ex vita *S. Meginradi* Martyris, (*) quem *Erlebaldus* Abbas Augiensis Polingam destinavit, *cellulam ad jam dictum Monasterium pertinentem, sitam juxta Lacum Turicinum, quem interfluit Lindemacus Fluvius, ut ibidem Scholæ præesset.* *Victor* quoque S. Galli

[a] *In Libro constructionis Monasterij S. Blasij MS. qui sub initium Seculi* XIV. *exaratus videtur.*

[b] *Joan. Mabillonius in actu Ss. Ord. S. Bened. Seculo* IV. *p* 2.

li Monachus, atque dum contra Præsulis sui voluntatem foras vagaretur, utroque oculo orbatus, ob miram, qua pollebat eruditionem ab Erchenbaldo Argentinensi Episcopo Cognato suo accersitus est, ut Argentinensia Gymnasia Seculo x. restauraret ac proveheret. Ingressus itaque scholas id effecit, *ut Ar-*
c *gentinenses inter florentissimas postea connumerata fuerint.* (*)
His adde *Waldonem Augiæ Majoris Magistrum* a Carolo M. *ad D. Dionysij Templum in agrum Parisiorum e Suevia docendi*
d *ergo translatum.*(*) Qua vero ratione Episcopales scholas in Bremensi & Hammaburgensi Ecclesia nostrates rexerint, audiendus est *Mabillonius* in observationibus
e ad vitam S. Willibrordi Episcopi Bremensis Primi.(*)
Neque id alienum cuiquam videbitur, cum plurimos Episcopatus a Benedictinæ Familiæ alumnis aut inceptos, aut rerum gestarum mole adauctos legamus: tantum enim in bonas Artes studium amorq; eorum animis insidebat, ut nequaquam, Episcopalibus licet curis immersi, literarum cultum dimiserint. Sane *Notkerus* e Monasterio S. Galli ad Episcopatum Leodiensem promotus docere nunquam destitit, sed in itinere pueros secum ducebat, librorum copiam ad
f eorum usus circumferre solitus; (*) & *B. Nothingus* ex eodem loco in sedem Constantiensem sublimatus scientias ac virtutes, quas in S. Gallo didicit, in se semper augere & in alios docendo derivare sedulo adlaboravit. Testis est *B. Conradus*, qui puerulus adhuc ei in disciplinam traditus, tantum *Nothingo* Doctore profecit, ut dignus habitus sit, qui quantumvis juvenis seni suo Magistro in Episcopali munere succederet anno DCCCCXXXIV. d 2 Hi

[c] *P. Joan. Mezlerus de Viris illustr. S. Galli Lib.* I. *cap.* XXXII.
[d] *Joannes Aventinus Lib.* IV. *Annal. Bojor.*
[e] *In Actis Ss. Ord. S. Bened. Sec.* III. *p.* 2.
[f] *Mabillonius annal. Tom.* IV. *Lib.* LIII.

XXXIII. Hi Majorum nostrorum, quos felix Patria nostra olim Doctores habuit, fuere labores pro instituenda rudi juventute, augendisque scholis; quibus tamen cum identidem obstreperent aliqui, merito primi Universitatis Salisburgensis Professores illud reponere valuissent, quod Seculo XI. *Odorannus* apud Senonas Monachus *Aycfredo S. Aurelianensis Ecclesiæ Didascalo & Monasterij S. Aviti Archimandritæ* hunc in modum rescripsit: *Si cum Gyrovagis diversorum cellas circumiens gulæ illecebris & proprijs voluptatibus deservirem, aut ceu bubulcus durissimo vomere glebas vallium, gelu urente & æstu, verterem; fortassis nemo invideret, nemo detraheret. Quia vero subtilium rerum, quæ sunt, & quæ immutabilem sui sententiam sortiuntur, investigare diligenter veritatem cupio, maledicta & opprobria*
1 *ab æmulis sustineo.*(*) At amicus amicis loquor, nec aliud magis exopto, quam ut ubiq; & ab omnibus suus bonis literis honos habeatur, dum interim Præfationem meam verbis illis concludo, quibus elapso abhinc Seculo dissertationem suam *de Jure docendi Monachorum*, de qua inferius *Lib.* I. *Cap.* IV. *Num.* XXXVI. sermo redibit, stabilivit Clarissimus *P. Sebastianus* Rhör Asceta Ottoburanus.

„Si igitur Benedictini sanctissimi, prudentissimi, „& sapientissimi, prout per decursum varijs argumen-„tis & exemplis probavimus, jam olim in publicis „Gymnasijs professi sunt, hodieq; profitentur in Bel-„gio Duaci, ubi & in Collegijs Aquiscinctensi & Mech-„lingensi juventus ipsa a Benedictinis regitur, & in „Italia Jacobus de Graphio, & Alphonsus Vilagut „Monachi Congregationis Cassinensis Juris Canonici „publici editis libris dicti sunt Professores: Si etiam „nostri Monasteria exeuntes totum Orbem, præser-„tim Aquilonarem, peragrarunt, Evangelium prædi-„cantes:

[1] *Mabillonius annal. Tom.* IV. *Lib.* LV. *ad Annum* MXXII.

„cantes: Si Ecclesiam multis Seculis pene soli voce & „scriptis docuere: Si Gradibus quoque insigniri tum „S. Thomæ testimonio, tum authoritate Pontificia „possunt, non est, quod Benedictini vereantur, ne aut „vocationi suæ, aut S. Regulæ adversentur, si publi-„cas cathedras conscendant, imo gaudeant se Majo-„rum suorum vestigijs insistere, & confirmare id, „quod divinitus ad S. P. BENEDICTUM Patriarcham „editum fertur in monumentis Lirinensibus, nimi-„rum & eos, qui ejus Ordinem diligerent, ac foverent, „benedicendos, & ipsum Ordinem in fine mundi „pro Ecclesia fidelissime in acie staturum. " Ita ille. Vos verò Sodales charissimi, quibus ingens bonarum Artium amor inest, eo, quo cœpistis pede, feliciter pergite, novisq; in dies documentis orbi literario patefacite, & Monachos, licet non paucas sibi horas Chori labor exposcat, intra privatas Monasterij cellulas ea sectari studia, quibus tum publicæ ornari cathedræ, tum studiosa Juventus juxta primævam Ordinis nostri consuetudinem ad intima scientiarum penetralia introduci possit, hodieque passim introducatur; nec unquam grata posteritas debita Vobis laudum encomia denegabit.



FACULTAS IMPRIMENDI

Reverendissimi & Amplissimi Domini Domini FRANCISCI hujus Nominis Secundi Monasticæ Congregationis S. Blasij O. S. B. Abbatis, Sac: Cæs: & Reg: Cath: Majest: Consil: perpetui, Domini Imperialis Dynastiæ Bonndorff, Dominiq; in Gurtvveil, & Oberriedt &c &c Status Ecclesiastici Anterioris Austr: Præsidis perpetui, ac Sacri Palatij Comitis &c Authori facta sequentium tenore



Os FRANCISCUS Dei Gratia Abbas Congregationis S. Blasij in Sylva Nigra præsentium Virtute Facultatem impertimur Reverendo Religioso in Christo nobis Dilecto Conventuali nostro P. **. ut *Historiam Almæ & Archi-Episcopalis Universitatis Salisburgensis* ab ejusdem Academiæ Præcl: D:D: Professoribus &c. lectam & comprobatam, typis mandare, ac divulgare possit. In quorum fidem has literas testes dedimus *In S. BLasIo, ManV nostra seXto CaLenDas aVgVstI.*

Franciscus Abbas.



IN-

INDEX LIBRORUM ET CAPITUM.

Liber I. Caput I. An: 1617.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER I.



LIBER I.
DE ORTU, FUNDATIONE, ET INCREMENTO UNIVERSITATIS SALISBURGENSIS.

CAPUT I.
Marcus Sitticus Archi-Episcopus Salisburgensis fundatum a se Gymnasium PP. Ordinis S. Benedicti committit Anno MDCXVII.

1. 
Alisburgum olim Juvavia, Juvavium, Hadriana & Petena, post eversionem ab Herulis Duce Vidomaro seu Odoacro seculo Christi quinto factam, gloriosum excisæ urbis restauratorem veneratur S. Rupertum Norici Apostolum, Eundemque & primum *Scholarum* Auctorem habet. Is plurium eruditorum Virorum cal-

Schola S. Ruperti.

a (*) culo professione Monachus Benedictinus, postquam Bojariæ lumen Christianæ fidei intulisset, Theodonem præterea Ducem ejusque filium Theodebertum, ac plures Magnates S. Baptismatis fonte abluisset, ne unquam populo Ecclesiæ noviter aggregato longius Pastores abessent, consentiente Theodone Bojariæ Duce circa Anum Christi DLXXXII.
b (*) in Episcopatus sui sedem Juvavium elegit, ibiq; cum cathedrali Ecclesia divinis officijs peragendis
c opportuna, tum Monasterio S. Petri (*) pro syncelitis suis Monachis ædificato maximam populi multitudinem, quæ undique ad eum properabat, verbo & exemplo pascere, *publicam scholam erigere, ac ipse tanquam veteranus Doctor scientias altiores tradere* cæ-

(*a*) *Demochares* Lib. de Sacrif. Missæ. *Hundius* in Metropol. Salisb: *Arnoldus Wion* in Ligno vitæ, *Rambekius* in Cal: Bened. *Mabillonius* in actis Ss. Ord. S. Bened. Sæc. III. p. I. *& alij S. Rupertum Monachum S. Benedicti faciunt contra quosdam, qui id aut omnino negare, aut saltem in dubium vocare videntur. ut Corn. Curt.* in Paneg. de S. Ruperto. *Bolland. Canisius* tom. VI. *& alij.*

(*b*) *P. Mezger* Hist. Salisb. Dissert. Prælim: *fusius hunc annorum calculum adstruit contra Mabillonium, Velserum, Brunnerum, Adelzreiter &c qui D. Ruperti adventum in seculum Christi septimum reijciunt. Consentit Velseri calculo Vitus Arnbeckius apud P. Bern. Pezium* tom. 3. Anecdot. in Chron. Bojar. Lib. 2. cap. 8. *ubi adventum S. Ruperti in Bojariam ac Theodonis baptisma ponit sub Papa Deusdedit, & Heraclio Jmp: Ex hocce Arnbeckij Chronico cum Velserus alijque, ut bene notat P. Pezius* l. c. in observ. *sua ut plurimum mutuarint, facile eorum errorem agnosces.*

(*c*) Chronicon Salisb: *apud P. Hieron. Pez* tom. 1. script. rer. Austr. *Anno 582. hæc habet*: Floruit Monasterium S. Petri. *quod proin sententiam nostram de adventu S. Ruperti confirmat.*

d cœpit. (d) Quod quidem adeo feliciter cessit, ut brevi temporis spatio derelictum hucusque *Juvavium*, nunc mutato nomine sive a Salis fodinis, sive a præterlabente fluvio Salsa *Salisburgum* nuncupatum, novus denuo civis ceu nova colonia inhabitarit. Floret hodiedum nobilissima hæc Salisburgensium Metropolis magnorum Principum, numerosi Cleri, copiosæ nobilitatis, celeberrimæ Academiæ, ac optimorum civium domicilium, quod munita in edito colle arx contra quosvis hostium incursus defendit, pulcherrima vero ædificia ac templa marmore decore celata mirum in modum exornant. Sed non eadem fortuna fuit *Scholæ S. Ruperti*, quæ tractu temporis unacum Capitulari penitus sublata est, donec novam denuo excitare statueret Celsissimus Princeps Joannes Jacobus ex illustrissima Dominorum & Equitum, hodie Comitum Kuen de Belasi, prosapia oriundus. Hic Anno MDLX. VI. Calendas Decembris in demortui Michaëlis a Küenburg locum suffectus in id præcipue incubuit, ut juxta concilium Tridentinum, cujus xx. sessioni per Legatos suos D. Herculem Episcopum Lavantinum (*) & P. Felicianum Ninquarda ex Ordine S. Dominici, postea Episcopum Scalensem, interfuit, Archidiœcesin suam reformaret. Quam ob rem Anno MDLXIX. Idibus Martij Synodum Provincialem indixit, in qua non solum sanctissima quæque pro reformatione Cleri statuta edidit, verum etiam, cum resuscitatas literas Constitutionum

Joannis Jacobi labores pro suscitandis scholis.

e

a 2 Sy-

(d) *Joan. Gualbertus Belga* in Chron. chron. *& ex eo P. Mezger* Hist. Salis: Lib.I. c. XXIII. *Hinc etiam Mabillonius* præf. I. ad sæc. III. Ord. S. Bened: *inter celebriores Scholas monasteriales Salisburgensem numerat* §. 4. *num.* 45. *nosque ejusdem rei exemplum adduximus in præf.*

(e) *donatus est mitra Lavantina Anno MDLV. obijt Año MDLXX.*

Synodalium basin & animam fore probe agnosceret, *Constit. LIX. Cap. I: de Instit. Ludimod.* ita decrevit.

II. „*Quanta pro educanda & instituenda juventute sit adhibenda diligentia, id non modo sacræ verum etiam profanæ testantur literæ &c. Quam ob causam scholæ institutæ sunt, ubi non solum in literis, sed imprimis pietate ac moribus est instituenda juventus; nam prius animas, & postea linguas fieri eruditas oportet adstipulante Justiniano in Proœm: Pandect: §. illud vero. Statuimus itaque, ut in singulis omnibusque Provinciæ nostræ civitatibus, oppidis & castellis juxta cujusque loci necessitatem Scholæ publicæ seu ludi literarij habeantur, in quibus honesta ingenia erudiantur, atque ad usum commodumque reipublicæ Christianæ reddantur.* „

Eadem repetit *Cap. II.* de Scholis instituendis & conservandis. Ubi:

„ *Porro cum Sacerdotum quoque penuria, qua passim laboratur, permultas exigat scholas, ut plurimi erudiantur studiosi juvenes; ideo mandamus nostræ metropoliticæ, cæterisque collegiatarum Ecclesijs, Monasteriorum Abbatibus, Præpositis, Decanis, atque capitulis, ut, qui penes suas Ecclesias & Monasteria scholas habent, easdem sustentare non desistant, sed omni diligentia conservent & augeant. &c.*

Tandem *Constit: LX. Cap. I.* ubi de utilitate Seminariorum disserit, hunc in modum conqueritur.

„ *Licet pro nostræ Provinciæ Ecclesijs de Sacerdotibus providendis, præter ordinarias civitatum oppidorumq; scholas, alias præterea ab omnibus, primum nostrâ Metropolitica, deinde cathedralibus atque collegiatis Ecclesijs, nec non Monasterijs institui &c. jam olim cautum sit; Verumtamen (nescimus quo malo vel negligenta potius) nos spe frandatos esse, nostrasque Ecclesias in priori fere necessita-*

„te

„te laborare conspicimus &c. Hinc, proh miseria! fit ut Ec„clesias planè desertas relinquere, aut vilissimos & quovis „rustico imperitiores homines contra nostram voluntatem præ„ficere cogamur. Cui deflendæ necessitati nos succurrere & „consulere cupientes, non aliud oportunius, esse remedium cen„suimus, quam quod collegia instituantur, in quibus. &c.

III. Sed utut sanctissime isthæc instituta, ipsiusque pientissimi Principis pastoralis solicitudo eo ut plurimum contenderit, ut decreta synodalia, quæ communi totius Cleri consilio congesta & probata fuerant, ad unguem observarentur; Constitutiones tamen de scholis instituendis, augendis & conservandis parum, imo nihil roboris obtinuerunt. Neglecta denuo ac sepulta jacebant bonarum literarum studia, summusque erat Gymnasiarcha, qui in D. Petri Monasterio utcunque Grammatices moderabatur ferulam, ultra quam ascensuris vel magnis pecuniarum sumptibus extera loca frequentare, vel celebre tunc temporis Baumburgense Canonicorum Regularium S. Augustini Monasterium, in quo ceu unico Salisburgensium Parnasso literæ colebantur, adire necessarium fuit, dum tenuioris fortunæ Juvenes ob scholarum inopiam deploranda illa in rebus literarijs inscitia in dies magis & magis premebat ad usque Wolfgangi Theoderici de Raittenau Archi-Episcopi Salisburgensis tempora (*) quibus paululum auditæ fuere Musæ. Enimvero, ut acatholicis, quos Anno MDLXXXVIII. publico edicto ex universa sua Archidiœcesi proscripserat, omnem posthac aditum in rudium agricolarum animis occluderet, initium a literis sumpsit, ac R.R. PP.

Baumburgenses schola.

f *Wolfgangus Theodericus* P.P. *S. Francisci*

(f) *Wolffgangus Theodericus ex Canonico Salisburgensi, Basileensi, & administratore Murbacensi Archi-Episcopus Salisburgensis electus Anno* 1587. *Obijt Anno* 1617.

g novas committit scholas, quas iterum dimittunt.

P. P. Ordinis Divi Francisci (*) pueros instituendi rationem concredidit, spe fretus, suis tandem pleniorem literarum diem affulsuram. Et illuxisset sane, ni prædicti Patres brevi ab incepto scholastico labore iterum manus amovissent. Neque deinceps optimo Principi Wolfgango Theoderico integrum erat, dignum adeo tamque necessarium opus aut restaurare, aut alijs committere: cum varij domi forisque identidem exorti motus tamdiu Salisburgensem Provinciam infestarent, usque dum Ipse Princeps fatis oppido diris, atque resignata prius Archiepiscopali dignitate occumberet in arce Salisburgensi XVI. Januarij, ubi solitariam non minus quam piam hucusque egerat vitam.

IV. *Marci Sittici studium pro erigendis scholis.*

Marcus itaque Sitticus S. R. I. Princeps & Archiepiscopus Salisburgensis in resignantis Wolfgangi Theoderici locum Anno MDCXII. decimo quinto Calendas Aprilis a S. Metropolitano Senatu subrogatus primas eo curas impendit, ut antecessorum suorum de instituendo ludo literario laudabile studium imitaretur. Movit illum miseratio imprimis subditi gregis, quem dura necessitas hucusque indoctum voluit. Trahebant & in exemplum vicinæ Provinciæ, Austria, Bohemiaque: in illa Vindobonensis, in hac Pragensis Academia non vulgari sinceræ doctrinæ, clarissimorumque omni scientiarum genere virorum opinione & laude florebant. Multi denique primarij ea ætate viri, qui gratia apud Archi-Episcopum valebant, repetitis pre-

(g) *Introduxit hos Patres Salisburgum Joannes Jacobus Archi-Episcopus Salisburgensis anno* 1583, *iisdemque circa festum S. Martini Monasterium Monialium ad S. Petrum O. S. B. inhabitandum tradidit, cum jam ante* XII. *Augusti ejusdem anni duæ superstites Moniales in Parthenonem Nunbergensem translatæ fuissent.*

precibus & consiliis ad excitandam Universitatem Eundem impulerunt, ne posthac liberos suos ad aliena loca mittere cogerentur, quin potius eos intra domesticos parietes quotidie præ manibus oculisve haberent.

V. Expugnatus brevi hisce solicitationibus religionis & optimarum artium amantissimus Princeps memoratos Patres ex Ordine D. Francisci hortabatur, ut nuper relictas scholas iterato aperirent: cumque ob varia rationum momenta oblatam Scholarum restaurationem deprecarentur, docendi munus Patribus Eremitis S. Augustini (*) obtulit, *b* opem, omnemque gratiam promisit. At nec isti optimæ voluntati morem gerere quiverant. Advocati ergo PP. Societatis JEsu instituti sui ratione ad id muneris deputati, qui etiam propere in aula Principis adfuerunt. Sed neque cum his convenire potuit, aut demum voluit Marcus Sitticus.

VI. Supererant jam soli PP. Benedictini, quos literatorum virorum copia divites quidem esse noverat optimus Princeps, sed, cum non uno sub capite coadunatos sciret, eisdem Scholas committere nonnihil dubitavit, brevi tamen longe aliam mentem Marco Sittico injecit R. P. Sylverius instituti Capucinorum, vir doctrina & pietate celebris. Hic ubi fluctuantem Principis animum de tradendis Ordini Divi Benedicti scholis intellexisset, non tantum validissimis argumentis Eundem firmavit, ut ordini huic de Ecclesia, republica Christiana, ac literis optime merito, cui fidem catholicam tota Archidiœcesis deberet, erigendam Academiam concre-

(b) Dedit his Patribus Ecclesiam B. Virginis in Müllen Wolfgangus Theodericus Arch: Salisb: anno 1605, domumque, quam anno 1464. duodecim Clerici inhabitabant, proprijs sumptibus in Monasterij formam redegit.

crederet: verum etiam oſtendit, qua ratione Reverendiſſimi DD. Abbates moveri poſſent, ut pro novi ſtudij tam erectione, quam conſervatione, non ſine ampliſſima totius Sanctiſſimi Ordinis gloria, in indiſſolubilem unionem coirent, quod vinculi genus non uni ſolum, ſed pluribus Academijs erigendis ſufficeret.

VII. *Schola Salisburgenses PP. ex Ord. S. Bened. offeruntur.*

Placuit Marco Sittico prudens conſilium, quod ne diutius felici careret effectu, mentem ſuam Joachimo ad S. Petrum Salisburgi Abbati per eundem P. Sylverium aperuit. Exhilaratus Is diu expectata docendi occaſione, ne quid temere egiſſe videretur, per aliquot dies ſuſpenſum tenuit aſſenſum ſuum, præviaque deliberatione totius negotij molem ad bilancem appendit. Acceperat interea a Reverendiſſimo D. Paulo Ciurletta Suffraganeo Salisburgenſi, uti & a Reverendiſſimis DD. Canonicis Metropolitanæ Eccleſiæ Salisburgenſis D. Marquardo de Freyberg, & D. Marquardo de Swendi (*) *i* occulta monita, ut ſcholarum ſuſceptione diuturnam omnium ordinum totiuſque Provinciæ, cujus unica ſalus inter percrebreſcentes hæreſes quærebatur, exſpectationem adimpleret. Hinc menſe Aprili Anni MDCXVII. Celſiſſimum Principem adijt Joachimus Abbas, manus fidemque dedit, ſe pro viribus allaboraturum, ut a viris Benedictinis Sa-

(*i*) *D. Marquardus de Svvendi L. B. de Hochenlandſperg anno* 1594. *Friſingenſem, anno* 1595 *Auguſtanum, & anno* 1600. *Salisburgenſem Canonicatum obtinuit. Anno dein* 1609. *Canonicis Regularibus, in Högelvverth, quod Monaſterium in agro Salisburgenſi à Luitholdo Comite de Plain fundatum eſt, Præpoſitus datus ibidem obijt anno* 1634. *Vir erat, ut virtute, ita & ſapientia clarus, Deiparæq;, cujus honoribus Sacellum prope Paſſavium exſtruxerat, cultor devotiſſimus. Pater Corbin. Kham* Hierarch Auguſt. p. 1. Cathed. cap. 10. Claſs. III.

Salisburgenſes ſcholæ excitarentur. Cum vero Monachorum ſuorum numerum, qui vix celebrandis divinis officijs ſufficiens erat, tanto ferendo oneri
k imparem cerneret, (*) a celebrioribus Sueviæ ac Bavariæ Cœnobijs ſuppetias ſolicitare ſtatuit; atque hanc in rem a Celſiſſimo Principe literas, ut vocant, commendatitias expetijt. Dedit eaſdem Marcus Sitticus, III. Calendas Majas, quas beneficentia in Ordinem S. Benedicti ubertim refertas hic apponere neceſſarium duximus.

VIII. „Nos Marcus Sitticus Dei Gratiâ „Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, S. Sedis Apoſtolicæ Legatus &c. notum facimus omnibus, qualiter præprimis ad Omnipotentis Dei honorem & „gloriam, tum etiam ſubditorum noſtrorum majorem utilitatem in hac noſtra metropoli Salisburgenſi Univerſitatem aliquam de novo fundare & „erigere ſtatuerimus, ut iſthac occaſione omnes & „ſinguli, qui bona literarum ſtudia amant & deſiderant, præcipue vero illi, quos exteras Academias adire curta rei domeſticæ ſuppellex prohibet, „jam eo facilius laudabile ſuum deſiderium adimplere, neque ſolum ad veræ Catholicæ Eccleſiæ, „verum etiam ad Patriæ bonique publici fructuoſa „ſervitia & commodum neceſſarias ſibi ſcientias „comparare valerent. Cum igitur ex propenſo „affectu, quo in Venerabilem Ordinem S. Bene-

B „dicti,

[k] *Martinus Abbas Joachimi Anteceſſor Anno 1615. e vivis ſublatus Monaſterium D. Petri omni rerum abundantia refertum reliquit, ſi Monachos excipias; nec enim plures ſupererant, niſi tredecim, & hi vel ſenio graves, vel literis leviter tincti.* P. *Mezger* Hiſt. Salisb. Lib. 5. Cap. 18.

;„dicti, tum etiam præprimis in antiquissimum sub „eadem regula jam a S. Ruperti temporibus militans „Monasterium S. Petri ferimur, ante omnes alios „prædicti laudabilissimi Ordinis Patres pro Professoribus in præfata nova Academia selegerimus, „quod procul dubio memorato Monasterio S. Petri, quin potius toti sacro Ordini tam in nostra „Archi-Dioecesi, quam vicinis Austriacis terris maximam gloriam, comodum & incrementum, prout „omni meliori modo paternoque Zelo curabimus, „procreabit; continuo clementissimam mentem „nostram patefieri curavimus Reverendo in Christo „dilecto ac fideli Joachimo Abbati ad S. Petrum, qui „ex hac nostra intentione sumo perfusus gaudio eam „non solum, quantum ipsum concernit, humili gratiarum actione acceptavit, verum etiam ad celeriorem laudabilissimi operis promotionem, cum „moderno tempore tot ad docendum apti viri in „Monasterio suo non suppetant, promptum sese obtulit suos DD. Con- Abbates in propria persona convenire, illosque solicitare, ut ad prædictam Neo-„erigendam Universitatem doctos sui Ordinis Professores submittant. Sustentabuntur illi, prout „cum prædicto D. Abbate conveniemus, in Monasterio S. Petri, ibidemque congruas habitationes ac necessaria quæque ubertim habebunt. Ut „autem præfati Abbatis laudabile propositum eo „celeriorem & feliciorem effectum sortiatur, clementissimum nostrum ad omnes & singulos Abbates ac Superiores Benedictinæ familiæ, quibus „hæ nostræ patentes literæ exhibebuntur, petitum „solicitatioque venit, ut non tantum Abbatis ad „S. Petrum ulterioribus propositionibus plenariam „adhibeant fidem, sed etiam ad certam hujus ope-

„ris

„ris propagationem omne possibile auxilium & ad-„jutorium impendant. Hauriemus inde gratissimum „beneplacitum, quod oblata occasione omnibus in „genere, & singulis in specie omni gratia remune-„rari & agnoscere non desistemus. Communivimus „propriæ manus subscriptione, consuetoque nostro „Archi-Episcopali sigillo in nostra Metropoli Sa-„lisburgensi die XXIX. Aprilis Anni Millesimi sexcen-„tesimi decimi septimi. „

IX. Porro, qui Abbati Monasterij S. Petri, ut Principis postulatis consentiret, Auctor fuit, idem ad obeunda celeriter Monasteria eundem hortari non destitit, Reverendissimus D. Marquardus de Frey-
l berg & Eisenberg (*) Canonicus Salisburgensis, Eichstettensis, & Augustanus, Rudolpho II., Mathiæ I., & Ferdinando II. Imperatoribus a consilijs, vir immortali nomine dignissimus, cujus præclara in Ordinem Benedictinum merita peculiare Privilegium illi, ejusque perillustri Familiæ Freybergianæ ex prisca Curianorum stirpe Romanoque sanguine de-
m scendenti, [*] a Domno Victorino a Florentia Congregationis Cassinensis Præside Año MDCXXIV. IV. Nonas Maij concessum, abunde loquitur. Hujus Mæcenatis longe maximi studio & hortatu permotus Joachimus Abbas Anno MDCXVII.

b 2 die

[l] *Marquardus de Freyberg Præpositus ad S. Mauritium Brisaci Canonicatum Salisburgensem Anno* 1596. *Augustanum vero Anno* 1614. *obtinuit. Obijt literarum & literatorum promotor maximus Anno* 1626, *cum Anno* 1612. *proprijs impensis fundasset sacellum B.V.M. Consolatricis in ditione Ronaviensi.*

[m] *Lapis sepulchralis, quem Anno* 1620. *Parenti amantissimo Carolo Eberhardo posuit Marquardus.*

n [*] die XXII. Maij ad Sueviæ Bavariæq; Monasteria iter instituit, assumpto viæ comite D. Hieronymo
o Reitter [*] Urbis Salisburgensis cive primario, ac dudum in intimam Abbatis necessitudinem recepto. Sat multa erant, quæ salutaverant, asceteria: sed, ut in difficilioribus negotijs fieri amat, vix ullum reperiebant, quod eorumdem sententiæ subscribere vellet, cum undique difficultates nec paucæ nec exiguæ apparerent, quas, antequam vadum pertentarent, partim remotas partim explicatas cupiebant.

Eas Ottoburæ congregati Abbates suscipiunt. In unico Monasterio Ottoburano id tandem obtinuit Joachimus, quod anxie diu expetijt. Convenerant ibi Abbatum aliqui, ut negotium hoc communi consilio pertractarent; adhucdum tamen fluctuantes novas potius difficultates adferebant, quam ut unitis viribus easdem superarent. Solus proin fuit Gregorius Ottoburanus Præsul, qui non tantum primus Joachimi postulatis subscripsit, verum etiam reliquos DD. Præsules suavi dicendi vi adeo emollijt, ut omnes in suam sententiam abierint, certis tamen conditionibus, quas Joachimus Abbas, ubi domum redijsset, Archi-Episcopo significaret.

X. Quinam autem Abbates Ottoburæ congregati fuerint, res dictu non admodum facilis est. P. Al-
p *Quinâ illi fuerint.* bertus Krez Monachus Ottoburanus [*] Ursinensem & Elchingensem Abbates: P. Matthæus Weiss Monachus

[*n*] *P. Mezger* Hist. Salisb. Lib. 5. Cap. 18. *rem ad Annum* 1616. *retulit: Verum ipsæ literæ Marci Sittici supra memoratæ Chronologiam nostram habent.*

[*o*] *Is ipse est, cujus hortatu Marcus Sitticus Joachimum e Monasterio Wessofontano accersitum asceterio S. Petri Administratorem præfecit. P. Mezger* l. c.

[*p*] *in MS. compendio de ortu & progressu Universitatis Salisburgensis.*

chus Andecensis Neresheimensem & Andecensem [*] Præsules interfuisse commemorat. Plures fuisse haud obscure insinuat Joachimus Abbas in literis ad Celsissimum Archi-Episcopum Marcum Sitticum datis III. Idus Julij Anno MDCXVII. ubi : *Ultimo de studiorum prosecutione, continuatione, & dependentia, quæ erat inter* præsentium Prælatorum *considerationes difficillima, disseruimus, &c.*

XI. *Joachimi Abbatis reditus Salisburgum.*

Joachimus interea mature Salisburgum reversus & rei gestæ seriem, & parata DD. Abbatum subsidia Calendis Julij Anno MDCXVII. Celsissimo Principi Marco Sittico coram exposuit, ea adjecta conditione, ut tum novam Academiam sufficientibus redditibus & salarijs dotare; dotatam cum consensu Reverendissimi & Jllustrissimi Capituli Metropolitani Benedictino Ordini committere; commissam Pontificia ac Cæsarea authoritate, consuetisque privilegijs & immunitatibus roborare dignaretur: tum ut loci situs a tumultu & strepitu forensi securus, & commeatus aliaque ad vitam humanam necessaria facile suppetant.

Arrisere universa hæc Marco Sittico, cui tot antehac repulsis fatigato haud gratior unquam nuncius, ut palam sæpius fatebatur, toto vitæ tempore allatus fuerat, quam Ordinem S. Benedicti futuras Scholas in suam curam admisisse. Quapropter Mense Julio justis Abbatum postulatis per Reverendissimum D. Paulum Ciurlettam suffraganeum satisfieri curavit, simulque debita Professorum salaria se daturum, urbem vero Salisburgensem quietis Musis aptissimam fore testatus est.

Civium studium erga studiosos.

Habet namque Salisburgensis Metropolis Cives benevolos, officiosos, candidos, synceros, fideles, quorum comitas ac huma-

[q] *in Ephemeridibus Salisburgensibus.*

manitas, in advenas præcipue magna semper fuit; nec minor in literatos affectus hodiedum persistit. Domus quoque illis sunt, cujusvis conditionis juvenum usibus sane quam accommodæ, ac mensa facili pretio redimenda, si vino parcas, quod non nisi magnis impensis ex Austria & Tyroli, abunde tamen, advehitur.

Cum igitur nihil superesset, quam ut rei propediem exequendæ initium daretur; Mense Septembri aderat Salisburgi P. Sylvanus Herzog Ottoburani Monasterij Prior, cujus opera, post aliquot dierum deliberationem, Fundationis Instrumentum pro Gymnasio confectum est, quod hic referimus.

XII. *Fundationis litera pro Gymnasio.*

„Notum sit universis per præsentes: „Postquam Jllustrissimus & Reverendissimus Prin„ceps ac Dominus Dominus Marcus Sitticus Ar„chi-Episcopus Salisburgensis, Apostolicæ Sedis Le„gatus natus &c. paterno zelo, pastoralique soli„citudine de Gymnasio vel Universitate in Metro„poli sua Salisburgensi ad honorem Dei omnipoten„tis, ejusdemque gloriosissimæ Matris Virginis Ma„riæ, SS. Apostolorum Petri & Pauli, Ruperti & „Virgilij ejusdem Metropolis totiusque Provinciæ „Patronorum, nec non augmentum istis in parti„bus Catholicæ Religionis, erigenda & instituen„da solicitus, id negotij præcipue, emergentesque „ob causas Reverendis Patribus de Familia D. Bene„dicti, a gloriosissimo S. Ruperto in hac urbe pri„mitus fundata, credendum atque committendum „destinasset: ideo Jllustrissima sua Celsitudo com„municato cum venerabili Capitulo suæ Cathedra„lis Ecclesiæ consilio, ex assensu & communi voto „ejusdem cum Reverendo in Christo Patre Domi-

„no

„no Joachimo Abbate ad Divi Petri ibidem prædicti Ordinis Benedictini Monasterium, non minus assentientibus ratumque habentibus Conventu „& Conventualibus suis tractatum super hoc negotio inijt, eundemque certis quibusdam conditionibus, pactis, & articulis, ut ex sequentibus patet, „tandem conclusit.

„Principio, quia cardo hujus negotij in hoc „potissimum versari intelligitur, ne, quod Jllustrissima sua Celsitudo molitur, Gymnasium seu „Universitas ullo unquam tempore habilibus destituatur Professoribus, sed tam sub exordio quam „progressu, adeoque perpetuo huic rei Scholasticæ „abunde consulatur, procurabit modo Reverendus „Dominus Abbas, ut pro felici auspicio quamprimum sex hujusmodi Professorum Ordinis S. Benedicti huc se conferant, quorum unus Casus conscientiæ legat, alter Dialecticam, tertius Rhetoricam, reliqui vero tres humaniora, Poësin, Syntaxin, & Grammaticam, exceptis tamen alphabeticis, doceant. Quod si vero tractu temporis „Universitas, prout Jllustrissimus Archi-Episcopus „serio allaborabit, instituta fuerit, prædictus D. „Abbas, ejusdemque successores de ampliori convenientique Professorum numero, quemadmodum „res ipsa exposcere videbitur, providere tenebuntur.

„Porro quicunque ex prædicta Familia Benedictina in hunc Professorum numerum selecti vel „nunc vel posthac fuerint, Jllustrissimæ suæ Celsitudini atque Successoribus, ad gubernacula regiminis sedentibus, debitum honorem, reverentiam, & obedientiam, nec minus Venerabili Capitulo conveniens obsequium exhibebunt, cave-

„bunt.

„buntque omnia diligentissime & sincerissime, quæ „in suæ Celsitudinis, vel Ecclesiæ, aut Capituli Sa„lisburgensis præjudicium, damnum, despectum, „vel quamcunq; aliam injuriam quovis modo ver„gere posse videbuntur. Prædicti quoque Patres, „quotquot eorum pro tempore fuerint, intra septa „Monasterij Petrensis simul habitabunt, atque uno „eodemque convictu utentur, quem in finem ijs„dem sua Jllustrissima Celsitudo, ubi & quatenus „opus fuerit, suo tempore comodum domicilium „ibidem exstrui curabit.

„Denique Directorium totius negotij post Jl„lustrissimam suam Celsitudinem [penes Quam om„nis potestatis plenitudo est] tenebit sæpe dictum „Monasterium Petrense, vel ejus pro tempore Præ„latus, cui incumbet, si quem forsitan Professorum „infirmari, vel mori, vel avocari, vel non posse „aut nolle diutius ob aëris intemperiem, sive alias „causas ab eorum Superioribus approbatas manere, „vel male se gerere, aut Jllustrissimæ suæ Celsitu„dini minus gratum fore contigerit, procurare cum „effectu, ut confœderati Sueviæ Prælati semper „alium seu alios in locum illius seu illorum, toties „quoties opus fuerit, sufficientes & habiles substi„tuant, ne Universitas ullo tempore quoad Profes„sores quid detrimenti in studiorum prosecutione „patiatur. Et ne rei gravitate Petrensis Abbas ni„mium gravetur, permisit Jllustrissima sua Celsi„tudo eligi unum ab ipsis Confœderatis DD. Præla„tis, qui unacum prædicto D. Abbate præfatum ha„beat directorium, & ambo, si opus fuerit, studio„sius in mores, vitam Professorum inquirant, de„fectus quoscunque supplere satagant, querelis qui„buscunque, si quas fortasse apud ipsos deponendas

„ha-

„habeant, satisfaciendo occurrant, & omnia ad hoc „regendi legendique munus Universitatis spectantia „promoveant; quæ tamen, si propter absentiam a „D. Prælato Collega præstari non poterunt, ipsi „Domino Prælato Petrensi omnino incumbent.

„Ex adverso Jllustrissima sua Celsitudo suo, suo„rumque successorum nomine, prædicto Domino „Abbati ejusdemque Successoribus atque Monaste„rio Petrensi pro sustentatione, victu atque vestitu, „alijsque rebus necessarijs quibuscunque, nihil peni„tus excipiendo, uniuscujusque Professoris nomine „quotannis centum quinquaginta florenos Rhenenses „in pecunia numerata assignavit, eosdemque vel „quovis trimestri vel singulis mensibus, uti hoc Jl„lustrissimæ suæ Celsitudini vel Successoribus como„dius vel magis expedire videbitur, pro rata portio„ne persolvendos. Si vero successu temporis demon„straretur, dictas expensas pro honesta & commoda „Professorum sustentatione non sufficere, & Mona„sterium Petrense inde gravari, tunc erit cum Domi„no Abbate, quisquis ille pro tempore fuerit, ne „Monasterium ob hanc causam detrimentum patia„tur, ex æquo conveniendum.

„Adhæc concessit & concedit Jllustrissima sua „Celsitudo supradictis Professoribus authoritatem & „potestatem suos discipulos & scholares debite & di„screte corrigendi, adeoque, si necessarium sit, car„cerandi: nullam tamen habeant authoritatem su„per eis in criminibus majoribus, nec sub hac con„cessione comprehendi intelligantur, qui sunt in ser„vitio Jllustrissimæ suæ Celsitudinis, & ejus libera„litate utuntur. Insuper pollicetur Jllustrissima sua „Celsitudo in favorem dictæ Universitatis & Schola-

C rum

„rum procurare privilegia, præeminentias, & alia „cum necessaria, tum opportuna.

„Nec minus concessit, & concedit Jllustrissima „sua Celsitudo, nominibus, quibus supra, præno- „minatis Abbati, Successoribus & Monasterio Pe- „trensi, nec non eorum respective, & dependentiæ „contemplatione, toti Ordini D. Benedicti speciale „privilegium in forma amplissima, & sæpe dictæ „Universitatis & Scholarum regimen & regendi mu- „nus, quousque supradicta concordata observabunt, „ipsis solis perpetuo incumbat, & reservetur.

„Denique pollicetur Jllustrissimus Dominus „Archi-Episcopus, nominibus, quibus supra, ob „hoc Scholarum negotium & Professorum sustenta- „tionem, se neque velle, neque permissurum, ut „propter supra scripta, vel ex eventuali aliqua eorum „mutatione, ullum præjudicium Monasterio Petren- „si, ejusque Juribus, Bonis, & Privilegijs generetur, „quin potius intacta ea semper & illæsa permaneant

„Nos itaque Marcus Sitticus D. G. Archi-Epi- „scopus Salisburgensis, Apostolicæ Sedis Legatus &c „Nostro nostrorumque Successorum nomine præfata „omnia sic acta & transacta esse attestamur, easque „perpetuo firma & inviolata permanere volumus, „ideoque præsentes Literas Sigillo Nostro Archi- „Episcopali communiri curavimus, manuque nostra „subscripsimus.

„Non minus fatemur Nos-Præpositus, Deca- „nus, totumque Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Sa- „lisburgensis, prædicta omnia & singula nobis scien- „tibus & consentientibus agitata & confecta fuisse, „eaque rata in perpetuum fore sub Sigilli nostri Ca- „pitularis appensione, consuetaque subscriptione re- „cipimus.

Pari modo

Pari modo

„Nos Joachimus Abbas Petrenſis Salisburgi, „necnon Nos Prior totuſque Conventus ibidem, noſtro noſtrorumque Succeſſorum nomine ſpondemus „atque promittimus, nos ea omnia & ſingula, quæ „ſupra comprehenſa ſunt, ſarta tectaque perpetuo „ſervaturos, & quatenus nos concernunt, in effe„ctum omni fraudulenta machinatione ſepoſita fide„liter perducturos. In quorum fidem infallibilem „Abbatiæ & Conventus noſtri Sigilla hiſce ſcientes „& ſponte appendimus, atque ſubſcriptione noſtra „corroboravimus.

„Et quo ſtabilior horum omnium ſit memoria, „hujus Conventionis tria eodem tenore confecta „ſunt exemplaria, & unum ad Jlluſtriſſimæ ſuæ Cel„ſitudinis Archivum reconditum, alterum Venera„bili Capitulo Salisburgenſi, tertium vero D. Abbati „Petrenſi ejuſdemque Conventui traditum eſt. Acta „ſunt hæc in Archi- Epiſcopali Metropoli Salisbur„genſi die vigeſimo Menſis Septembris, Anno a Vir„gineo partu ſupra Milleſimum Sexcenteſimo deci„mo ſeptimo.

Marcus Sitticus Archi-Epiſcopus.

Joannes Krafft de Weyttingen Decanus.
Ernfridus Epiſcopus Chiemenſis.
F. Joachimus Abbas Petrenſis.
F. Thomas Prior & totus Conventus ibidem.

Quamquam Joachimus Abbas, Prior etiam, totuſque Conventus antiquisſimi Aſceterij ad S. Petrum Salisburgi non dubitarint, fidem ſuam interponere ſeſe ea omnia & ſingula, quæ in recenſito primo fundationis inſtrumento comprehenſa ſunt, perpetuo obſervaturos, eos tamen juramentum non

urgebat post tempora, quibus Athenæum Salisburgense ex Gymnasio peramplam Universitatis formam induit: ea enim *novis dotationis tabulis* aucta, Pontificijs insuper ac Cæsareis privilegijs, nec non singularibus immunitatibus a Celsissimis Archi- Episcopis ultro collatis mirum in modum exornata, demum universorum confœderatorum S. Benedicti Monasteriorum, ex quibus Præses & Assistentes, Suprema Universitatis Capita, eligerentur, fidei & potestati commissa fuit. Sed de his suo quoque loco sermo recurret: Juvat nunc propius nascentis Gymnasij cunas spectare.

XIII. *Marcus Sitticus urget PP. nostrorum adventū.*

Vix P. Sylvanus Herzog Ottoburanus Prior, Salisburgo Ottoburam redux erat, continuo a Celsissimo Principe (tanto nimirum desiderio scholarum initium operiebatur) hæ literæ ad Abbatem Ottoburanum perlatæ sunt.

„ *Posteaquam noti tractatus de erigendis in nostra Metropoli Salisburgensi Scholis inter Nos ex una, & Reverendum in Christo dilectum Joachimum Abbatem S. Petri ex altera, cum consensu & participatione Venerabilis nostri Capituli Metropolitani ad diu exspectatum finem deducti, ac omnia puncta necessaria, utriusque partis satisfactione, transacta & conclusa sunt, jamque ideo authentica instrumenta fieri curavimus, prout ex prædicti Abbatis ad S. Petrum literis intelligendum veniet. Superest modo, ut promissus Professorum numerus ad Festum S. Lucæ submittatur. Unde convenimus Paternitatem tuam, ut, cum hucusq; laudabile hoc, atque ad maximum Benedictini* Ordinis *decus vergens Opus sincero Zelo promoverit, non solum reliquos DD. Abbates eo permoveat, quatenus memoratos Professores statuto tempore huc submittant, verum etiam, quoniam ex rara Patris Sylvani, dum apud nos diebus istis ageret, discretione, prudentia, & qualitatibus animadvertimus, eum aptissimum fore, qui officium Rectoris vel Præfecti subiret, eundem quoq; inter reliquos Professores Salisburgum transmittat &c. Datæ in Nostra urbe Salisburgensi 25. Sept. Anno MDCXVII.*

Nondum a scriptis hisce Literis quatriduum effluxerat, cum denuo S. Petri Abbatem Joachimum adesse voluit Archi- Episcopus, multisque hortatus est, ut Patrum Professorum adventum apud Abbates, quos operi scholastico præprimis addictos sciret, urgeret. Paruit jussis Præsul, ac VI. Nonas Octobris Ottoburanum Præsulem Gregorium per Epistolam interpellavit. Is celeri Patrum colonia Musis initium daturus XV. Calendas Novembris senos e suo Conventu Patres Salisburgum destinabat, ut aleam, quam optimi Patres ex Ordine S. Francisci, Augustini, & Societatis JEsu suis ex causis recusarant, magnanimo ausu ipsi jacerent. Cur autem Ottoburanus Præsul primos Magistros ex solo suo Monasterio dimiserit, ratio ex ejusdem epistola ad Celsissimum Archi- Episcopum data hæc est: Quod non dubitaret hac via optimos vivendi modos & leges melius institui, facilius introduci, sincerius observari, & stabilius continuari posse, ubi tales scilicet essent statim a principio, qui idem sentirent, idem vellent ac nollent, quibus cor unum & anima una.

XIV. Quam ægre porro Reverendissimus Pater hos dilectos filios suos unacum Ursinensi Monacho *P. Ferdinando Pröpstle* a se avelli permiserit, legimus ex ejusdem literis exhortatorijs, quas ad eosdem dedit V. Calendas Octobris. „*Magno nostro*, scribebat il„le, *& vestro mærore Ottobura vos discessisse nimis certo om„nibus, qui valedictioni mutuæ intererant, constabat. Et „quid mirum nos tristari in illorum separatione, quos vere di„ligimus. Sed causa hujus separationis, & locus, quo ac„cessistis, facile apud prudentes hunc qualemcunque dolorem, „quem accepimus, mittigabit. Causa enim Dei est, propter „quem quid non subibimus? Locus quo destinati estis, veros*

Bene-

„Benedictina familia alumnos amat, & amavit semper; cur „non & vos, qui illius causa dulce patria solum reliquistis? „Illi, ad quos transiistis, magno vos desiderio exspectarunt. „Nobis certe abstergetis omnem tristitiam, si intellexerimus, „adventum vestrum fuisse & esse omnibus gratum: Si id fa„ctum, quod liberaliter sæpius promissum: si omnem occasio„nem nacti estis, vos ipsos cum S. Paulo pro aliorum commo„dis & animabus impendendi. Id solum modo restat, Domi„num Deum supplicibus continuo exorare votis, ut cujus spi„ritu opus cœptum est, ab eodem dirigatur ad viam modumque „inveniendi, quo illud perficiamus, firmemus, & consolide„mus.“

XV. *Primi Gymnasij Professores,*

Dies, quo docta hæc Patrum Benedictinorum colonia Salisburgum intravit, erat decimus Calendarum Novembrium. Numerabatur in ea *P. Sylvanus Herzog*, qui Rectorem Gymnasij, *P. Josephus Burger*, qui Theologum moralem, *P. Albertus Keuslin*, qui Philosophum, *P. Andreas Vogt*, qui Rhetorem, *P. Christophorus Custos*, qui Humanistam, *P. Ferdinandus Pröpstle*, ex Monasterio Ursinensi, qui Syntaxistam, *P. Benedictus Höß*, qui Grammaticum ageret. Hi, postquam Salisburgensi Metropoli appropinquassent, ad duo fere milliaria obviam progressos Reverendissimum D. Joachimum S. Petri Abbatem, RR. PP. Guardianos Capucinorum & Franciscanorum, D. Hieronymum Reitter, ac complures alios Ecclesiasticos & Seculares viros authoritate non minus quam dignitate suspiciendos mutuis salutationibus compellant, quibus etiam comitantibus, cœloque jam discedente sole, inter varias civium gratulationes urbem ingrediuntur, eadem adhuc nocte per nobilem virum D. Berger Principis nomine salutati. Introducti postero die circa horam

nonam matutinam in conclave Principis, gratum æque ſpectaculum circumfuſæ aulæ præbuerunt, cum Joachimus Abbas non ſine copioſis lachrymis, quas tenerum excitaverat gaudium, novellos hos itineris ſui laborumque fructus, PP. Profeſſores Celſiſſimo Archi-Epiſcopo offerret. Secutus eum P. Sylvanus Gymnaſij Rector eleganti prorſus ſermone cauſam adventus, Abbatum promptitudinem, ac paratos PP. Profeſſorum animos expoſuit; denique ſe, ſocios, totum S. Ordinem, novumque Lycæum clementiæ Principis devovit, conſecravitq;. Quanta lætitia horum virorum adventus affecerit Marcum Sitticum, ſatis loquuntur gratiæ, quibus eoſdem non ſemel proſecutus eſt; facta namque P. Rectori liberi poſthac acceſſus facultate, ipſos Profeſſores, quibus innumeros pene adpromiſerat favores, in Monaſterium S. Petri, ubi interea novum Gymnaſium apparatum fuerat, per delegatos nuntios continuo introduci curavit, quin & Ipſe horis meridianis adfuit, ac PP. Profeſſorum domicilia ſcholaſque luſtravit, id præprimis ſingulos identidem adhortatus, ut quamprimum ſcholas aperirent.

XVI. *Initiũ literarum.* Sexta itaque dies Menſis Novembris ſoleñi publicæque inaugurationi dicata eſt. Sacroſanctum Miſſæ ſacrificium de Spiritu ſancto feſtivam inter muſicam decantabat Joachimus Abbas S. Petri, eoque finito orationem inauguralem e ſuggeſtu dixit P. Andreas Vogt Ottoburanus Rhetorices Profeſſor. Interfuit cum Officio divino, tum doctæ Orationi Celſiſſimus Archi-Epiſcopus, Reverendiſſimum Capitulum Metropolitanum, Religioſorum Ordinum Superiores, Præfecti Civitatis, alijq; plurimi, ut tot votis expetitas literarum primitias ſua præ-

præsentia decorarent & accenderent. Sub Vesperam dein postquam P. Præfectus Scholarum, de excellentia, necessitate, & ratione studiorum diutius disseruisset, recitatus est studiosorum Catalogus, nec non promulgatæ Leges & Statuta, quibus imposterum tenerentur scholares. Exiguus quidem discipulorum numerus tunc erat, neque enim plures numerabantur, quam centum quadraginta septem; sparsa tamen per finitimas regiones novarum scholarum fama in dies adaucti eas primo adire cœperunt VII Idus Decembris, nec unquam, nisi pestis tempore, intermiserunt. Inde factum ut multiplici fœnore supplerent, quod diuturno silentio peccarant, Musæ Salisburgenses, eodem adhuc Anno in theatris ac typis excuso carmine auditæ, spectatæque.



CA-

CAPUT II.

Ædificatur Collegium ac Sacellum S. Caroli. 1. *Facultas utendi Typo Aulico.* 2. *Initium Convictus Religiosorum.* 3. *Prima DD. Abbatum Confœderatio.* 4. *Mors Marci Sittici :* 5. *Electio Paridis Lodronij.* 6. *Instituitur Congregatio D. Virginis in cœlos Assumptæ.* 7. *Gymnasium in Radstadt.* 8.

Ab Año MDCXVIII. usq; ad Añum MDCXXII.

XVII. *Primus lapis ponitur Collegio Academico.* a

ANnus MDCXVIII. exordium suum sumpsit ab ædificio Collegij S. Caroli Boromæi, pro majori comodo PP. Professorum, quos intra septa Monasterij S. Petri communem vitam vivere Scholarum studiorumque ratio prohibebat. Aream novo ædificio præbuit optima urbis pars, vulgo Frauengarten (*) in meditullio Archi-Episcopalis Metropolis sita sub sole puro & aura libera, haud procul a Monasterio S. Petri. Quamprimum autem hoc altius surgebat, de Sacello quoque cogitari cœptum, cui etiam authoritate & auspicijs Marci Sittici primum lapidem pridie Jdus Majas posuit Paris Lodronius Præpositus Metropolita-

Uti & Sacello S. Caroli.

D

(a) *Olim Frongarten.*

litanæ Ecclesiæ Salisburgensis. Finita Solennitate *P. Andreas Vogt* Ottoburanus doctissima pro more Oratione Celsissimo Archi-Episcopo, ac Reverendissimis DD. Canonicis Metropolitanis gratias, quas potuit, maximas, egit; acclamatumque est Principi Epopoëmate typis descripto. Denique & aulam, quam antea negare videbatur Marcus Sitticus, nuperrima Comœdia apprime recreatus, ab architecto designare jussit, ne quid deesset juventuti per theatrales actiones statis temporibus formandæ.

VIII. *Usus Typographiæ Aulicæ.*

Gratiam hanc brevi alia excepit Mense Septembri, facultas scilicet utendi typographia Aulica, quæ hunc in modum collata fuit.

„*Postquam eo prorsus animum nostrum applicavimus, „ut in omnibus, quæ cum prosequendis litterarum studijs, tum „honestæ Patrum Ordinis S. Benedicti commoditati promoven„dæ necessaria sunt, satis abundeque provisum esset; inter „cætera autem sit Typographiæ usus, & ejusdem libera fa„cultas, quam humiliter supplicando prædicti Patres a No„bis postularunt. Eorum proinde petitioni gratiosissime an„nuentes concedimus, ut typo nostro Aulico libere deinceps, „& citra aliorum quorumcunque censuram uti possint, de „eorum industria confisi, ea ipsos, quæ possint & deceant, „evulgaturos. In hujus rei confirmationem has illis Nostra „manu pariter & Sigillo roboratas dare gratiosissime annui„mus. Actum in nostra Metropoli Salisburgensi die vige„sima tertia Mensis Septembris, Anno post Christum natum „Millesimo Sexcentesimo decimo octavo.*“

XIX. *Initium Convictus RR. FF.*

Crescebat interea Salisburgi discipulorum numerus, quibus accessere Fratres Religiosi ex Monasterio Admontensi, Ettalensi, S. Lamberti in Styria, S. Pauli in Carinthia, S. Viti cis Rhotam, & Reittenhaslacensi Ordinis Cisterciensis, qui quidem omnium primi literis & disciplina imbuendi in Convi-

vi-

victum Salisburgensem missi fuerant. Prima siquidem hæc cura fuit DD. Abbatum Ottoburæ congregatorum, qua nimirum ratione Convictum aliquem excitarent, in quo sub disciplina sui Ordinis Patrum novellæ Monasteriorum plantationes, juniores Fratres, in omni scientiarum genere erudirentur, quemadmodum ingenti cum fœnore id præstabant Patres Societatis JEsu in Convictu Dilingano, ubi Otho ex S. R. I. Dapiferis de Waldburg Episcopus
b Augustanus, ac S. R. E. Cardinalis [*] occasione Gymnasij Benedictini Elchinga Dilingam translati Seminarium pro juvenibus ad Ordinem Ecclesiasticum aspirantibus instituit, illudque Anno MDLIV. duodecimo Calendas Junij per D.Stephanum Abbatem Monasterij S. Crucis Donawerdæ in Academiam convertit, quam demum Anno MDLXIV. decimo sexto Calendas Septembris Patribus Socie-
c tatis JEsu concredidit. [*] Salisburgi itaque in Monasterio S. Petri instruebatur Convictus Religiosorum, ordinato primo eorumdem Regente *P. Martino Steinegg* Monacho D. Blasij, a quo etiam primas regulas, & optimam vivendi normam Convictores Religiosi acceperunt. Constitutus is postea Prior Monasterij Michaëlburani florentem in Monasterio S. Blasij disciplinam monasticam illuc quoque transplantavit Año MDCXXI. sub Abbate Michaëlburano Udalrico. Redijt inde ad Monasterium

P. Martinus Steinegg e S. Blasio primus ejusdem Regens.

Ejus elogium.

d 2

[*b*] *Otho Canonicus Augustanus & Spirensis, nec non Decanus Tridentinus, Anno* 1543. 10. *Maij Episcopus Augustanus eligitur, renuntiatus postea Anno* 1554. *a Paulo III. P. M. S. R. E. Cardinalis, obijt Romæ Anno* 1573. 2. *Aprilis.*

[*c*] P. *Corbin. Kham* Hierarch. August. p. 1. Cath. cap. 6. class. 4. sect. 6. *Quod vero Paneg. Molheim* l. 4. c. 6. *annum* 1563. *ponit, de prima traditione, quæ ex parte solum facta est, intelligi debet.*

rium S. Petri ut communi Novitiatui præesset, ac insimul nobilis Parthenonis Nunbergensis Patrem Spiritualem ageret; sed, cum veteranis regendis viri pietas & experientia sufficeret, Anno MDCXXIII. Idibus Junij a Celsissimo Principe Paride Lodronio Monasterio S. Petri Prior præficitur. Obijt tandem Martinus in S. Blasio Anno MDCLIX. quarto Nonas Augusti non sine opinione eximiæ pietatis.

XX. *Confœderatio Academica quorumdam DD. Abbatū.*

Ut autem domi feliciter progredientibus Musis, externum eisdem auxilium, quod arctiori fœdere adunata Monasteria ferre debebant, obtineret Gregorius Ottoburanus Abbas usus est opera P. Jeremiæ Meyer, ejusdem loci ascetæ, cui ad Sueviæ, Helvetiæ, & Bavariæ Cœnobia dimisso, præter literas ab Archi-Episcopo datas, ipse quoque epistolam gravissimis verbis scriptam, atque rationum momentis, quæ rem urgebant, refertam tradidit. Peragrata exinde Suevia Helvetiaque pridie Nonas Julij in Hercynianam Sylvam venit P. Jeremias, ubi facili negotio Congregationem San-Blasianam in suam sententiam pertraxit, propterea. quod Celsissimus Princeps ad Abbatem S. Blasij Martinum ex Synodo Constantiensi sibi notissimum hac super re literas dederit. Confirmavit eundem S. R. I. Princeps & Abbas San-Gallensis, qui & ipse confœderationis chartam nuper probaverat. Unde allato nuntio de San-Gallensis Principis accessione, v. Calendas Octobris sequentia ad P. Jeremiam perscripsit Abbas Ottoburanus. „*Quanta lætitia intellexerimus, tandem optimum* „*Principem & Abbatem S. Galli nostris importunis precibus* „*expugnatum in nostra concessisse, & chartam confœderationis* „*subsignasse, nec dicendo nec scribendo expresserimus. O fe*-„*lix hora & faustissima dies, quæ nobis hunc faustum attulit* „*nuntium! jam plenissime speramus, tandem rediisse tempus,*

„quo Deus constituerit per nos indignos & his extremis tem-„poribus propter merita S. Patriarchæ nostri Benedicti, Or-„dini nostro sancto pristinas excitare benedictiones. Benedi-„ctus sit in secula, qui toties repetitas preces nostras humiles „non despexit, nec irritas esse voluit; modo nulla adversa for-„midamus, cum omnia nobis videantur in securo, In calce tandem de Monachis San-Blasianis ita prosequitur. *„Dum has concludo circa octavam noctis, ecce „novus exspectatissimus nuntius, adesse quatuor e S. Blasio, „duos Presbyteros & duos Juniores, quorum priores duo do-„cendi & Nobis adjungendi, posteriores discendi causa Salis-„burgum diriguntur. Ecce quanta gaudia una die, una qua-„si hora: vix me contineo, quin exclamem: nunc dimittis ser-„vum tuum Domine"*

Haud inane erat augurium istud, preces pro majori Ordinis Benedictini incremento a Deo T. O. M. exauditas esse, postquam ad perpetuam Musarum Salisburgensium stabilitatem confœderationis chartas plures, quam initio sperabatur, subscripserunt: ea ex authographo talis est.

„Nos Abbates Ordinis S. Benedicti in Germa-„nia, quorum Nomina infra sunt adnotata, præsen-„tibus literis notum & testatum esse volumus: Quod „cum Jllustrissimus & Reverendissimus Princeps & „Dominus Dominus Marcus Sitticus Archi-Episco-„pus Salisburgensis, Apostolicæ Sedis Legatus na-„tus &c. matura deliberatione atque unanimi adsen-„su Reverendissimorum DD. Canonicorum Sui Ca-„pituli Cathedralis præcedente, ad Omnipotentis „DEi cumprimis, nec non Beatissimæ Virginis Ma-„riæ, SS. quoque Petri & Pauli, ac BB. Ruperti & „Virgilij Urbis ac Diœcesis Salisburgensis Patrono-„rum majorem honorem & gloriam, tum ad ædifi-„cationem & utilitatem suorum Subditorum, to-

tius-

„tiusque S. Matris Ecclesiæ decus & incrementum in „sua Metropoli Academiam seu Universitatem eri„gere, ejusdemque Administrationem & guberna„tionem RR. DD. PP. de familia Ordinis S. Bene„dicti, atque ijs specialiter, qui in dictæ suæ Celsi„tudinis Archi-Diœcesi comprehenduntur, motu „proprio, & singulari mentis in præfatum Ordinem „Benedictinum favore & propensione gratiose com„mittere destinasset. Nos vero PP. præmemorati „Provinciæ Salisburgensis re diligentius perpensa, „& cum nonnullis alijs externarum Provinciarum „DD. Abbatibus communicata minime nostris viri„bus tantum tribueremus, ut prædictum institutum „per nos solos idoneis personis perpetuo propagare „nos posse consideremus; atque ea de causa nos quo„que externarum Provinciarum Abbates, ut illud „nobis,& per nos toti Ordini comune faceremus,ejus„demq; conservationem in perpetuum in nos susci„peremus, a prædicto Jllustrissimo Principe & Archi„Episcopo gratiose rogati essemus. Igitur attendentes „specialem imprimis illam gratiam & favorem præ„fatorum Jllustrissimi ac Reverendissimi Archi-Epi„scopi, nec nonReverendissimorum DD. Canonicorū „Ecclesiæ Cathedralis Salisburgensis, quibus nostro „Ordini Benedictino specialiter gratificari intendunt; „utilitatem quoq; considerantes,quam ex eodem Aca„demico instituto tum in dicta Salisburgensi Provin„cia, tum in tota S. Ecclesia, tum deniq; in antiquissi„mo Ordine nostro Benedictino emersuram minime „dubitamus, præfatorumque Jllustrissimæ Celsitu„dinis ac Reverendissimorum DD. Canonicorum „Capitularium oblationi & propensioni responden„tes, petitioni eorumdem libenter una omnes infra „scripti annuimus, nostramque operam ad hoc præ-

„cla-

„clarum opus roborandum, stabiliendum, & con„servandum parati offerimus, simulque pro nobis „ac nostris Successoribus dictæ Academiæ Salisbur„gensis conservationem juxta conventa & pactata in„ter nos & prædictum Jllustrissimum Archi-Episco„pum, nec non Reverendissimos DD. Canonicos „Capitulares inita perpetuo in futurum & ex nunc „præsentium tenore suscipimus, & insuper pollice„mur, nos eas personas ad dictam Academiam di„recturos, quæ eam verbo & exemplo ornare, illu„strare, & conservare valeant. Atque ut hæc no„stra promissio majorem vim ac robur obtineat, & „de eadem certius constet, eam in publicum hoc in„strumentum referri curavimus, nec non sigillis & „propriarum manuum subscriptione roborare, & „confirmare voluimus. Actum Augustæ Anno par„tæ Salutis Millesimo sexcentesimo decimo octavo, „Octavo die Octobris.“

Georgius Abbas Ottoburanus, & p. t. Præses.	Joachimus Abbas *Petrensis Salisburgi, & Assistens perpetuus.*	Martinus Abbas *S. Blasij.*
Udalricus Abbas *Beürensis.*	Andreas Abbas *apud S. Vitum.*	Joannes Henricus Abbas *Nideraltachensis.*
Michaël Abbas *Montis S. Andechs.*	Gregorius Abbas *Wessofontanus.*	Carolus Abbas *Ursinensis.*
Joannes Abbas S. Udalrici & Afræ *Augustæ.*	Joannes Abbas *Monasterij Thierhauptani.*	Stephanus Abbas *Monasterij Scheyrn.*
Balthasar Abbas Monasterij S. Crucis *Werdæ.*	Joannes Abbas *Deggingensis.*	Joannes Abbas *Neresheimensis.*

Sigis-

Sigismundus Abbas *in Seon.*	Joannes Abbas *in Elchingen.*	Paulus Abbas *in Tegernsee.*
Joannes Abbas *in Benedictbeüren.*	Georgius Abbas *Hærostephanianus.*	Joannes Abbas *Mettensis.*
Georgius Abbas *Mallerstorffensis.*	Melchior Abbas *Weltenburgensis.*	Lucas Abbas *Brunvenigensis.*
Hieronymus Abbas zu St. Emmeran in Regenspurg.	Benedictus Abbas *ad S. Iacobum Ratisbonæ Scotorū.*	Vitus Abbas *ad Antiquam Quercum Superiorem.*
Maurus Abbas *Aspacensis.*	Casparus Abbas *Fornbacensis.*	Petrus Abbas *Cellæ Mariæ in pede Castrorū Prenberg.*
Joannes Abbas *in Rott.*	Conradus Abbas *in Ættl.*	Jacobus Abbas *Blanckstadianus.*

Ordinem in Subscriptione eundem servavimus, quem ipsæ Confœderationis tabulæ tenent. Primi namque, qui subscripserant, fuerunt Præsules Ottoburanus, S. Petri Salisburgi, S. Blasij in nigra Sylva, Beurensis, ad S. Vitum, Nideraltachensis, Andecensis, Wessofontanus & Ursinensis: Reliqui horum exemplum secuti anno subsequente accesserunt. Præter hos DD. Abbates in simili fere charta, nisi quod initum fœdus ultra decennium se non extenderet, ex Congregatione Helvetica operam suam condixerunt D. Bernardus S. R. I. Princeps & Abbas S. Galli. D. Augustinus S. R. I. Princeps & Abbas Einsidlensis. D. Joannes Jodocus Abbas Murensis. D. Eberhardus Abbas Rhenoviensis.

Confœderatio decennalis Abbatum Helvetiæ

XXI. Cæterum prodierunt diebus istis primitiæ Thesium Philosophicarum *universalis & prædicamentis*, uti

&

Primitiæ Thesium Philosophicarum. & *de interpretatione, nempe de natura & affectionibus enuntiationis categoricæ tam absolutæ quam modalis*, Præside P. Alberto Keuslin Monacho Ottoburano AA. LL. & Philosophiæ Professore ordinario. Has Reverendissimorum ac Jllustrissimorum DD. Paridis e Comitibus de Lodron Præpositi Salisburgensis, DD. Joannis Krafft de Weittingen Decani Metropolitani, totiusque Reverendissimi Capituli Cathedralis Ecclesiæ honoribus Nonis Junij dicabant RR. FF. Franciscus Chulotus San-Blasianus (factus An. MDCXXXVIII. sui Cœnobij Abbas) Casparus Groz Can. Reg. S. Augustini in Monasterio Garsensi, & Casparus Ableuthner ad S. Vitum cis Rhotam in Bavaria professus. Illas decimo octavo Calendas Julij sub auspicijs Celsissimi Principis & Archi-Episcopi Juvaviensis publice propugnabant RR. FF. Joannes Burgstaller, Zacharias Poz, & Leander Pœckh, ex Monasterio S. Lamberti in Styria.

XXII. *Obitus Marci Sitici Fundatoris Gymnasij.* Octavus postea Octobris dies Anni MDCXIX. lugubres nænias universæ Archi-Diœcesi intulit in pijssimo obitu Marci Sittici Fundatoris Gymnasij, postquam laudabilissime præfuisset Annis VII, Mensibus VI, diebus XXI. Ortum trahebat ille ex illustrissima Embsiorum, seu Amisiorum, vel ut hodie vocari amat, Hochembsiorum S. R. I. Comitum prosapia, quam aliqui tanquam inter Rhætos vetustissimam a Theoderico quodam ab Embs, qui ludis Trojanis Coloniæ An: MCLXXIX. celebratis interfuit, deducunt. *Ejus Stemma.* Nobis compendij nostrique consilij gratia sufficiat, eam ordiri a Wolfgango Theoderico, quem primum Comitis dignitate insignitum legimus. Viro huic summæ authoritatis & famæ in conjugem elocata est Clara Medicea, Bernar-

di Medicei & Cæciliæ Serbonellæ filia, ac soror *Joannis Jacobi* Marchionis Mariniani, cujus res præclare gestas Puteanus literis commendavit: uti & *Joannis Angeli* Anno MDLIX. ad summum Pontificatum sub nomine Pij IV. evecti. Filios habuit Wolfgangus Theodericus Marcum Sitticum, Jacobum Hannibalem, & Gabrielem, e quibus hic improlis fuit. *Marcus Sitticus* primam juventam militiæ dedit sub avunculo Mediceo: At Pio IV. ad Pontificatum ascendente, mox seculo nuntium remisit, vitamque clericalem elegit. Episcopatu proin Cassanensi, eoque resignato Constantiensi mitra, ac demum Anno MDLXI. Cardinalitia Purpura donatus est. Legatione præterea Avenionensi & Piceni, Archi-Presbyteratu S. Joannis Lateranensis, majoris Pœnitentiarij munere, & Abbatia Casæ Novæ auctus e vita discessit Romæ Anno MDXCV. decimo quinto Calendas Martij. (*) *Jacobus Hannibal* itidem inter arma vitam transegit tanta meritorum gloria, ut Pius IV. & V. Summi Pontifices Ecclesiastici exercitus supremum gubernatorem voluerint. Dotatus postea a Philippo II. Hispaniarum Rege Comitatu Galeratensi in Insubria, denique a Ferdinando Augusto in numerum S. R. I. Comitum, nec non Ordinum Circuli Suevici assumitur (*) Genuit *Jacobus* ex Hortensia Borromæa Gilberti Comitis Aronæ filia sororeque S. Caroli Borromæi Archi-Episcopi Mediolanensis & S. R. E. Cardinalis, *Casparum* (*) nostrum *Marcum Sitticum*, & *Wolfgangum Theodericum*, Viros toga sagoq; clarissimos.

d e f

Bre-

[d] *Eggs* Purp. doct. lib. 5. *Ciacon.* Hist. Pont. & Card. p. 3.
[e] *Imhoff.* in not. S. R. I. Procerum lib. 7. cap. 6.
[f] *Ejus filius Jacobus Hañibal, quem ex Leonora de Welsperg suscepit, cōmunis eorum, qui Germaniam ex hac stirpe incolunt, avus est.* Imhoff. l. c.

XXIII. Brevem Genealogiam iſtam ideo potiſſimum adduximus, ut, licet aliud ſit naſci a magnis, aliud magnum naſci, ſcias tamen hæreditariam prope Marco Sittico virtutem, & a ſuis illuſtriſſimis Majoribus una quaſi cum lacte fuiſſe derivatam; hinc aliena gloria haud contentus, propria nominis dignitate avitum Progenitorum ſplendorem illuſtrare ſtuduit. Ecclesiarum Cathedralium, Auguſtanæ Anno MDCV., Conſtantienſis & Metropolitanæ Salisburgenſis Anno MDLXXXVIII. Canonicus mira vitæ integritate ita ſeſe omnibus probavit, ut illius Præpoſitus, hujus etiam Archi-Epiſcopus Anno MDCXII decimo quinto Calendas Aprilis potioribus eligentium votis renuntiatus fuerit. Vix ad clavum ſedere cœpit, & confeſtim ad exſtruendam Baſilicam Cathedralem, quam Anno MDXCVIII. flamma conſumpſerat, animum applicuit, (*) eamque ad tectum uſque [plus ultra progredi anguſta vitæ tempora non ferebant] perfecit. Celeberrimo dein horto, quem unus ab urbe lapis ſeparat, manum admovit, tanta amœnitate, tantoque artificio, ut, quotquot ſuaves ejus delitias hucuſque ſpectarunt, ingenue profeſſi fuerint, eum jure optimo Clarumfontem [Helle-Bron] nuncupatum, utpote ubi hydraulica, ſtatuaria, pictoria, aliæq; artes ſtrenue ſuas locavere operas; quin ipſæ Muſæ Salisburgenſes ibidem ſumis Principibus non ſemel docta ſpectacula præbuerunt in theatro e vivo lapide exciſo. Ab hoc Tuſculano iterum ad pietatis & religionis opera ſe convertit pientiſſimus Princeps.

Et præclara merita.

g

e 2

[g] *Wolfgangus Theodericus nova Baſilicæ, per Epiſcopum de Polo Suffraganeum ſuum, primum lapidem poni curavit Anno* 1611. 8 *Aprilis. Sed, cum totum ædificij opus illius temporis turbæ abrupiſſent, Marcus Sitticus Anno* 1614. 14. *Aprilis denuo primum eidem lapidem ſubſtravit. P. Mezger* Hiſt. Salisb. lib. 5. cap. 16.

ceps. Divorum siquidem Patronorum S. Lypsana, quæ antecessor Wolfgangus Theodericus destructo templo Metropolitano in Archi-Episcopali palatio recondidit, in parochiali Ecclesia apud RR. PP. ex Ordine S. Francisci publicæ venerationi exposuit, ibidemq; Sacellum S. Carolo Borromæo sacrum construxit. Fratribus Joannis Dei [vulgo Barmherzige Brüder] Ecclesiam S. Marci una cum adjacente
h Monasterio Anno MDCXVIII. concessit. (*) Beatissimæ vero Virgini Einsidlensi in Helvetia ædiculam nigro marmore vestitam elegantibus quoq; e candido marmore statuis exornavit. Deniq; magnum illud Clerum reformandi & hæreses exstirpandi studium, a Wolfgango Theoderico An: MDLXXXVIII. excitatum, Marcus Sitticus noster nova Scholarum & Magistrorum instauratione plurimum auxit & locupletavit, procul dubio facturus plura, ni superi ad alteram vitam, eamq; æternam vocassent. Demortui corpus in Sacello ab ipso, ut diximus, in honorem S. Caroli exstructo conditum, postea Anno MDCXXIX. in Ecclesiam Metropoliticam jam perfectam translatum est. Vitæ ejus Epitomen ita ex Poëta Salisburgensi expressit P. Corbinianus Kham Monachus Benedictinus ad Ss. Udalricum & Afram Augustæ Vindelicorum professus, atque Anno 1662. in matriculam Universitatis nostræ & Religiosi Con-
i victus relatus. [*]

A fundamentis absumptas erigis Ædes
Divis Ruperto Virgilioque sacras.
Gymnasium instituis, teneram formasque juventam
Egregijs studijs, & pietate pari.

Pesti-

[*h*] *Recesserunt rursus Salisburgo prædicti Fratres Joannis Dei, quorum Monasterium Anno 1624. Archi-Episcopalibus alumnis cessit.*

[*i*] *Hierarch.* August. p. 2. Collegiali cap. 9. class. 3.

Pestiferam sectam penitus proscribis ab agris,
 Doctrinæque novæ nullus in orbe locus.
Delicias animo curarum mole gravato
 Præbes, perspicuo fonte ubi manat aqua.
Sed brevis hora tui imperij, cum transijt æstas
 Septima, conscendis sydera, fordet humus.

XXIV. Dolorem omnem, quem mœrentes Musæ conceperant, denuo absterſit dies decimus tertius Novembris, quo communi omnium Ordinum jubilo Archi-Episcopus proclamatus est *PARIS COMES LODRONIUS*, inter tumultuantia undiq; Bohemici ac Suecici Martis classica, singulari sua prudentia, fortitudine, & experta in rebus gerendis dexteritate commisso sibi gregi insuperabile præsidium, Universitatis vero gloriosus Fundator futurus, pro cujus majori emolumento ea ipsa die, qua Marcus Sitticus æternitatem adiens eam viduatam reliquerat, DD. confœderati Abbates conventum Augustæ Vindelicorum indixerant, ut, ita volente Principe, primum Gymnasij Præsidem & Assistentes eligerent. Præsentes aderant Abbates, Ottoburanus, Neresheimensis, Schyrensis, Andecensis, Seonensis, Ss. Udalrici & Afræ Augustæ: Commissarij DD. Abbatum *P. Romanus Haij* Prior Ochsenhusanus, *P. Tobias Rösch*, Monachus ad S. Blasium in Sylva nigra, Priores ex Monasterijs Thierhauptano, & Deggingensi, *P. Carolus Bader* Cellarius Wessofontanus, Reliqui, quos propria negotia domi detinebant, in eosdem compromiserant. Postquam igitur in suffragia itum esset, primus studij Salisburgensis *Præses* ex urna prodijt D. Gregorius Abbas Ottoburanus. *Assistens perpetuus* D. Joachimus Abbas S. Petri. *Assistens Provinciæ Suevicæ* D. Martinus Abbas S. Blasij in Syl-

Primus Gymnasij Præses & Assistentes.

Sylva nigra. *Assistens Provinciæ Bavaricæ* D. Michaël Abbas Andecensis. *Assistens Provinciæ Helveticæ* D. Joannes Jodocus Abbas Murensis, seu potius DD. Augustinus S. R. I. Princeps & Abbas Einsidlensis, quorum tamen neuter oblatam provinciam suscepit. Inter alia, quæ in memorato Conventu ventilata & conclusa sunt, sancitum quoque, ut novus Præses proprium sibi Sigillum confici curaret, in quo sub effigie S. Patris Benedicti Leo excubaret, cum inscriptione: *Sigillum D. Præsidis Universitatis Salisburgensis Ordinis S. Benedicti.* Utitur hoc Sigillo hodiedum Reverendissimus Universitatis Præses: Academia autem servat Insignia gentilitia sui Fundatoris Paridis Lodronij, quibus singulæ facultates sua apposuere insignia.

XXV. *Initium Congregationis D. V. in cœlos assumptæ.* *k*

Suscitabatur eodem anno ad majus pietatis & devotionis augmentum Congregatio sub invocatione B. Virginis in cœlos assumptæ, cui decimo Calendas Octobris ritu solenni promulgatæ, habitoque desuper Mense Octobri primo Sodalium conventu, certatim plurimi nomen dabant. [*] Divisa est hæc Congregatio annis sequentibus, cum Gymnasium in Universitatem surrexisset, *in Majorem*, qua DD. Studiosi Academici, *& Minorem*, qua minores in scholis inferioribus comprehenduntur. Major Congregatio denuo in duas classes distincta: Una est *Sodalium Studiosorum*, quorum gratia primitus instituta fuit Congregatio, omnesque in matriculam Universitatis recepti juxta Statuta Anni MDCXLVII. nomen eidem dare tenentur: Altera est *extraneorum*, qui nunc extra Stu-

[*k*] *P. Benedictus Gebelius quondam Archivarius Monasterij S. Blasij* MS. Comp. Hist. Univ. Bened. Salisb. *quod ex Archivo San-Blasiano collegit Anno 1673. in fol.*

Studia Academica constituti, aut tanquam Studiosi olim Congregationis Albo inserti fuerunt, aut postea eidem inscribi postulant. Senatum porro Marianum utraque classis pari numero constituere solet, ita tamen, ut inter Sodales studiosos soli DD. Theologi & Juristæ in Consultores assumantur, reliqui minoribus officijs fungantur. Utrique huic Congregationi, majori & minori, unus ex PP. Professoribus a Reverendissimo D. Præside Universitatis ceu Pater spiritualis & Præses præficitur, qui publicis Sodalium conventibus præest, ac diebus dominicis statisque Festis ad eosdem verba facit. Extant typis excusæ ejusmodi *Orationes Parthenia Panegyrico - parænetica in majoribus Festis B. V. dicta ad Sodales Marianos inclyta Congregationis Majoris, authore P. Paulo Mezger Monacho S. Petri Salisburgi.* Sed denuo ad literarum studia nos convertimus.

XXVI. Anno itaque MDCXX. missi sunt a Paride Lodronio ad Romanum Imperatorem ea ætate Ferdinandum II. non semel Legati Libellique supplices, qui pro instituenda graviorum artium ac scientiarum Schola solicitarent. Juvit ut plurimum Archi-Episcopi preces consilium Imperiale Aulicum IV. Nonas Maij ejusdem anni celebratum, Cæsarique porrectum, ut suprema authoritate sua novam Academiam firmare, suetisque Privilegijs exornare dignaretur, cum prudentissimi DD. Consiliarij non dubitarent, fore, ut, si Patres Benedictini juxta primævum Ordinis m sui florem Scholas reassumerent, (*) pro majori S. R. Ecclesiæ honore, imo non modico solidæ literaturæ augmento pia æmulatio & ardor inter alios Ordines excitaretur. Com-


[m] *Vid.* n. 7. Epilogi Aulæ Ecclesiasticæ, *auctore P. Romano Haij Monacho Ochsenhusano.*

Commotus haud difficulter Ferdinandus Imperator eodem adhuc anno solenni Diplomate Gymnasium Salisburgense Academiam dixit, simulque bene meritos Baccalaureatus ac Magisterij gradibus condecorandi facultatem impertivit: qua tamen haud satur Celsissimus Princeps Paris repetitis tandem precibus obtinuit, ut Musis Salisburgensibus novo amplissimoque Diplomate datum fuerit, ex singulis Facultatibus quosvis, eosque supremos conferre Gradus. *vide Cap. III.* Quod vero non nisi An: MDCXXII. Privilegium istud Salisburgum delatum fuerit, remoram objiciebat tum ubique nota illis diebus pecuniarum caritas, tum Apostolicæ Sedi persolvendæ Annatæ, (*) quæ invitas liberalissimi Principis manus retinebant, ne Cæsareum Diploma, ut ipse omnisque Provincia optaverat, citius procuraret, prout accipimus ex literis P. Rectoris ad Abbatem S. Blasij 22. Decembris datis. *Quoad Illustrissimum nostrum tantum abest, ut animus desit, cum plurimum faveat, & foveat; nec dubium plura & inexspectata eundem facturum, cum paulo Mars, qui nummos Musis destinatos invito Principi absorbet, quieverit. Ex Reverendissimo Capitulo nemo est, qui non cupiat rem nostram promotam. - - - - Nos, adibus nostris, & Collegio S. Caroli sufficienter absoluto, circa Calendas Januarij e S. Petro illuc migrabimus, venturis Fratribus (modo quadraginta duos numeramus) daturi locum.*

XXVII. *PP. Benedictini in novum collegium migrant.* Migrarunt in novum hoc Collegium Patres Professores Nonis Januarij in vigilia Epiphaniæ Domini Anno MDCXXI. Et quoniam indefesso Patrum Salisburgensium labore ubertim florere incipiebant Literæ, continuo aliud Gymnasium in Urbe Radstatt

[n] *Pallium accepit a Paulo V. P. M. in festo Inventionis S. Crucis decimo septimo ab electione mense.*

dienſi excolendum iiſdem tradidit *Paris Lodronius.* Diſtat Radſtadium (*) Salisburgo novem milliaribus, loco amœno & nonnihil edito, aëre ſalubri, optimis civibus, ac cunctis ad vitam humanam neceſſarijs abundans, quodque ex ſola Parochia urbica, quæ Gymnaſij uſibus ceſſerat, facile quotannis mille ſexcentos florenos ſubminiſtrabat. Hinc Septimo Idus Maij in Ottoburano Monaſterio, quorſum Gregorius Abbas, Studij noſtri Præſes, Dominos Aſſiſtentes convocaverat, ab eorum delegatis *P. Sylvano Herzog* Rectore Gymnaſij, *P. Tobia Rösch* Monacho S. Blaſij in Sylva nigra, *P. Nicolao Chriſtelio* Subpriore Andecenſi, Radſtadiani Studij adminiſtratio & cura unanimi calculo ſuſcepta fuit, deſignato primo Radſtadiani Gymnaſij Præpoſito *P. Joanne Stromayr* Monacho Elchingenſi, cui Anno MDCXXIV. in officio ſucceſſit *P. Gregorius Zettel* Monachus Oberaltachenſis, & huic *P. Placidus Simon* ex Monaſterio Aſpacenſi, ſub cujus Præpoſitura varias ob cauſas An: MDCXXVIII. quarto Nonas Februarij totum Studium intermiſſum fuit, ne a vicina adeo filia Mater quid detrimenti pateretur. Viſitur nunc ibi Monaſterium PP. Capucinorum,



F CA.

(*) *Megiſero Teurnia; Lazio Taurina & Taurachſtadium.*

CAPUT III.

Solenis inauguratio Universitatis Salisburgensis. 1. Cæsarea ac Pontificia Privilegia. 2.

Annus MDCXXII.

XXVIII. ADumbravimus hucusque ortum & progressum Gymnasij Salisburgensis: jam, ut Universitatis natales Anno MDCXXII. (*) feliciter exortos commemoremus oportet. Videbantur quidem contra niti viciniora Literarum emporia: at incassum; fortunarunt Superi pium Principis molimen, ad quorum gloriam præprimis tendebat. Avocato proin primo Gymnasij Rectore *P. Sylvano* Ottoburano Monacho, in Rectorem Magnificum e S. Blasio petebatur *P. Tobias Rösch* ex obitis Legationibus ad Abbates confœderatos nemini non acceptus, nec, seu doctrinam seu spectatam Viri prudentiam consideres, tanto munere indignus. Con-

[a] *Knichen* Op. Pol. lib. 2. p. 2. sect. 2. cap. 2: *Buddeus* in Lexico *anno* 1620. *P. Mezger vero* Hist. Salis. lib. 5. cap. 22. *Dücker* in Chron. Sal. *Hübner* Hist. quæst. p. 8. *anno* 1623. *ortum Universitatis hujus ponunt. Sed indubia nostra documenta iisdem contradicunt: nec miramur horum scriptorum opinionem, cum fors illos Cæsareum privilegium anno 1620 exaratum, hos vero anno primum 1623 perfecta fundatio in eandem induxerit.*

P. Tobias Röſch e S. Blaſio recuſat Univerſitatis rectoratū. Conſtanti nihilominus humilitate Rectoratum recuſavit, ut qui nuper ex Jtalia rediens debilitatas vires retulerat. Abbas poſtea Anno MDCXXIV. quinto Calendas Aprilis, interventu Sereniſſimi Leopoldi Archi-Ducis Auſtriæ, Monaſterio B. V. ad Schutteram in Briſgoja ſuffectus eſt: proprio motu data Monaſterio S. Blaſij Syngrapha, Virtute & Prudentia ſingulari conſpicua, quam ſimul conſpiciendam damus, ut ex ungue Leonem agnoſcat, qui plura de eo ſcire deſiderat.

XXIX. „ Ego *F. Tobias Röſch* in Præcelebri Monaſterio „S. Blaſij Sylvæ nigræ ab anno Domini 1603. Profeſ„ſus, ac anno 1623. ad Monaſterium B. Mariæ Vir„ginis in Schutteren Argentinenſis Diœceſis poſtula„tus, & dimiſſus Prior, tandemque anno 1624. ibi„dem in Abbatem electus, nec non (cum conſenſu „Reverendiſſimi Domini Martini Abbatis & RR. PP. „Conventualium Monaſterij S. Blaſij Dominorum „meorum &c Obſervandiſſimi, & perquam obſer„vandorum) confirmatus ac ſolenniter benedictus, „profiteor, & ſincero animo coram Deo & homini„bus proteſtor, me a præfato Reverendiſ. Domino „Martino Abbate Domino meo ſemper gratioſiſſimo „(ſub cujus felici regimine ejuſdemque auſpicio, & „nutu in Monaſterium ſuſceptus, bonis diſciplinis „inſtructus ad Profeſſionem ac Presbyterium promo„tus, meraque liberalitate in publicis Gymnaſijs, Aca„demijs & Univerſitatibus, ultra IX. annos Sacrarum „& profanarum literarum ſtudijs ſum imbutus) nec „non a dictis PP. Conventualibus, Confratribus meis „medullitus mihi chariſſimis, tot tantiſque affectum „eſſe beneficijs, gratijs & favoribus ſpecialibus, ac „eo paternæ & fraternæ Charitatis affectu ſemper

f 2 „com-

„complexum, promotum, honoratum, (quod & „deinceps facturos nil dubito) ut ijsdem rependendis „plane impotem, ac perpetuum debitorem me mo- „dis omnibus agnoscam. Proinde me & servitia „mea (quantum sine præfati Monasterij Schutterani „detrimento fieri potest) ipsis Reverendissimo Ab- „bati Martino, ac Venerabili Conventui S. Blasij post „Deum Opt: Max: denuo & impensius dico, obligo „ac æternum devincio. Et hinc quæcunque negotia „ejusdem Sancti Blasiani Monasterij, ubicunque & „apud quemcunque transigere potero, requisitus „transigam fidelissime. Si qua detrimenta eidem, „aut Reverendissimo Abbati, vel PP. Conventuali- „bus sæpe dictis imminere in bonis famæ vel fortu- „næ, aut quovis alio modo providero, aut ex rela- „tu percepero, ea omnia, avertere viribus proprijs, „aut alienis, vel fideli significatione ac præmonitio- „ne fidelissimus enitar. Quæcunque secreto si- „lentio tegenda per consultationes, & quascunque „vias hactenus intellexi aut intelligam, ea ut hactenus, „& uti Sacramentum Regis abscondita tenebo. Ut „verbo dicam, quidquid emolumenti eidem Sancti- „Blasiano Monasterio ac sæpedictis Reverendissimo „Abbati, Conventui, ac eorum Successoribus præ- „stare, & quæcunque incommoda ab ipsis avertere, „quibuscunq; licitis medijs potero, faciam studiosis- „sime, ad quod & summe obligatum me libere, spon- „te, ac propria animi inductione agnosco & semper „agnovi. Idem etiam supradicto Schutterano Mo- „nasterio, ejusque Conventui, & bonis temporali- „bus ac Spiritualibus præstare conabor, quamdiu ei- „dem præfuero, ubi & disciplinam religiosam intra „& extra Chorum provehere pro viribus conabor, „pro qua restauranda & propaganda potissimum po-

stu-

„ſtulatum ac dimiſſum me ſcio. Si quando vero ſuis „de cauſis ibidem Abbatiam reſignaro, aut bellis, „alijſque humanis infortunijs pellerer (quod Deus „avertat) ac in eodem Sanct-Blaſiano Monaſterio, „uti Profeſſionis meæ loco, tanquam genuinus Con-„ventualis me ſtitero, ſingularitatem nullam affe-„ctabo, non ut Abbas, ſed ut Conventualis (qualis „perpetuo ex animo permanebo) tractari, ac loco „priſtino quoad ſenium intra & extra Chorum ubiq; „contentus manebo, neque dignitatem aliquam, aut „præpoſituram, parochiamque aut quodcunque tale „affectabo, aut quacunque praxi procurabo, niſi „quod Monaſterij Superiores ultro mihi, prout cui-„cunq; Conventuali contulerint: Multo minus dum „extra Profeſſionis meæ Monaſterium extitero, tale „quid tentabo ſive per literas Apoſtolicas, aut Jm-„peratorias, aut per quemcunque Principem Eccle-„ſiaſticum, aut ſecularem, ſive per aliud qualecun-„que medium, ſed ſimpliciter, & germanica, ac re-„ligioſa jurata fide ſæpius memoratis Monaſterio S. „Blaſij Reverendiſſimo Domino Abbati Martino, & „PP. Conventualibus eorumque Succeſſoribus ob-„ſequens, promptus & fidelis permanebo, dum Spi-„ritum traxero. Interim quæ in abſentia mea active „& paſſive agentur, tractabuntur, concludentur, „rata habebo, majora & ſaniora: nec ulla exceptio „ob mei abſentiam valeat volo. Sic me Deus adju-„vet, & omnes Sancti ejus. In cujus rei fidem, hæc „ipſe proprio motu concepi ingroſſata ſubſcripſi, ac „Ordinarij mei Abbatialis Sigilli appenſione munivi. „In Monaſterio S. Blaſij die 30. Maij anno 1624.

Idem qui ſupra *F. Tobias Röſch* Monaſterij S. Blaſij Conventualis & Schutterani Abbas indignus.

De-

Demum inter communes belli Germanici turbines decimo quarto Regiminis Anno Exulans Offenburgi obijt MDCXXXVIII. quarto Calendas Augusti.

XXX. Recusatas ejus vices suscepit *P. Albertus Keuslin* Monachus Ottoburanus, primus Universitatis Rector Magnificus creatus Calendis Augusti. Accersiti quoque, cum omnia ad inaugurationem pararentur, viri doctrina clarissimi, ac tandem evocata ex circumjacentibus locis juventus. Hæc cura Principis fuit, qui exteris & indigenis ad novam hanc Scholam invitatis libertatem, opemque adversus omnem injuriam, violentiamque promittebat: Illud Reverendissimus Universitatis Præses satagebat, cujus hortatu D. Gratianus Frettsius e Mediolano Abbas & Præsidens Congregationis Cassinensis *Thomam Marianum* Panormitanum, Monachum humanis divinisque literis ad miraculum usque excultum; & D. Henricus Abbas S. Pantaleonis ac Præsidens principalis Congregationis Bursfeldensis *P. Jacobum Horns* Theologiæ Professores submiserunt. Soli deerant Professores pro Cathedris Juris Civilis, quos mature Coloniensis & Friburgensis Universitates dederunt. Quapropter facta per universam Archi- Diœcesin denuntiatione, v. Idus Octobris prima Universitatis fundamenta ritu solenni hunc in modum jacta sunt. Convenerat circa horam septimam matutinam Senatus Academicus, nimirum

RECTOR MAGNIFICUS.

Primi Professores Academici.

P. Albertus Keuslin Monachus Ottoburanus.

PROCANCELLARIUS.

P. Thomas Marianus Congregationis Cassinensis Monasterij S. Martini de Scalis O. S. Benedicti Panormi Professus.

PRO-

PROFESSORES THEOL: SCHOLAST.

Primarius Idem P. Thomas Marianus, ac demum Año 1624. Juris Canonici Professor.

Secundarius P. Jacobus Horns Congregationis Bursfeldensis in Monasterio S. Martini Majoris Coloniæ Professus.

PROFESSOR S. SCRIPTURÆ.

P. Albertus Keuslin, qui supra Rector Magnificus.

PROFESSOR THEOLOGIÆ MORALIS.

P. Dionysius Richard ad S. Emeranum Ratisbonæ Professus.

PROFESSOR CODICIS.

D. Erhardus Brenzinger.

PROFESSOR INSTITUTIONUM.

D. Joannes Wilhelmus Graefs.

PROFESSORES PHILOSOPHIÆ.

P. Sebastianus Rhör Monachus Ottoburanus, *Physicus.*

P. Matthæus Weifs Andecensis, *Logicus.*

PROFESSOR MATHESEOS.

P. Simon Grab Monachus Wiblingensis.

PROFESSOR RHETORICES.

P. Erhardus Niggelius Monachus Schyrensis.

NOTARIUS UNIVERSITATIS.

D. Joannes Grönermbl.

Cathedræ *Medicinæ*, *Controversiarum*, *Ethicæ*, *Historiæ &c.* sequioribus annis primum occupatæ sunt.

Extra Senatum Academicum.

PROFESSORES AA. LL.

P. Lucas Heilig Neresheimensis, *Poëta.*

P. Ferdinandus Pröbstle Ursinensis, *Syntaxista.*

P. Gregorius Krättel Nideraltachensis, *Grammaticus.*

P. Christophorus Herpffer Deggingensis, *Rudimentista.*

Me-

XXXI. *Descriptio solennis inaugurationis.*

Media dein nona, ubi Celsissimus Princeps, quem totus Senatus Academicus ante fores collegij exceperat, elatiori in loco consedisset, ac una Reverendissimi DD. Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, pleraque Nobilitas, Consiliarij Archi-Episcopales, Senatus urbicus, Superiores Ordinum regularium, & ex primarijs Civibus aliqui in modum coronæ ejusque multiplicis in decoris subsellijs circumfusi totum pene locum implevissent, inter tubarum clangores cathedram conscendit *P. Thomas Marianus* Universitatis Procancellarius, eleganti prorsus stylo de Academiarum institutione & auspicijs, deque privilegiorum origine ac antiquitate ab ipso quasi nascentis Mundi exordio perorans. Thesis propugnabat absolutam privilegiorum necessitatem, Hypothesis autem omnia trahebat ad privilegium Salisburgensis Universitatis, cujus Patronum Celsissimum Archi-Episcopum *Paridem Lodronium* Orator sub finem summis laudibus extulit. Epilogus tandem Notarium publicum D. Grönermbl Jmperiali & Pontificia authoritate fulcitum totius Senatus Academici nomine convenit, ut Cæsareum Privilegium suetis cæremonijs promulgaret. Is ubi se promptum obtulit, sonuere classica, sub quorum applausu descendit *P. Thomas Marianus*, ac D. Notarius mensam apparatam occupavit; Inde, postquam breviter officij sui meminisset, atque ut id faustum felixque orbi literario eveniret, precatus esset, Privilegium *Invictissimi Ferdinandi II. Romanorum Imperatoris* graviter & distincte perlegit, nec non testes jam ante privatim a PP. Academicis requisitos rursus singulos imploravit, scilicet (Titl:) *Dom. Dom. Comitem de Liechtenstein* supremum Camerarium, *Dom. Dom. Wilhelmum L. B. de Welsperg & Primör*, *DD.*

b (*) *Dom. Dom. Nicolaum L. B. de Wolkenstein* Episco-
c pum Chiemensem, (*) *Dom. Dom. Joachimum de Stain*,
d e (*) *Dom. Dom. Eusebium de Tuliers L. B. de Fronberg*, (*)
f *DD. Joannem Sigismundum L. B. de Lamberg*, (*) Canonicos Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, Consiliarios pene omnes, L. Barones præsentes aliquot, Senatum Civium totum, Doctores præterea multos, atque e singulis Monasterijs Religiosos duos. Omnibus iterato assentientibus, D. Notarius, frequentissimæ studiosæ juventutis, quæ jam undique confluxerat, nomine, Celsissimo Fundatori gratias persolvit maximas. Mox lituorum & tympanorum clamor, quem Hymnus Ambrosianus *Te DEum Laudamus* festivam inter musicam excepit. Hoc modo velut in possessionem missi Professores, Academicas prælectiones auspicati sunt XVI. Calendas Novembris. Jam ipsum Diploma Cæsareum audiamus.

XXXII. *Privilegium Cæsareum.* ,, Ferdinandus II. Divina favente Cle-
,,mentia electus Romanorum Imperator semper Au-
,,gustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dal-
,,matiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex: Archi-Dux
,,Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, Styriæ, Ca-
,,rinthiæ, Carniolæ &c: Marchio Moraviæ &c: Dux
,,Luzemburgiæ, ac Superioris & Inferioris Silesiæ,
,,Wirtenbergæ & Teckæ, Princeps Sueviæ, Comes

G ,,Hab-

[b] *Fit Canonicus Salisb. an:* 1601. *Decan: ibid. an:* 1627. *Obijt an:* 1629.
[c] *Canonicus Salisb. anno* 1604. *Episcopus Chiem.* 1619. *Obijt Padua* 1624.
[d] *Instituitur Canon. Salisb. anno* 1611.
[e] *Anno* 1614. *Canon. August. & Salisb. Dicitur Decanus Salisb. anno* 1630. *moritur* 1637.
[f] *Canonicus Salisburg. anno* 1613. *Obijt* 1632.

„Habsburgi, Tyrolis, Ferretis, Kyburgi & Gorritiæ, Land-„gravius Alsatiæ, Marchio S.R. Jmperij Burgoviæ, ac superio-„ris & inferioris Lusatiæ, Dominus Marchiæ Sclavonicæ, Por-„tus Naonis & Salinarum &c.

„Ad perpetuam rei memoriam agnoscimus & notum fa-„cimus tenore præsentium universis: quod cum demisse nobis „exponi curavit Venerabilis Paris Archi-Episcopus Salisburgen-„sis, Legatus natus, Princeps devotus, Nobis dilectus, ante trien-„nium circiter Prædecessorem suum Marcum Sitticum Archi-„Episcopum, recolendæ memoriæ, singulari Orthodoxæ Reli-„gionis Catholicæ una cum Literis Humanioribus in Archi-„Diœcesi sua alijsque locis finitimis propagandæ studio incita-„tum, ad veram divini Numinis laudem, & perenne juventu-„tis commodum, in Civitate sua Archi-Episcopali Salisburgen-„si sub Tutela atque Patrocinio S. Caroli Borromæi Collegium „sive Gymnasium tanquam certum pietatis Christianæ semina-„rium, fundasse atque erexisse, & de redditibus sufficientibus „pro tempore providisse, ejusque curam, regimen & guber-„nationem Monachis & PP. Ordinis S. Benedicti ea conditione „commisisse, ut ibi præter divina Officia, & debitam disci-„plinæ regularis observantiam, in bonis etiam moribus, vir-„tutibus & diversis Artium liberalium scientijs & disciplinis ju-„ventutem aliasque personas instituerent, hac insuper promis-„sione adjecta, si conceptæ fiduciæ suæ optatus Studiorum pro-„gressus responderet, quamprimum pro conditione temporum „ac virium suarum fieri posset, curaturum se, ut de jam dictis „redditibus in perpetuum, eaque liberalitate provideretur, ut „quot Monachis ac Patribus pro Universali Studio seu Acade-„mia omnium Artium & Facultatum opus foret, congruam illi „ac sufficientem sustentationem haberent, nec non effecturum, „ut in illa palæstra ingenijs & disciplinis debita honorum or-„namenta suo tempore non deessent. Quod quidem insti-„tutum hactenus usque adeo feliciter cesserit, ut juventus ex-

„er-

„ercitijs id genus honeſtiſſimis illecta, aliunde etiam certa-„tim confluens ad majores aliquando functiones in Eccleſia „& Republica Chriſtiana dextre adminiſtrandas ſpem non con-„temnendam faceret. Unde prænominatus Archi-Epiſco-„pus Paris in eundem cum Anteceſſore ſuo pietatis ſcopum „collimans, & bene cœpta ad felicem exitum deduci, & ſe-„cundis auſpicijs, communi Subditorum ſuorum commodo „firmari atque ſtabiliri magnopere deſiderans, demiſſe No-„bis ſupplicavit, ut prædictam adeo proſpero ſucceſſu initia-„tam, & a ſe ſuisve Succeſſoribus quantocyus perficiendam „Fundationem & erectionem Gymnaſij S. Caroli Borromæi, „a ſuprema quoque Authoritate Noſtra Jmperiali ex nunc, pro-„ut ex tunc; & ex tunc prout ex nunc, non tantum approba-„re ratificare & confirmare, & in Auguſtalem protectionem „Noſtram ſuſcipere, ſed etiam in Univerſitatem Studij genera-„lis pro quibuſlibet liberalibus diſciplinis & licitis Facultatibus „ad inſtar Pariſienſis, Viennenſis, Colonienſis, Friburgen-„ſis, Ingolſtadienſis, & aliarum tam Italiæ & Galliæ, quam „Germaniæ Univerſitatum Studiorum generalium erigere, & „ijſdem Privilegijs, Honoribus atque Immunitatibus Acade-„micis ornare clementer dignaremur.

„Nos ſane benigne conſiderantes opus illud non minus „ad Dei gloriam, quam communis Reipublicæ utilitatem, & „perpetuam animarum ſalutem pertinere, pro benigno No-„ſtro erga Devotionem ſuam affectu ejuſdem petitioni, quip-„pe cui ratio & æquitas ſuffragatur, clementer annuendum „duximus, ut vigore præſentium annuimus. Ac proinde „ex certa noſtra ſcientia, animo bene deliberato, ſano acce-„dente conſilio, & de Cæſareæ poteſtatis noſtræ plenitudine, „memoratam in Urbe Salisburgenſi bene cœpti Gymnaſij fun-„dationem & erectionem ſuo tempore competenter ac in per-„petuum, uti præfertur, ſtabiliendum, ex nunc prout ex tunc, „& ex tunc prout ex nunc benigne approbavimus, confirma-„vimus, Cæſareaque Authoritate Noſtra in perpetuum com-

„munivimus; quemadmodum hujus Diplomatis Nostri vigo-„re approbamus, confirmamus, communimus, atque idem „Gymnasium ac PP. Benedictinos, quorum regimini, admi-„nistrationi, ac Directioni illud commissum est, nec non eo-„rum discipulos & Auditores præsentes & futuros in Protectio-„nem, Tuitionem, Defensionem, & Salvam-Gardiam Im-„perialem clementer recipimus, atque insuper idem Gymna-„sium in generale publicum Studium, Academiam & plane „Universitatem instituimus, ordinamus, & hoc nomine dein-„ceps perpetuis futuris temporibus ab omnibus appellari, & „ijsdem omnino Privilegijs, & Immunitatibus, quibus aliæ „quæcunque Universitates uti, frui, atque potiri solent, gau-„dere volumus, ita ut omnes & singuli Studiosi & Scholares, „qui in albo ejusdem Universitatis sive Academiæ inscripti fue-„rint, vel in præfata approbata Academia sive Universitate Le-„ctiones audierint, & studuerint, omnibus & singulis Privi-„legijs, Exemptionibus, Libertatibus, Immunitatibus, & In-„dultis, quibus Studiosi aliarum quarumcunque Academiarum „& Universitatum gaudere, frui, & potiri solent, re & nomi-„ne gaudeant, fruantur, & potiantur.

„Et insuper motu, scientia, & authoritate, ut supra, con-„cedimus & indulgemus, ut ijdem PP. Benedictini, & alij Ju-„ris Civilis & Medicinæ Professores, ejusdem Universitatis Stu-„diosi, qui Academiæ Albo inscripti fuerint, vel in sæpe dicta „Universitate, seu etiam in alia quavis approbata, Lectiones „audiverint, & digni habilesque rigoroso examine prævio (in „quo conscientias ipsorum Professorum onerari volumus) re-„perti fuerint: juxta aliarum Universitatum Privilegia, eis „per Præsentes a Nobis & alijs tum Summis Pontificibus tum „Jmperatoribus concessa sive concedenda ad quoscunque Gra-„dus Baccalaureatus, Licentiæ, Magisterij, Doctoratus, in „Artibus, Philosophia, atque Sacrosancta Theologia, Jure „Canonico, Civili, & Medicina, ab eisdem sive Rectore Uni-„versitatis, sive Cancellario, sive Professoribus promoveri, &

„& solennitate creari, modo & solennitate in alijs Universitatibus consuetis, possint & debeant: atque tandem taliter promoti, sive promovendi in omnibus & singulis Privilegijs, „Prærogativis, Immunitatibus, Exemptionibus, Libertatibus, Appelationibus, Favoribus, Gratijs & Indultis, quibus „alij in Universitatibus Studiorum generalium Italiæ, Galliæ, „Germaniæ, juxta illarum ordinationes, usus, ritus, con- „suetudines; & mores pro tempore promoti de jure vel con- „suetudine, aut alias quomodolibet utuntur, fruuntur, non „solum ad earum instar, sed pariformiter, & æque principa- „liter, absque ulla differentia in omnibus, & per omnia, per- „inde ac si gradus ejusmodi in Universitatibus, nec non Col- „legijs, Gymnasijs, Academijs quibuscunque accepissent, „uti, potiri, & gaudere re & nomine possint, debeant, & va- „leant. Non obstantibus in prædictis omnibus aliquibus legi- „bus, constitutionibus, ordinationibus, prærogativis, decre- „tis, statutis, & consuetudinibus, & alijs quibuscunque in „contrarium quocunque tempore facientibus. Quibus omni- „bus & singulis, in quantum præsenti Nostræ Constitutioni ob- „stant, seu obstare in futurum possent, ex plenitudine Pote- „statis Nostræ Cæsareæ derogamus, & derogatum esse volu- „mus, supplentes omnes & quoscunque defectus tam juris „quam facti, si qui in præmissis omnibus aut singulis interve- „nissent, vel intervenisse quovis modo dici aut allegari pos- „sent, quovis modo, vel jure, vel consuetudine.

„Nulli ergo hominum cujuscunque Status, Gradus, Or- „dinis, conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ exstiterit, „liceat hanc Nostræ Approbationis, Ratificationis, Confirma- „tionis, Erectionis, Derogationis, Suppletionis, Decreti, Vo- „luntatis & Gratiæ paginam infringere, vel ei quovis ausu te- „merario contraire, quatenus gravissimam nostram & Sacri „Romani Jmperij indignationem & pœnam quadraginta Mar- „charum Auri puri toties, quoties contra factum fuerit, omni „spe veniæ sublata, pendendam, & pro semisse quidem Fisco

„seu

„ſeu ærario noſtro Jmperiali, pro reſiduo vero ejuſdem Gym-
„naſij uſibus applicandam, evitare voluerit.

„Harum teſtimonio Literarum Manu Noſtra ſubſcripta-„rum, & Sigilli noſtri Imperialis appenſione munitarum. Da-„tum in Civitate noſtra Viennæ die nona Menſis Martij Anno „Domini Milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo, Regnorum no-„ſtrorum Romani primo, Hungarici ſecundo, & Bohemici „tertio.

„Ferdinandus "

Haud ingratum Lectori fore confidimus, ſi ſerius Anno MDCXXV. obtentum Privilegium Pontificium Urbani VIII. P.M. hic majoris claritatis ſtudio inſeramus, ut uno quaſi obtutu intelligat, qualiter a Summo Pontifice & Romano Imperatore honorata, firmata, & exculta ſit Univerſitas Salisburgenſis.

„Urbanus Epiſcopus Servus Servorum DEi, „dilecto filio officiali noſtro Chiemenſi ſalutem & Apoſtoli-„cam Benedictionem. In ſupereminenti Apoſtolicæ Sedis „ſpecula meritis licet imparibus diſponente Domino conſti-„tuti, & intra mentis noſtræ arcana revolventes, quantum „de literarum ſtudijs catholica fides tenebroſa ignorantiæ cali-„gine & hæreſum peſte expulſa augeatur, divini Numinis cul-„tus protendatur, veritas augeatur, juſtitia colatur, reliquæ „virtutes illuſtrentur, ad bene beateque vivendum via pare-„tur, ad ea perque utiliter excitentur, & ſtudioſæ perſonæ „ad excelſum doctrinæ faſtigium aſpirantes opportunæ ſub-„ventionis auxilium ſuſcipiant, libenter intendimus & in his „noſtræ ſolicitudinis partes propenſius impartimur, prout pia „perſonarum Præſulum vota id expoſcunt, Noſque locorum „& temporum qualitatibus debite penſatis conſpicimus, in „Domino ſalubriter expedire. Exhibita ſiquidem Nobis nu-

per-

„per pro parte Venerabilis Fratris Noſtri Paridis Archi-Epi-
„ſcopi Salisburgenſis petitio continebat: Quod cum alias bo-
„næ memoriæ Marcus Sitticus, dum vixit, etiam Archi-Epi-
„ſcopus Salisburgenſis, pia meditatione cogitaſſet, quam lon-
„ge lateque diffuſum undique eſſet hæreſis malum, quanta-
„que incommoda & damna univerſo orbi attuliſſet, illi vero
„tutius & fortius remedium afferri non poſſe, quam ſi ubi-
„que terrarum doctorum virorum conventus erigerentur, qui
„ſana doctrina imbuti populos ſuos propinquos Catholicam
„diſciplinam docerent, qua & ſibi prodeſſe, & cæteros in ve-
„ra fide valerent confirmare, tanta in Deum religione com-
„motus, nec non ferventi in proximum charitate Collegium
„ſeu Gymnaſium in Civitate Salisburgenſi ſub invocatione ſeu
„titulo S. Caroli Borromæi fundavit, illudque redditibus ſuf-
„ficientibus pro Doctorum & Magiſtrorum, qui Gramma-
„ticam, humaniores literas, Philoſophiam & Theologiam
„docerent, manutentione, felicique gubernio dotavit, ac cu-
„ræ & regimini dilectorum filiorum Monachorum Ordinis S.
„Benedicti commiſit, & commendavit. Cum autem, ſicuti
„eadem petitio ſubjungebat, fundatio Collegij ſeu Gymnaſij
„prædicti uſque adeo feliciter ceſſerit, ut ſtudioſa juventus
„exercitijs hujus generis honeſtiſſimis allecta, aliunde etiam
„certatim confluens, ad majores aliquando functiones in Ec-
„cleſia & Republica Chriſtiana recte adminiſtrandas ſpem non
„contemnendam dederit; Quare pro parte prædicti Paridis
„Archi-Epiſcopi Nobis fuit humiliter ſupplicatum, quatenus
„Collegium ſeu Gymnaſium prædictum in Univerſitatem Stu-
„dij generalis erigere & inſtituere, alijſque in præmiſſis op-
„portune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

„Nos igitur attendentes, quod ex literarum ſtudio anima-
„rum ſaluti conſulitur, & alia ſpiritualia & temporalia bona
„mundo proveniunt, prædictum Paridem Archi-Epiſcopum
„a quibuſcunque excommunicationis, ſuſpenſionis & interdi-
„cti, alijſque Eccleſiaſticis Cenſuris, Sententijs, & pœnis a
ju-

„jure, vel ab homine quavis occasione vel causa latis, si qui-
„bus quomodolibet innodatus existit, ad effectum præsen-
„tium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, &
„absolutum fore censentes, nec non Collegium seu Gymna-
„sium ac Monachos hujusmodi, eorumque discipulos & stu-
„diosos præsentes & futuros, sub B. Petri Apostoli, ac No-
„stra ac Sedis Apostolicæ tutela & protectione suscipientes,
„hujusmodi supplicationibus inclinati Discretioni Tuæ, cum,
„sicut ipse Paris Archi-Episcopus asserit, Venerabilis Frater
„Noster Episcopus Chiemensis Ordinarius vicinior existat, ex
„voto Congregationis Venerabilium Fratrum Nostrorum S.
„Romanæ Ecclesiæ Cardinalium, Decretorum Concilij Tri-
„dentini Interpretum, per Apostolica scripta mandamus, qua-
„tenus Collegium seu Gymnasium prædictum in Generale pub-
„licum Studium, Academiam, ac etiam in Universitatem cu-
„juscunque Facultatis & Scientiæ licitæ cum cathedris Faculta-
„tum earumdem, ac potestate & facultate capaces & idoneos
„in facultatibus hujusmodi, servatis servandis, Doctorandi,
„seu Magistrandi, authoritate Nostra perpetuo, sine tamen
„alicujus præjudicio, erigas & instituas, illudque sic erectum
„& institutum, ac ejus Rectorem aliosque Ministros pro illius
„prospero & felici regimine necessarios, Monachorum præ-
„dictorum curæ, regimini, & administrationi submittas, sup-
„ponas, & subijcias: ac eidem Studio & illius Universitati,
„nec non Rectori, Doctoribus, Scholaribus, & personis pro
„tempore existentibus, ac illis, quos inibi ad quoscunque Ma-
„gisterij gradus, in Artibus & Philosophia, S. Theologia, Ju-
„re Canonico, Civili, & Medicina ab ijsdem sive Rectore Uni-
„versitatis, sive Cancellario, aut Professoribus hujusmodi, præ-
„vio rigoroso examine, ac alijs servatis servandis, ut præfer-
„tur, promoveri contigerit, ut omnibus & singulis Privilegijs
„immunitatibus, libertatibus, exemptionibus, prærogativis,
„honoribus, favoribus, gratijs, concessionibus, antelationi-
„bus, & indultis tam ex jure comuni, quam ex consuetudinibus

„Apo-

„Apoſtolicis & Jmperialibus, vel quomodolibet, in genere „, ſpecie, Italiæ, Germaniæ, Galliæ, ac quibuſcunque „...orum Studiorum generalium Univerſitatibus, illarumque „Doctoribus, Scholaribus, & perſonis, ac in eis pro tempo- „re promotis quomodolibet conceſſis ac concedendis, ac qui- „bus illiutuntur, potiuntur & gaudent, non ſolum ad eorum „inſtar, ſed pariformiter, & æque principaliter, abſque ulla „differentia in omnibus & per omnia, dummodo ſint in uſu, „nec hactenus revocata, aut ſub aliqua revocatione compre- „henſa, uti, frui, potiri, gaudere libere & licite poſſint & „valeant, perinde ac ſi illa Univerſitati erigendæ hujuſmodi, „& illius Rectori, Doctoribus, Scholaribus, & perſonis, ac „in ea pro tempore promotis, quomodolibet ſpecialiter & no- „minatim conceſſa forent, dicta authoritate indulgeas, nec „non dictæ Univerſitatis Rectori pro tempore exiſtenti quæ- „cunque Statuta, licita tamen & honeſta, & S. Canonibus, „ac Concilij Tridentini Decretis & Conſtitutionibus Apoſto- „licis non contraria, per Archi-Epiſcopum Salisburgenſem „pro tempore exiſtentem approbanda, condendi, renovandi, „& abrogandi licentiam ac facultatem concedas.

„Cives quoque prædictæ Civitatis, & alios quoſcunque, „qui inibi ſtuduerint, & eorum Concluſiones & propoſitiones „inter Doctores ejuſdem Univerſitatis ſuſtinuerint, & alias „idonei & ſufficientes prævio rigoroſo examine, & alijs ſer- „vatis ſervandis, ut præmittitur, reperti fuerint, eo ipſo in „Collegium ipſorum Doctorum & Magiſtrorum receptos & „admiſſos eſſe, & cenſeri, & pro talibus haberi, eiſdemque „Privilegijs, indultis, immunitatibus, & habilitatibus ad „beneficia Eccleſiaſtica & dignitates, alijſque præeminentijs, „alijs Univerſitatibus & illarum Profeſſoribus & membris quo- „modolibet conceſſis & concedendis, ac præſcriptis vel præ- „ſcribendis dum̃odo juriſdictioni pro tempore exiſtentis Archi- „Epiſcopi Salisburgenſis, ac, ut præmittitur Ss. Canonibus &

„Concilij prædicti Decretis non repugnent, gaudere & potiri, „& ad illa recipi & admitti statuas.

„Nos enim, si erectionem & institutionem, aliaque tibi „commissa prædicta per Te, vigore Præsentium, fieri contigerit, ut præmittitur, ex nunc prout ex tunc, & eccontra, „postquam facta fuerint, præsentes Literas semper & perpetuo validas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & integros effectus sortiri & obtinere, sicque ab omnibus & singulis censeri, & ita per quoscunque Judices ordinarios & delegatos quavis auctoritate fungentes, judicari & definiri debere, ac quidquid secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari, irritum & „inane decernimus: Non obstantibus Apostolicis ac Provincialibus & Synodalibus editis specialibus vel generalibus constitutionibus & ordinationibus, ac Collegiorum, Universitatum, & Ordinis hujusmodi juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis & consuetudinibus, cæterisque contrarijs quibuscunque.

„Volumus autem, quod singuli Magistri, Doctores & „Lectores Universitatis erigendæ prædictæ in principio cujuslibet anni seu Renovationis Studiorum, facta prius per ipsos „& eorum quemlibet in manibus Ordinarij loci tanquam delegati Apostolici professione fidei, juxta articulos a Sede prædicta propositos, se nihil, quod eidem fidei quoquo modo „repugnet, aut sit contra bonos mores, lecturos, docturos, „aut interpretaturos, solenni juramento, juxta Decreta ejusdem Concilij, se astringere debeant. Datum Romæ „apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ Millesimo „Sexcentesimo vigesimo quinto, sexto decimo Calendas Januarij. Pontificij Nostri Anno tertio &c &c.

XXXIII. Proximo die Sabbati, Idibus Octobris, a prandio Studiosi Salisburgenses creati fuere Academici,

Ritus ac scripti in Albo Academico absque ullis percussioni-

Matriculationis Academicæ. nibus, proftrationibus, depofitionibus, alijfque ejufmodi cæremonijs, quæ in multis Germaniæ Academijs invaluerunt. (*) Cum enim ritus ifte neque a Gallis, neque ab Italis, neque a Britannis, alijfque Nationibus multum curetur, (*) neque ab Univerfitate noftra, quanquam id initio quidam fuadere conabantur, receptus eft, quin a Reverendiffimo D. Præfide legibus cautum, ne ullo unquam tempore introduceretur. Poft brevem proin fermonem, quem ipfemet Rector Magnificus pro tribunali fedens peregerat, finguli eundem accefferunt, depofitoque juramento, cujus formulam Univerfitatis Notarius prælegerat, quamque inferius *Lib. III. Cap. I.* referre ftatuimus, Univerfitatis matriculæ fua nomina propria manu infcripferunt. Mos ifte hodiedum obfervatur neque unquam ab eo difceffum eft.

g

h

XXXIV. *Sola doctrina D. Thomæ Aquinatis in Scholis docenda.* Eodem anno Leges & Statuta Academica DD. Studiofis publicata, ac Doctrina Angelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis unice pro norma docendi Patribus Academicis a Reverendiffimo D. Præfide Univerfitatis *Gregorio* Abbate Ottoburano felecta, & demandanda fuit. Cumque Cæfareum Privilegium ampliffimam concefferit facultatem non folum omne artium & fcientiarum genus Salisburgi publice docendi, prælegendique, verum etiam eos, qui decurfo ftudiorum tempore doctrina clari effent, fuetis Academicis titulis & honoribus afficiendi, Menfe Novembri Anni MDCXXII. Promotore *P. Thoma Mariano* fupremam *Theologiæ lauream* fuperato rigorofo, ut vocant, examine reportarunt *P. Dionyfius Richard* ad S. Emeramum Ratisbonæ Profeffus, & *P.* An-

Primi Gradus Academici Salisburgi collati.

h 2

[g] *De ritu depofitionis optime confuli poterit Matthæus Drefferus in* Millenar. 6. de Gradib. & tit. Academ.

[h] *Lanfius* de Academ. *nobis pag.* 29.

Andreas Vogt Monachus Ottoburanus. Quinta postmodum Novembris die primi Philosophiæ & AA. LL. *Baccalaurei* creati fuerunt, Promotore *P. Sebastiano Röhr* Ottoburano, *triginta quatuor*; *Magistri* seu Artium Doctores, septima Novembris Promotore *P. Matthao Weiß* Monacho Andecensi, *quindecim.*

CAPUT IV.

Dotatio PP. Professorum. 1.

Promulgatio Bullæ Pontificiæ. 2. *Corpus Marci Sittici Fundatoris Gymnasij in Metropolitanam Ecclesiam transfertur.* 3. *Docti PP. Professorum labores pro Ordine & Universitate.* 4. *Initium Aulæ Academicæ.* 5.

Ab Año MDCXXIII usq; ad Annum MDCXXXI.

XXXV. *Dotatio PP. Professorum Salisburgensium ex Ord. S. Bened.* *a*

REquirebatur quidem olim, ut ante constitutionem Academiæ sufficientes prius & stabiles reditus pro Ministris, Professoribus, Fabrica, Bibliotheca, & alijs necessarijs assignentur: hodie tamen facilis impetratur confirmatio, modo promissum & fiducia constituendæ dotis subsit, (*) uti exemplum suggerit Universitas nostra Salisburgensis. Neque diutius munificentissimus Princeps *Paris Lodronius* manum suam retinuit, quin dilectis sibi Musis perpetuam & condignam dotem

[*a*] *Knichen* Op. Pol. l. 2. p. 2. sect. 2. de Academijs.

tem poneret. Prima huic rei fundamenta jam Anno MDCXIX. jecisse videbantur *D. Gregorius* Abbas Ottoburanus, & *D. Benedictus* Abbas Neresheimensis, qui patentibus prius literis a DD. Confœderatis probe instructi octavo Idus Septemb: una cum Jllustrissimis *DD. Wolfgango Wilhelmo* de Schrottenbach, *Joanne Christophoro* de Liechtenstein Canonicis Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis, & *D. Joanne Grueber* Vice-Cancellario, *D. Tobia Schönleben* Consiliario Aulico & Secretario ea omnia in literas retulere, quæ facerent, ut Professoribus annui essent proventus, studiosos vero sat ampla Privilegia Salisburgum allicerent, cunctaque statutis legibus firmarentur. Sed brevi subsecuta Mors *Marci Sittici* negotium in flore abrupit, quodque feliciter cœperat *Gregorius* Abbas Ottoburanus, Reverendissimi *D. Joannis Henrici* Abbatis ad Quercum inferiorem, ac nuper Calendis Maij in Universitatis Præsidem electi vigilantiæ & providentiæ perficiendum reservarunt Superi. Aderat is septimo Calendas Augusti in Urbe Salisburgensi una cum *D. Gregorio* Abbate Ottoburano, *D. Michaële* Abbate ad Montem S. Andechs, & *D. Stephano* Abbate Schyrensi Universitatis Assistentibus, ut novas Fundationis tabulas, quibus ordinandis a Celsissimo Principe Jllustrissimus *D. Vitus* de Wolkenstein Suffraganeus Salisburgensis, & *D. Tobias Schönleben* præfecti fuerant, felici tandem coronide donarent. Ratihabuit Calendis Sept: Anno MDCXXI: tam Celsissimus Princeps, quam Reverendissimum Capitulum Metropolitanum omnia & singula, quæ inter ipsos convenerant, simulque publicis ac sigillatis literis Universitatem Salisburgensem Confœderato Ordini Benedictino perpetuis temporibus commisit, *ut non solum Humaniores Literas a Rudimen-*

tis

tis ad Rhetoricam usque, verum etiam Logicam, Physicam, Metaphysicam, Casus conscientiæ, & Controversias fidei, peregrinas linguas, Ethicam, Mathematicam, S. Scripturam, Theologiam, & Sacros Canones, more in alijs Academijs recepto Patres nostri ibidem profiterentur, nec alius unquam quam Benedictinus Rectoris Magnifici dignitate frueretur. (*)
b

XXXVI. *An deceat Benedictinos publice docere?*

Binos hosce annos prospere præterlapsos pari passu insequi videbatur Annus MDCXXIV. ni subito in ingentem offendisset remoram. Movebatur PP. Academicis, totique Ordini antiqua illa, & toties nostratibus etiam temporibus insulse recocta crambe, *Monachale Benedictinorum institutum nequaquam ad publice docendum sese extendere*. Opprobramento huic, ne indies æmulorum audacia cresceret, Reverendissimi Præsidis jussu, (seu ut alij volunt, ipsemet Ottoburanorum Præsul) audacter se opposuit *P. Sebastianus Röhr* Ottoburanus Asceta, datoque præclaro adeo, ac modestia charitateque undique referto libello varijs majorum nostrorum exemplis, S. Pontificum & Conciliorum decretis, atque alijs venerandæ antiquitatis monumentis contendit, Benedictinis in re literaria omnique Scientiarum genere, sive publice sive privatim tradendo omne id, quod alijs Ordinibus licet, æque principaliter licere & competere, cum primævas Germaniæ Scholas, post receptam
c
ibidem Catholicam fidem Benedictinis Cœnobijs, (*) puta *Fuldensi*, *Weissenburgensi*, *S. Albani* prope Moguntiam, *S. Gallensi*, *Augiensi*, *Hirsfeldensi*, *S. Mathiæ* prope civitatem Trevirorum, *Prumiensi*, *Stabulensi*, *Corbeiensi*, *Hirsaugiensi*, *S. Maximi* Treviris, &c. debeamus:

[b] *Concord. Num.* 2.
[c] *Mabillonius in* præf. 1. ad Sæc. 3. Act. Ord. S. Bened. §. 4.

mus: utpote in quibus omnibus, teste Trithemio *in Chronico Hirsaugiensi* erant Monachi, & multi valde Studiosi, e quorum Collegio in singulis Cœnobijs unus, cæteris in scientia Scripturarum excellentior, Scholasticus ponebatur, qui *Scholastici* Titulus in plurimis etiamnum viget Cathedralibus Ecclesijs, ijs præsertim, quæ ab Ordine Benedictino primum fontem hauserunt. (*) Nos Scriptum istud, quod P. *Matthaus Weiß* Andecensis in suo *Lyceo Benedictino* uberius digessit, pluribus Magnatibus ab Universitatis Patribus non sine maximo fructu, &, si dicere fas est, Exprobrantium Opprobrio postea oblatum, ob prolixitatem suam, hic omittimus, maxime, cum eandem materiam jam fusius in Præfatione nostra pertractandam sumpserimus.

XXXVII. *Diploma Pontificium publicatur per Episcopum Chiemensem.*

Romæ interea, cum Celsissimi Archi-Episcopi repetitæ instarent preces, sexto decimo Calendas Januarij Anno MDCXXV. datum signatumque Pontificium Diploma. Publicatum est illud Anno sequente ijsdem pene Solennitatibus, quibus Cæsareum Privilegium promulgatum vidimus, procurante id Illustrissimo *DD. Joanne Friderico* Comite de Liechtenstein Chiemensi Episcopo. Ita nimirum volebat Diploma Urbani VIII. P. M. juxta illa: „*Cum, „sicut ipse Paris Archi-Episcopus asserit, Venerabilis Fra„ter noster Episcopus Chiemensis Ordinarius vicinior existat &c „mandamus, quatenus Collegium seu Gymnasium prædictum in „generale publicum Studium, Academiam, ac etiam in Uni„versitatem &c. erigas & instituas.*

Et infra: „*Nos enim, si erectionem* & *institutionem,* „*alia-*

[d] *Mabillonius* cit.loc.& præf.1.ad Sæcul: 4.Act.Ord.S.Benedict.§.8. *Launoius in* lib.de Schol.celeb.per occidentem instauratis. *Trithemius & alij quamplurimi.*

„aliaque tibi commissa prædicta, per Te vigore præsentium fieri „contigerit, ut præmittitur, ex nunc prout ex tunc, & econ„tra, postquam facta fuerint, præsentes Literas semper & per„petuo validas & efficaces fore & esse, suosque plenarios & „integros effectus sortiri, & obtinere &c. decernimus.“

XXXVIII. Novus Universitatis *Præses* tum præerat (triennio quippe Præsidis officium Statuta Universitatis circumscribunt) *D. Sigismundus* Abbas Seonensis. Assistentes Provinciarum *D. Stephanus* Abbas Schyrensis, *D. Joannes Henricus* Abbas ad Quercum inferiorem, *D. Blasius* Abbas ad S. Blasium. Assistens perpetuus *D. Albertus* Abbas S. Petri, quem e Rectore Magnifico in Abbatem, ab Epomide ad Mitram Anno MDCXXVI. evocari tanto plus gaudebat Universitas, quanto majoribus curis & favoribus ab eodem posthac excolenda erat. Quam ob rem *P. Thomas Marianus* Procancellarius epistola Calendis Maij ad Abbatem Ottoburanum data non tam Monasterio S. Petri, quam etiam Universitati *Albertum* Abbatem expetijt. *Beatos ipsi nos,* scribebat ille, *autumamus, quod Universitati literarum augmentum tam latum, tam honoris plenum obtigerit, quo se R. & A. Paternitati Vestræ primo & indefesso suo Capiti magnã sudoris partem abstersuram sperat. Pridie Calendis Maij Magnificum Rectorem nostrum in Christo Patrem dilectissimum suæ virtutes, quibus non in unius Universitatis, sed totius urbis theatro oculos bonorum omnium in se convertit, ad Abbatiæ S. Petri dignitatem evexerunt, atque honoribus hisce maturum omnium punctis ac votis destinarunt &c. Verum, ut ea potius secundare velit, rogat Collegium & lætum & gloriosum hoc ornamento: flagitat nondum adulta Universitas tam firmi Assistentis vehementer indiga: obtestatur Monasterium S. Petri, quod ex nutu vel abnutu Reverendissimæ Paternitatis Vestræ splendorem suum ve-*

P. Albertus Universitatis Rector Magnificus ad Abbatiã S. Petri evocatur.

te-

terem sperat, vel desperat. Accedentibus dein ipsius Archi-Episcopi Literis in D. Abbatis *Joachimi*, qui in Festo S. P. N. Benedicti singulari omnium mœrore vitam hanc mortalem exuerat, locum subrogatus est *D. Albertus*. *Vide Lib. II. Cap. IV.*

XXXIX. *Exiguus Studiosorum numerus ob agrestium turbas.*

Munus Rectoris Magnifici, quod *D. Albertus* Abbas reliquerat, devolvebatur in *P. Matthæum Weiß* Monachum Andecensem. Numerabat is paucos tunc temporis Studiosos, ut quos agrestium turbæ in Superiori Austria a Lutheranis quibusdam præconibus accensæ impediebant. Ad usque Lincensis Civitatis mœnia igne, cædibus, rapinis, appropiabant rebelles; cæsi denique victique a Pappenhemio meritas perfidiæ pœnas, securasque dedere vias. Ad renovationem itaque Studiorum Anni MDCXXVII. copiose denuo adventantibus discipulis initium datum est *S. Scripturæ* ab ipso P. Rectore Magnifico; *Controversijs fidei* a *P. Romano Müller* Seonensi Monacho: *Ethicæ* denique *Historiæ* a *P. Thoma Weiß* Monacho Neresheimensi.

XL. *Dedicatio Ecclesiæ Cathedralis.*

Anno MDCXXVIII. inventis & refossis a *D. Alberto* Abbate S. Petri BB. Ruperti & Vitalis S. Lypsanis, Ecclesiaque Cathedrali a Celsissimo Principe perfecta, vigesimus quartus Septembris dies Divos Tutelares suæ Basilicæ, Basilicam Patronis restituit. Intererat triumphali huic translationi præter Serenissimos Hospites *Ferdinandum* Archi-Episcopum & Electorem Coloniensem: *Maximilianum* Electorem Bavariæ una cum Serenissima Conjuge *Elisabetha* Lotharingica: *Albertum* Ducem Bavariæ cum Serenissima Conjuge *Mechtilde* nata Ducissa Liechtenbergica, ac filia *Maria Renata*: *Leopoldum* Archi-Ducem Au-

ſtriæ cum Sereniſſima Conjuge *Claudia* Ducíſſa Hetruriæ &c. ingens quoque Virorum Eccleſiaſticorum numerus: nimirum Epiſcopi ſex, *Ratisbonenſis*, *Oſnabruggenſis*, *Friſinganus*, *Chiemenſis*, *Lavantinus*, *Sekovienſis*; Abbates Ordinis S. Benedicti octo, Præpoſiti DD. Canonicorum Regularium decem. Ut autem eo magis conſpicua foret ab extranea etiam pietate celebritas, ſolicite univerſi deſudabant, ut pro Divorum Tutelarium tranſitu ſplendidiſſimos Arcus Triumphales ſtatuerent. Primum majeſtate, magnitudine, pretio cæteris præſtantem Celſiſſimus Archi-Epiſcopus; Secundum Reverendiſſimum Capitulum Metropolitanum; Tertium Monaſterium S. Petri; Quartum Univerſitas; Quintum denique Magiſtratus Civicus eleganti artificio in altum eduxerunt. Arcus triumphalis ab Univerſitate poſitus Collegium Academicum cum vicinis ex altera parte ædibus adunabat, tanto penicilli ſtudio, ut major porta tranſitum præberet, reliquæ vero prætereuntium oculos fallerent. In fronte totius molis Scutum Solari lumine illuſtratum Bojariam Juvaviamque Apoſtolicis D. Ruperti laboribus poſt eliminatas idololatriæ tenebras ad ſalvificum Chriſtianæ Fidei lumen perductam *ſymbolice* adumbrabat, cum inſcriptione: *D. RUPERTO MAGNO BOIORUM APOSTOLO, EXIMIO S. BENEDICTI MONACHO poſuerunt Muſæ Salisburgenſes.* Latera ſtipabant Gloria & Victoria; illa inter honorum & gaudiorum anathemata applaudebat *TRIUMPHANTI*, iſta lethalibus tormentorum inſtrumentis circumfuſa immarceſſibilem nectebat Laureolam *PUGNANTI.* Internum portæ majoris penetrale una ex parte SS. Virgilius & Eberhardus exornabant: Hic pie prodigus multas divitias pauperum manibus conſignabat addita prece:

Arcus triumphalis ab Univerſitate poſitus.

FO-

Decoris Symbolis ornatus.

JOVE. Ille Basilicam a se structam porrigebat, cum lemmate: *SERVA.* Ex altera parte S. Vitali suaveolens Lilium ex corde nascebatur cum epigraphe: *PLANTA.* Sancto vero Thiemoni Martyri eviscera-tum pro fide cor patebat, cui adscriptum: *REGE.* Haud minor visebatur apparatus portarum a latere exstructarum, quas Artes liberales ac bina emblemata commendabant. Aversa porro facies Arcus triumphalis *D. VIRGILIO ILLUSTRI HYBERNIÆ JUBARI, MAGNO JUVAVII ANTISTITI* inscripta: duo ostendebat emblemata. Hinc jactâ anchora ventum propitium exspectantem navem Septeno Sydere Vergiliæ alebant, addito hortatu; *HOC SYDERE NAVIGA.* Illinc D. Virgilius aptata ad fabricam Regula seu amussi e disco ære gravido operarijs mercedem solvebat, Lemma; *HAC AMUSSI ÆDIFICA.*

Reliqua Symbola & emblemata, quæ in vicinis parietibus omnium oculos rapiebant, uti innumera quasi, ita & ingenio multo elaborata erant, de quibus optandum sane foret, ut illa, quæque quotannis infra Octavam Corporis Christi Rhetorices & Poëseos Professores Deo Eucharistico ponunt, in unum collecta publica quis luce donaret. Postero a memorata translatione die, xxv. Septembris, dedicatum est Templum Cathedrale, simulque horis promeridianis in Universitatis Theatro coram Serenissimis Hospitibus pronuntiata carmina; quorum argumentum solennitati accomodatum erat *Ecclesia Salisburgensis S. Ruperti Episcopi, Doctoris, Apostoli, ac Theodonis optimi Bojariæ Ducis auspicijs condita, suisque incrementis inclyta*, authore *P. Thoma Weiß* Monacho Neresheimensi. Nox tandem medias inter Salsæ aquas artificiosis ignibus illuminata est.

Festi finis splendidus.

i 2 Cum-

XLI. *Marci Sittici corpus ad cathedrale templū transfertur.*

Cumque nova hæc Basilica, ut supra meminimus, *Marcum Sitticum* Archi-Episcopum auctorem haberet, Celsissimi Successoris *Paridis Lodronij* jussu ejus corpus inter adgementes lugubriter buccinas vicinorum Decanorum ruralium humeris sublatum, ac præeuntibus pijs Sodalitijs & Religiosis cætibus, Senatu Academico, omnique aula pullo vestitu subsequente, e Parochiali Ecclesia in Templum Cathedrale translatum fuit Anno MDCXXIX. quinto Idus Novembris. Perennat ibidem ejus memoria hoc Epitaphio, quod ad latus Evangelij *Paris Lodronius* eidem fieri curavit.

Ejus Epitaphium.

Marco Sittico ex Comitibus ab Hochenembs Archi-Episcopo & Principi Salisburgensi, Sedis Apostolicæ Legato, hæresum profligatori, hujus Templi a fundamentis prope ad tecta usque Conditori, aliarumque Ecclesiarum restauratori, Patrono, Literarum Mæcenati, Pauperum perfugio, Antecessori suo de Ecclesia, de republica & literis, de omnibus bene merito, Paris ex Comitibus Lodroni *Successor Archi-Episcopus posuit fatis functo, cæloq; recepto MDCXIX. viij. Octob: postquam rebus præfuit Annis vij, Mens. vj, diebus xxj.* (*) f

Finitis postmodum Vigilijs Defunctorum, atque piaculari pro defuncti manibus hostia a Celsissimo Archi-Episcopo, cui *D. Sigismundus* Abbas Seonensis Universitatis Præses, *D. Albertus* Abbas S. Petri, *D. Bernardus* Præpositus ad S. Zenonem, *D. Petrus* Præpositus Garsensis assistebant, ad aras immolata, Orationem funebrem dixit *P. Romanus Müller* Monachus Seonensis ac Theologiæ moralis Professor. Tenerum porro Universitatis affectum erga primævum Fundatorem suum, quem tanta verborum dulcedine testatum fecerat Encomiastes, copiosius loquebaturCarmen abiturienti Principi *Paridi Lodronio* a P. Re-cto-

[f] *P. Otto Aicher* in theatro funebri part. I. Scena II.

ctore Magnifico oblatum, quod sub titulo *Prosopopœja Fundatori suo nuncuparunt Musæ Salisburgenses.* Pergratum id fuit Principi, voluitque, ut luculentum hoc gratæ memoriæ monumentum typis excusum ad singulorum manus perveniret.

XLII. *Novus Præses & Assistentes.* Anno MDCXXX. pridie Cal. Septembris nóvus Universitatis Præses electus est *D. Andreas* Abbas Ottoburanus; Assistentes Provinciarum *D. Sigismundus* Abbas Seonensis, *D. Joannes Jacobus* Abbas S. Udalrici & Afræ, *D. Joannes* Abbas ad S. Emeramum Ratisbonæ. Statutum ab iisdem, ut deinceps ante organum Aristotelis traderetur *introductio P. Matthæi Weiß*; dies Jovis integer Academicis foret feriatus, seu, ut vocant, Festum Aristotelis; simulque publicarentur Preces quadraginta horarum in diebus bacchanaliorum peragendæ, unacum Indulgentijs quas ab Urbano VIII. P. M. per *P. Dionysium Ricardi* obtentas Celsissimus Princeps nuper confirmaverat.

XLIII. *Frustra tentata Congregatio PP. Benedictinorum in Germania.* Cogitavit porro diebus istis Ordo Benedictinus per universam Germaniam in unam sese adunare Congregationem, ut eo facilius tum Monasticam eamq; uniformem in omnibus Monasterijs disciplinam introducere, tum erepta ab Acatholicis Cœnobia Ordini suo restituere, quin & periclitantia subinde ac nutantia Asceteria unitis viribus erigere & conservare valeret. Dies tanto operi perficiendo, Abbatumq; conventui indictus Ratisbonæ ad decimum nonum Januarij Anno MDCXXXI. quorsum præter *D. Joannem Bernardum* Abbatem & S. R. I. Principem Fuldensem (*) [g] *D. Martinum* Abbatem Monasterij

[g] *Princeps vere magno suo Zelo inter clarissima sui avi Sydera numerandus. Obijt Anno* 1632.

rij S. Mauritij in Toleja, *D. Fridericum* Archi-Abbatem Hasselfeldensem, aliarumque Congregationum Abbates ac delegatos, *D. Albertus* Abbas S. Petri una cum P. Rectore Magnifico Universitatis Salisburgensis nomine, de cujus flore encyclicæ literæ (*) agi volebant, convenerat: *Hoc unum enim*, ajebant illæ, *Sacra Cæsarea Majestas desiderat, a qua nihil non favoris & protectionis nobis exinde polliceri licebit; Hoc S. R. E. Cardinales Amplissimi exoptant: Consentiunt jam & applaudunt plures Germaniæ Proceres: Hoc requirit Academia Salisburgensis, aliorumque Studiorum conservatio erigendorum.* Dum igitur Præsules toti erant ad reformandum Ordinem, ad eripienda e manibus hæreticorum Asceteria, etiam PP. Professorum non otiabantur ingenia. Demonstrabant justitiam petiti Cæsarei ad Status Jmperij de restituendis bonis Ecclesiasticis, quotquot post transactionem Passaviensem Catholico nomini passim ab Acatholicis erepta fuerant. Refellebant libellum supplicem S. Cæsareæ Majestati oblatum a quibusdam, in quo adstruere conabantur, Monasteria ab Acatholicis recepta non solum posse, sed & debere ad alios usus converti, quam ad quos pia Fundatorum mens eadem destinasset. Docte denique refutabant scriptum illud, *Monachos non posse sine Ordinarij licentia extra Diæcesin mitti.* Unde, Episcopis discessum a sua Diœcesi Monachis interdicentibus, ne de Professoribus Universitati Salisburgensi a confœderatis Cœnobijs submittendis actum videretur, Celsissimo Principi, alijsque Episcopis alium Libellum priori e diametro oppositum obtulerunt. Tanto fervore decertarunt PP. Salisburgenses pro Universitate, Sacro Ordine, ac universali Congregatione Benedicti-

Labores PP. Professorum pro Ordine & Literis.

[b] *Hæ Literæ Anno* 1630. 21. *Octobris Ratisbonæ exaratæ ad totum Ordinem S. Benedicti per Germaniam dirigebantur.*

ctina per universam Germaniam propaganda, ex qua profecto in Ordinem Benedictinum non mediocre excrevisset comodum & augmentum, nisi evanuisset successu temporis sanctissimum opus, cui privatæ solum Congregationes per Diœceses constitutæ successerunt.

XLV. *Aula academica*

Salisburgi interim in Collegio PP. Professorum construebatur Aula Academica opus peramplum ac magnificum, in quo Pietas non solum Divina officia, Menstruas & annuas Solennitates Confraternitatis S. Rosarij, Conventus ordinarios Majoris Congregationis sub invocatione Divæ Virginis in cœlos receptæ frequentare cœpit; Verum etiam diebus bacchanaliorum orationē quadraginta horarum coram Augustissimo Evcharistiæ Sacramento, ut omnium oculis, sic Venerationi exposito, quod singulis horis designati comprecantium Cœtus ad placandam Divinam Justitiam eunt adoratum, magna devotione instituit. A prima dein Dominica Quadragesimæ singulis ferijs II. IV. & VI. præmissa ab aliquo PP. Professorum Concione Psalmus *Miserere* decantari solebat. Quæ tamen pietatis exercitia ad splendidissimum Templum academicum maxima ex parte translata sunt, hodieque Aula academica solis conventibus Marianis, disputationibus publicis, promotionibus inauguralibus, uti theatralibus exhibitionibus deservit.

Solis Actibus Academicis destinatur.



CAPUT V.

Studiosi Salisburgenses armantur sub Vexillo Academico. 1. Contagiosa lues Scholas claudit. 2. Fundatio Alumnorum Mariano-Lodroniorum. 3. Statuta varia circa frequentandas Scholas. 4.

Ab Año MDCXXXI. usque ad An: MDCXLVIII.

XLV. TOgatam Universitatis nostræ Palladem præcedentia Capita ostendebant: Nunc *Sagatam* sese exhibet, quin imo *Sagatam* & *Togatam*, utpote quæ sub Academico Vexillo Studiosam sobolem ita contra Martem Suecicum obarmavit, ut pennæ nunquam oblita eruditos indies fructus protulerit. *Gustavus* siquidem Suecorum Rex, ubi *Usedoniam*, ac *Pomeraniam* victricibus armis Anno MDCXXX. domuisset, annoque sequenti pari fortuna *Querfurtum*, *Mansfeldium*, *Königshovium*, *Herbipolim*, *Francofurtum*, *Wormatiam*, *Spiram*, *Oppenhemium* Urbes nobilissimas occupasset, demum Anno MDCXXXII. Salisburgensi viciniæ eandem miserrimam sortem, quam Urbes *Donavverda*, *Frisinga*, *Mosburgum*, *Landishutum*, *Monachium* ab hostibus captæ in horas operiebantur, intentabat, donec versa in Wallensteinium acie *Luzæ*, *Misnia* urbe, a Cæsareano milite trucidatus *Gustavus* Rex occubuit, in succedaneis sibi Belliducibus diutur-

Mars occupat viciniam.

Musæ Salisburgenses etiam inter arma non silent.

turna adhuc Patriæ clades & ruina. Turbulenta hæc inter tempora, quamquam circumquaque totis turbaretur agris, optima Salisburgensium Metropolis ſtetit inconcuſſa, nec bello armiſque impetita: Hinc plurimis locis exules, ſilenteſque Muſæ Salisburgi quietum habitaculum incolebant; *Interea quippe* (Epiſtolam P. Rectoris Magnifici ad Abbatem Ottoburanum referimus) *quod admirandum Divinæ potentiæ & bonitatis exemplum eſt, dum alibi clauſæ ſcholæ ſilent, Salisburgenſis Academia diſcipulorum numero & qualitate ſupra modum effloreſcit, nomenque ſuum ad remotas provincias propagat, & quam plurimis juvenibus tam Religioſis quam Secularibus ſubſidio eſt, ne inter arma, quorum ſtrepitu tota fere Germania concutitur, ſine libris rudes adoleſcerent.* So-

Salisburgũ Civitas refugij.

ciabant ſe præterea ſtudioſis ex Bavaria Sueviaque profugis multi alij, quin etiam Calendis Maij Ipſemet Sereniſſimus Dux Bavariæ *Albertus VI.* unacum Sereniſſima Conjuge *Mechtilde* Landgravia Leüchtenbergica, ac *Joanne Franciſco*, *Maximiliano Henrico*, (*) [a] & *Alberto Sigiſmundo*, Sereniſſimis filijs Salisburgum ſe contulit. Secuta eoſdem Sereniſſima Bavariæ Electrix *Eliſabetha* Lotharingica [Sereniſſimus Conjux *Maximilianus* Elector (*) [b] in caſtris agebat] ſecum Iconem D. Virginis Oetinganæ aſportavit, quæ XVII. Calendas Septemb: Anno MDCXXXII. feſtiva pompa, omnibus Sodalitijs ac Religioſorum Ordinibus præeuntibus, Jlluſtriſſimo Principe *Paride Lodronio*, Sereniſſimis Exulibus, ac ſex Abbatibus in Pontificali habitu ſequentibus, e Mülkenſi Eccleſia PP. Eremitarum S. Auguſtini in Templum cathedrale invecta publicum cultum, frequenter ad Matrem Gratiæ con-

Imploratio Matris Miſericordiæ D. Virg. Oetinganæ.

[a] *Año* 1650. *Archiepiſcopus & Elector Colonienſis obijt* 3. *Iulij* 1688.
[b] *Obtinuit Is Domui Bavaricæ dignitatem Electoralem Anno* 1632. 25. *Februarij. Obijt Anno* 1651. 17. *Sept.*

currente populo, tulit. In transitu prope Collegium PP. Professorum platea nostra utrinque in eruditam D. Virginis laudem emblematibus & versibus referta triumphalem portam, quoad per temporis angustias licuit, eidem statuit, sacramque Iconem veteri loco collocandam IX. Calend. Decembris Oetingam usque non exiguus PP. Professorum, Studiosorumque numerus comitatus est. Serenissimis hisce exulibus jussu Celsissimi Principis a PP. Professoribus Comœdiæ majores *de Jephte Ductore Hebræorum*, *Victore Amonitarum*, *ac Victimario filiæ*, X. Calendas Julij, *de Anastasio Fortunæ pila*, *terra piaculo*, *oris monstro in bonorum album magna Martis relato*, VI. Idus Novembris; Dramata minora varia, Disputationes, aliaque similia ad levandas temporis tristitias apparata sæpius eosdem non sine magnis gratijs & favoribus in nostrum Collegium pertraxerunt. Anno eodem Mense Decembri post præmissam Orationem inauguralem primus Medicinam publice legere exorsus est *D. Antonius Cola* Italus.

Miscentur gaudia mœstis.

Initium Medicinæ

XLVI. *Afflictæ res DD. Confœderatorum Præsulû.*

Petijsset Annus MDCXXXIII. juxta Statuta de novo Universitatis Præside, nec non Assistentibus, consilia agitari, at misera vetabant tempora; pleraque confœderata Monasteria ab hostibus expilata, quædam flammis absumpta, pulsi Præsules, fugati Monachi alienam undique expetebant operam: Ipsemet Universitatis Præses *D. Andreas* Abbas Ottoburanus Lindavij in exilio tertio Nonas Martij morte consumptus, non nisi Anno MDCXXXVII. in officio Præsidis Successorem habuit, defunctis interim quoque DD. Assistentibus. Major erat fortuna, perpetuaque quasi requies Musis Salisburgensibus, ut quibus V. Idus Julij ex legitima *F. Raymundi Reblinger*, nuper

Benefactores quidam.

Mona-

Monachum in Admontensi Cœnobio professi, ter mille floreni obvenerunt. Adjunxit is An: MDCXLVIII. doctrinam suam in Theologiæ Moralis cathedra dictusque Anno MDCLIX. Admontensium Abbas in Præsidis munere se liberalem exhibuit. Aliud Legatum pauperibus Studiosis transcripsit Anno eodem Illustrissimus *D. Joannes Sigismundus L. B. de Lamberg* Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis Canonicus, ut scilicet singulis anni angarijs duodecim floreni totidem studiosorum inopiæ subvenirent.

XLVII. *Juventus Academica contra hostē armatur.*

Anno tandem MDCXXXIV. multoties hortante Celsissimo Fundatore, D. Studiosos Academicos obarmare statuit Universitas. Quapropter v. Idus Februarij in Aula Academica comparere jussos DD. Studiosos, præsente Universitatis Assistente perpetuo *D. Alberto* Abbate S. Petri, totoque Senatu Academico pro cancellis Altaris circumfuso, sic alloquebatur P. Rector Magnificus.

„Ornatissimi Domini Studiosi. Quæ passim calamitas „hactenus Romanum Imperium pene universum oppresserit, „& opprimat etiamnum, partim multi vestrum suismet oculis „viderunt, partim quotidie cernimus. Quod vero Provincia „atque Urbs Salisburgensis ab hostium incursu, cæde, & rui„na hucusque libera fuerit, est quod Deo ter Optimo Maximo „summas agamus gratias, nec unquam precibus nostris Eundem „exorare cessemus, ut secuturis quoque temporibus, nos, Ur„bem, totamque Provinciam clementi sua bonitate conservet, „vigilantesque pro universis curas Celsissimi Fundatoris nostri „benedicere & adjuvare dignetur. Hujus profecto vigilantiæ, „exquisitæ animi prudentiæ, & Sumptuum magnitudini debe„mus, ut & ipsi salvi alios ubertim huc confugientes hospitio „possemus excipere, sæpius jam mirati, an plures, ad quos con„fugerint, vel qui confugerint. In omnem proin partem vi-

„gilantiæ & providentiæ oculo intentus idem Celsissimus Prin-„ceps ac Dominus noster Clementissimus, maximam in vestra „fortitudine spem reposuit, sibique persuasit, cum hoc tem-„pore Universitas & Studiosorum numero & indole floreat, „non defuturos ex vobis, imo quam plurimos fore credidit, „qui ad ejusdem Celsitudinis honorem, Patriæ & Urbis salu-„tem, suam operam libentissime essent collaturi. Quanta læ-„titia animum nostrum perfuderit Optimi ac Celsissimi Princi-„pis concepta de vobis fiducia, verbis haud expresserimus: ar-„debat in venis sanguis una vobiscũ Salisburgensis Metropolis „incolumitati litandus; quin imo vestrum omnium arma expe-„tentium voces auribus nostris jam perstrepebant. Unde etiam „de vestra magnanimitate confisi non dubitavimus opem ve-„stram Celsissimo Fundatori nostro offerre, si hostilis exerci-„tus Urbis obsidionem moliretur. Ut autem intelligatis, qua „ratione omnia instituenda veniant, I. Nullam propterea ju-„risdictionem quisquam in vos habebit, præterquam Univer-„sitatis Superiores, qui amplissima Privilegia Academica in eo-„dem statu & vigore conservabunt. II. Neminem cogimus, „sed singulorum voluntati relinquimus, neque ij, qui nomen „dederint, Salisburgi permanere obligantur, sed cum libuerit, „liberi abibunt. III. Idem erit in omnibus frequentandi & Le-„ctiones adeundi modus. IV. Certos quosdam dies exercitijs „militaribus destinabimus. V. Arma hucusque prohibita nul-„lus portabit, nisi cum exercitij causa necesse erit. VI. Nullo „Vigiliarum, aut quovis alio onere idcirco onerabimini. VII. „Est penes vos Capitaneum ac Duces vestros nominare. Ite „jam generosæ animæ, & nominis vestri fama Cives, inquili-„nos, exteros in admirationem rapite. Ite; quorsum mascu-„la animi fortitudo, honor, & gloria vocant, nec jam vos ipsos „solos, sed Musas vobis servate. O quoties in literaria arena „fortiter dimicastis! quoties doctis victoribus laureas imposue-„re Musæ! Modo in æviternum debiti honoris, observantiæ, „& gratitudinis argumentum e hostium trophæis novas vobis

„coro-

„coronas nectite. Verum quid generosis ignibus oleum affun-„dimus? In remotis adhucdum locis hostes agunt. Et bene: nec-„dum in mœnia & turres vos ducimus, sed paratos cupimus, ut, „si hostilis acies, quod benigni Superi avertere velint, Urbem „Salisburgensem obsidione cingeret, vos ejusdem defensioni „invigiletis, tanto facinore gloriosi, deque Matre vestra, Uni-„versitatem intelligimus, universa Provincia, Religione Ca-„tholica, ac toto Jmperio optime meriti. En quanta in una „militari virtute encomia! Immittite in hanc gloriæ messem „viriles dexteras, nec unquam laudes vestras silebit grata po-„steritas, &c."

P. Rectorem Magnificum varijs hortamentis excepit Universitatis Assistens perpetuus *D. Albertus* Abbas S.Petri severe denuo authoritate Academica universis inhibens, *ne armorum causa pennæ oblivliscerentur: diligenter adeundas Scholas, repetitiones, ac menstrua haustæ Scientiæ specimina, nisi severam Academiæ animadversionem incurrere velint: dies Martis & Jovis exercitijs Militaribus consecrandos, reliquos studijs* &c. Necdum Divi Petri Abbas verba compleverat, cum plurimi Studiosorum arma jam elata voce expeterent. Inscripti proin authoritate Academica in Album militare Universitatis, ac demum XIV. Calendas Martij in suas cohortes & ordines divisi in Supremum Capitaneum elegerunt *D. Franciscum* L. B. ab Haunsperg doctrina æque ac militia egregie imbutum, in Locumtenentem *D. Benedictum Renner* ab Almadingen, in Vexilliferum *D. Hieronymum* Comitem de Lodron, omnes olim Universitatis Salisburgensis Albo insertos: primus Anno MDCXXIV., reliqui duo Anno MDCXXVII. Matriculam subijerant. Proprium quoque vexillum militiæ Academicæ datum XIV. Calendas Aprilis in latissima area prope Archiepiscopale Palatium, spectante eodem Celsissimo Principe, tota Aula, ac Senatu

Dies pro exercitijs militaribus.

Militia Academica Ductores generosi.

Concreditur vexillum bellicum.

Mars & Ars junguntur ordinatim natu Academico. In armis itaque Studiosus sedulo Lectionibus interesse compellebatur; Soli feriarum Scholasticarum, seu ut vocare amant, recreationum dies militaria præbebant exercitia, propositis aliquoties a Celsissimo Principe muneribus ijs, qui sclopetis proximam tenerent metam.

XLIX. *Contagiosa lues scholas claudit.* Mirum in modum inassuetus alias armorum usus, ac præprimis militaris gloriæ fama studiosæ juventutis animos accendebat, imo etiam e diversis Provincijs Salisburgum invitabat, donec, quos nullus hostium metus perculluit, contagiosa lues dispersit. Biennio jam, ne malo malum deesset, Bavariam bello igneque crudeliter vastatam illa invaserat, depastis in unica Urbe & vicinia Monachiensi quindecim hominum millibus. E Bavaria in vicinas Archi-Diœceseos Salisburgensis terras serpebat malum Mense Decembri Anno MDCXXXV, crescebatque postea anno MDCXXXVI, magis & magis, ut in ipsa Archiepiscopali Metropoli jam nulli ætati aut conditioni parceret. *Cautelotus Senatus Academici.* Coëgit ea res Senatum Academicum in diversa consilia, ne contagione aliqua Universitas inficeretur, cumque Senatus Academici authoritate publicatæ ordinationes ac cautelæ minus pestifero malo mederentur, quin omnes minus periculum formidarent, ubi pauci forent, de mandato Rectoris Magnifici clausæ sunt scholæ quinto Calendas Julij, dimissi Professores, Convictores, Studiosi, donec cessante lue convocare rursus Scholares, ac Ludum aperire, Rectori ejusque consilio videretur. *Scholæ temporius aperiuntur.* Quinto dein Calendas Octobris ne dispersæ Studiosorum reliquiæ, decrescente indies contagione, inani otio tepescerent, iterum apertæ sunt scholæ, nec non principalis Jmago D. V. Mariæ e Metropolitana Ecclesia

clesia in aulam Academicam reportata, sed præmature nimium. Nonis Octobris mortiferum malum denuo duodecim Civium domos invasit ea vi, ut tertia pars incolarum triginta sex hebdomadum spatio interjerit. (*) Anno tandem MDCXXXVII. sopita penitus contagione, Urbique salubri aura reddita, rursus apertæ sunt scholæ, præmissa solenni Oratione, ac debitis Deo T. O. M. gratijs in Aula Academica persolutis.

XLIX. *Novus Præses & Assistentes.* Et quoniam Universitas Salisburgensis tam Reverendissimum D. Præsidem, quam DD. Assistentes æternitati adscriptos lugebat, Idibus Novembris ejusdem anni DD. Confœderati novum Præsidem dixerunt *D. Honoratum* Abbatem Seonensem, Assistentes Provinciarum *D. Michaëlem* Abbatem in Monte S. Andechs, *D. Bernardum* Abbatem S. Udalrici & Afræ Augustæ Vindelicorum, & *D. Udalricum* Abbatem in Tegernsee. Ingens sane lætitiæ argumentum hæc electio præbuit *Patri Matthæo Weiß* Rectori Magnifico, qui inter periculosissima belli pestisque pericula summa prudentia & magnanimitate una cum *D. Alberto* Abbate S. Petri ab omnibus pene Confœderatis destitutam Universitatem hucusq; gubernaverat, facturus procul dubio plura, ni ad capienda meritorum præmia, ut speramus, in cœlum avocatus esset IV. Calendas Novembris Anno MDCXXXVIII, postquam Universitati annis omnino decem laudabiliter præfuisset. Vixit tamen denuo in Successore suo *P. Romano Müller* Seonensi, Monacho ad omnia summa nato, quem pridie Nonas Decembris Rectorem suscepit Universitas. Prima ejusdem cura fuit, ut Anno MDCXXXIX. arma penitus a Studiosis revocaret,

Obitus P. Matthæi Weiß.

Arma a Studiosis revocantur.

[c] *P. Mezger Histor, Salisb, Lib. 5. c. 29.*

caret, ac armamentario reponeret: Assuetus siquidem armis Studiosus passim tumultibus, ac rixis, plateas implebat, ac si, nunquam appropinquante hoste, amico sanguine pugnandum foret, donec per integram diem in nigra tabula ad valvas Universitatis suspensum Decretum recrudescentem rancorem, quo in militem custodem Urbis ferebantur, sopivit, cunctosque juratam obedientiam edocuit, luculento monito, nunquam Studiosos armandos, nisi Hannibal ante portas, nec diutius, quam præsentaneum periculum ante oculos versatur.

L. *d Archifraternitas horæ perpetuæ.* Anno MDCXL. Nonis Octobris promovente potissimum P. Rectore Magnifico prima incrementa sumpsit in Collegio PP. Professorum *Archi-Fraternitas horæ perpetuæ*, (*) cum Archi-Fraternitatem Ss. Rosarij jam Anno MDCXXXIV. Calendis Octobris a nostris assumptam legamus. Dedit utrique omnium primus nomen suum Celsissimus Princeps *Paris* ductaque Sorte secundam pomeridianam Nonis Maij orationis suæ horam reportavit, quam etiam recurrente anniversario die in aula Academica quotannis peregit una cum sex PP. Professoribus, ac quindecim pauperibus Studiosis, quos ultimos non nisi larga stipe donatos remisit. Proximus ab Archi-Episcopo inscribebatur *DD. Joannes Christophorus* Comes de Liechtenstain Episcopus Chiemensis, & post hunc Anno sequenti omnes ex Archi-Diœcesi Salisburgensi.

Agunt

[d] *Archi-Fraternitas hæc hora perpetua ex Ordine S. Dominici ortum habuit Neapoli, inde in Germaniam delata Salisburgi & Augustæ Vindelic: primos natales habuit. Anno dein* 1641. *eandem in suis per Germaniam Monasterijs propagarunt PP. Dominicani. Fecit idem eodem anno Monasterium Seonense, aliaque Ord. S. Benedicti Cœnobia*: Ephem: MS.

Agunt nostri quot Mensibus prima Dominica solennem Ss. Rosarij Processionem, licet eam magis celebrem velint, quæ prima Dominica Octob: occurrit.

LI. *Congregatio Benedictino-Salisburgensis.* Statuerant porro jam ab Anno MDCXXXVI. universa Archi-Dioeceseos Salisburgensis Cœnobia Benedictina, Congregationem aliquam inter se erigere, ut universalem Congregationem Benedictino Ordini Anno MDCXXXI. (*) denegatam in sua Provincia restituerent, ac quorum una esset professio, eadem quoque foret universim vivendi ratio, eædemque consuetudines. [e] Perfecta est Congregatio ista Anno MDCXLI Mense Novembri, constituto primo ejusdem Præside *D. Alberto* Abbate Petrensi, Visitatore *D. Urbano* Abbate Admontensi viro de Ordine ac Universitate optime merito. Referendarius cunctis DD. Abbatum Sessionibus intererat P. Rector Magnificus; Nam, quod P. Mezger (*) meminit, ad [f] mandatum Celsissimi Principis, v. Idus Januarij Anno MDCXXXI editum, DD. Abbates per suos deputatos (*qui erant præcipui Academiæ Professores*) Constitutiones seu declarationes in S. Regulam, quibus regularis vivendi ratio juxta normam optimis legibus imbutorum ac reformatorum Cœnobiorum propinatur, concinnarunt. *Regularis vivendi ratio in Congregatione* Erant hæ PP. Professorum declarationes amussis, ad cujus præscripta instruebatur Congregatio Benedictino-Salisburgensis, tum exacta disciplinæ monasticæ observantia, tum doctissimorum virorum copia longe florentissima, suorumque Monachorum celebri doctrina de Universitate non semel præclare merita.

LII. Anno MDCXLII antiquos in Collegium aca-

L de-

[e] *Vid. supra Cap. IV.*
[f] *Hist.* Salisb. lib. 5. cap. 30.

Otto Fridericus Episcopus Labacensis Benefactor

demicum favores novo beneficio cumulavit Jllustrissimus *DD. Otto Fridericus* Comes a Puechaimb ex Canonico Salisburgensi, Magdeburgensi, & Passaviensi, Anno MDCXLI Episcopus Labacensis designatus, (*) ubi v. Idus Januarij præsentibus DD. Jllustrissimis *D. Adamo Laurentio* Comite de Törring, (*) Præposito Ecclesiæ Metropolitanæ Salisburgensis, Supremo Principis Camerario, alijsque, cellam vinariam, quam ante biennium prope Xenodochium Civicum e viva petra exciderat, Collegio PP. Professorum propriam fecit. Obijt Præsul optimus, ac studiorum nostrorum, dum Salisburgi moraretur, fautor eximius Anno MDCXLIV. Eum Buzelinus (*) fatetur, *fuisse Episcopum nulli sua ætate prudentia, eruditione, formæ, morumque elegantia, omniumque virtutum contextu mirifico secundum.*

(g) (h) (i)

LIII. *Benefactores alij.*

Haud absimilis præteritis annis aliorum in Collegium Benedictinum benevolentia effulsit, nimirum *D. Gregorij Wallij*, *R. P. Joannis Jacobi a Preising* Monachi Tegernseensis, & *Dominæ Schuabengrueberin*, qui, ut plurimum Collegio nostro contulerunt, ita justam, perpetuamque a nobis memoriam hic merentur. Juvat hic loci quoque meminisse Jllustrissimi Principis *Joannis Christophori* Comitis de Liechtenstain Anno MDCXXV. ad Mitram Chiemensem admoti. Antiqua illi consuetudo erat, ut singulis mensibus quin-

[g] *Labacum antiquis Æmona, Lubiana & Lublana, Carniolæ urbs primaria celebratur.*

[h] *Anno 1630. Canonicus Salisb. & an: 1639. Præpositus ibidem naturæ debitum solvit anno 1666. Promotor Universitatis optimus.*

[i] *Buzel. Germ. sac. p. 1. Narrant quoque Ephemerides Acad. eundem Hagiophilæ solitudinis amantissimum, quotannis in Collegio Academico S. octiduana exercitia peregisse.*

quindecim pauperes Studiosos in honorem quindecim Mysteriorum Ss. Rosarij in palatium suum invitaret, Minister ad mensam inserviret, aquam ipse præberet manibus, ac septem fercula, vinique optimi, quantum volebant pauperes hospites, infunderet, denique pro nocturna cœna unicuique florenum offerret. Astitit aliquoties huic Christianæ humilitatis & munificentiæ spectaculo P. Rector Magnificus minister & ipse prandentium. Optandum profectò, ut tales Mœcenates indigentibus Studiosis nunquam deessent, ne dira quandoque fames librorum studiorumque nauseam excitaret. Fatis cessit pientissimus Princeps Calendis Decembris Anno MDCXLIII. *ijs patientiæ, constantiæ, pietatis Christianæ signis, quæ non tantum certa facerent beatitudinis signa, sed insignia exempla typo danda.* (*) Demortui cadaver quarta Decembris die tumulum accepit in templo Metropolitico, concionante P. Rectore Magnifico. Plura loquitur ejus Epitaphium apud P. Ottonem Aicher. (*)

Verus Mæcenas Studiosorum pauperum.

k

l

VIATOR CAUTE AMBULA.
Gemmam hic calcas, non Lapidem;
Intus fulget Comes Liechtenstainius,
Joannes Christophorus Chiemensis Episcopus;
Hujus Ecclesiæ Decanus, Consilij Sacri Præses &c.
Princeps humanus, pius, sapiens, bonus,
Musarum & Pauperum Mœcenas.
Annulo æternitatis inserta Anno MDCXLIII.
Quam, ut in vita, sic post fata, apud se esse voluit
Paris Archi-Episcopus.

I 2 Paren-

[k] *Verba referimus Magnifici Rectoris in* Ephemer. Academ.

[l] In theatro funebri p. 1. Sc. 2. *ubi eundem* Sapientiæ utrumque oculum, Pietatis mentem integram, Liberalitatis ambas manus, Virtutum purum osculum, Musarum amorem, Templique decus &c. *depredicat.*

Grati animi demonstratio in Benefactorem.

Parentavit Universitas Benefactori suo munificentissimo, qui omnes fere Actus Academicos sua præsentia beavit, IV. Idus Decembris tum Officio, tum Oratione funebri, quam *P. Joannes Jacobus* a Preising Monachus Tegernseensis, ac Rhetorices Professor publicis typis describi curavit. Successit etiam eidem in Episcopatu Jllustrissimus *D. Franciscus Vigilius* Comes a Spaur, pridie Nonas Martij Anno MDCXLIV. prosa a nostris salutatus.

LIV. Præses Universitati tunc temporis præsederat ab undecima Novembris die Anni MDCXLIII. *D. Bernardus* Abbas ad S. Udalricum & Afram Augustæ Vind: Assistentes Provinciarum, *D. Honoratus* Abbas Seonensis, *D. Corbinianus* Abbas Schyrensis, *D. Maurus* Abbas Andecensis. Destinatæ ab his Anno MDCXLIV. ad universos DD. Confœderatos literæ encyclicæ, quibus Universitatis incrementum ob oculos ponebant, simulque ad renovandum fœdus Academicum singulos hortabantur. Nos, cum memoratæ literæ ea, quæ hactenus enarravimus, non parum illustrent, operæ pretium fore duximus, si easdem Lectori consignaremus.

Literaria ratio literis innotescit.

P. P.

„Annus jam Sextus supra vigesimum est elapsus, a quo Universitas nostra prima jecit fundamenta sui studij, tam arduo „quidem difficilique principio, ut multos tum sapientia tum „authoritate venerandos, Reverendissimosque Ordinis nostri „Præsules, vocatos in comunem operam, vel differret dubios, „vel timidos absterreret. Considerabant, & soliciti metiebantur magnam operis molem, quæ tam dissolveretur facile, „quam difficulter ab initio coaluisset. Viros requiri doctos, exercitatos, factos & veluti natos ad publica, quos ut distingueret „scientiarum varietas, ita uniret concordia disciplinæ: e diversis „Mona-

„Monasterijs & Provincijs adscita membra unum sine æmula-
„tione regeret Caput, dimitteret, advocaret, non defutura
„unquam certissima successione. Et quis unus omnium hanc
„conformaret prorsus novam Rempublicam, & confirmaret?
„ita illi, quibus sola humana in consilium est prudentia, &
„non tantum magni operis, sed inexpertæ molis providus, an
„solicitus timor? nihilominus alij Reverendissimi & Sapientis-
„simi Præsules, qui hanc novi operis molem majori zelo &
„diviniore oculo contemplabantur, multis retro seculis opta-
„tam, hoc postremo denique oblatam occasionem magnis
„animis aggressi in præsentem statum magno & publico incre-
„mento prima initia provexerunt. Experti deinde sunt, non
„sola humanæ prudentiæ lance librandum opus, ubi bona
„causa signum duceret, & sui Ordinis Zelus: esse eam Arbo-
„ris Benedictinæ indolem, ut omnem ætatem etiam adulta,
„sed nondum effœta novo semper germine coronaret. Exa-
„minabant Viri Religiosissimi, quanta necessitas esset, nostri
„Ordinis velut dispersionem uno loco & uno studio si non in
„sanctiorem cognationem, revera cognitionem familiarius
„promovere. Quoties enimvero tentata similia a Viris mag-
„nis, sed semper superseminatis Zizanijs impedita? sola Juva-
„via dedit, quod alij negarunt: Hinc cernimus fundata jam
„omnia, conveniente & annuo censu, firmataque Pontificijs
„& Cæsareis Bullis; subjectos soli Ordini Benedictino omnes
„omnium Studiorum Professores, Cathedras, Gradus, Digni-
„tates; Structam magnam ædificij partem, & attributa omnia
„vero Dominij jure, totiusque Reverendissimi Capituli con-
„sensu, quem manu Singuli & Sigillis proprijs roborassent:
„institutam præterea, & in praxin jam ductam Reipublicæ li-
„terariæ formam, Humaniorum, Philosophiæ, Medicinæ,
„Juris utriusque, & Theologiæ exercita studia, quanto pro-
„movenda facilius, quam incipienda? atque adeo submotos
„omnes lapides, qui Viros ante prudentissimos offendissent.
„Quod deinde insignes fortuna & ingenio in Monasteria velut
in

„in colonias circumquaque ductos adolescentes? quot e nos-
„tris cathedris domi deinde proficuos viros? ut taceamus vel ex
„adversariorum invidia & lucta, atque etiam magnorum Vi-
„rorum testimonio conciliandam almo Ordini authoritatem.
„His, alijsque ducti & permoti rationibus, sub anni prædicti
„finem, & publici studij annuam renovationem, Nos infra
„scripti Abbates dictæ Universitatis nostræ Præses & Assisten-
„tes, sepositis domesticæ curæ negotijs, officio nostro pro me-
„riti & causæ magnitudine defuncturi, uno omnes die & loco
„Salisburgi præsentes convenimus, ubi mox in magna aula, &
„publico Studiosorum conventu, habita solenni Missa, pro-
„mulgatisque ex cathedra tam Pontificijs quam Cæsareis Bul-
„lis, alijsque ceremonijs pro solenni more habitis, primo RR.
„PP. Academicorum, dein totius literariæ causæ per multos
„dies plena Visitatio instituta est. Ex cujus tota, & serio ex-
„plorata, emendata, & approbata serie, tum etiam Jllustris-
„simi Principis Archi-Episcopi Fundatoris liberalissimi &c fa-
„vore, patrocinio & affectu, in novam usque adeo velut præ-
„sentissimi testes, & constantem majoris incrementi fiduciam
„animati fuimus, ut inter cætera firmando publico bono con-
„sultata media hoc primum omnibus videretur, ad Reveren-
„dissimos Ordinis nostri Abbates, quos cura & causa magni
„hujus negotij tangit, proprias amandare Literas, tum ut ex
„merito Academiæ nostræ statum & profectum intelligant, qui
„suo auxilio & consilio fœderati prima initia adjuvissent, tum
„ut læti viderent admirabile Dei consilium, ac futuræ constan-
„tiæ fundamentum, quando inter bellicos totius Germaniæ
„tumultus nostra hæc una Universitas nata propemodum & ad-
„ulta, eo fundata & posita loco est, ubi sola a cunis & primo
„lacte adhuc tenera, dum aliæ dudum adultæ singulæ ruinas
„lugebant suas, in robur majus & ramos se latissimos porrexis-
„set. Quocirca tum ad obstruenda Adversariorum, etsi non
„palam ampiius, at clam forsan obstrepentia ora, tum ad in-
„flammandos communes animos, Vestram Admodum Reve-

ren-

„rendam Paternitatem his amicissime obtestamur, ut, quoniam „ingens hoc & manifestum totius Ordinis ornamentum salvum „jam & firmum alijs, quibus videbatur aut timebatur nutare „posse, partibus ex uno ac solo Reverendissimorum DD. Ab„batum constanti auxilio & consilio pendet, antiqui fœderis „argumentum porro per literas dignetur renovare, ac suo pa„trocinio stabilire. Dabamus in nostro Collegio S. Caroli Bor„romæi Salisburgi 26. Aprilis 1644.

LV. Prudentissimum sane consilium, ut bello dispersa Monasteria antiquum renovarent fœdus, quamquam id non nisi Anno MDCLIII. impetrari potuerit, cum & Austriaca Cœnobia felici fœdere sese Universitati junxissent; Helvetiæ econtra Abbates, juxta (m) nuper recitata concordata, (*) evolutam decennalem unionem deseruissent. Aperuerat enimvero Roschacij oppido ad lacum Acronianum seu Podamicum in (n) Helvetiæ partibus sito, communem scholam *Pius* (*) Princeps & Abbas S. Galli, in qua Eminentissimus *Schola Roschachiensis,* S. R. E. Cardinalis Cœlestinus Sfondrati duodennis adhuc juvenis, ut alios Viros præclaros taceamus, Anno MDCLVII. prima scientiæ fundamenta jecit. (o) Abrogavit scholam hanc *Leodegarius* (*) Abbas & Princeps S. Galli. Parem literarum curam Principale *& Bellinzonensis.* Monasterium Einsidlense in Bellinzonensi oppido Anno MDCLXXV. in se suscepit sub Principe & Abbate Einsidlensi *D. Augustino* quondam in Universitate Salisburgensi Ss. Theologiæ Professore, de quo fusius *Lib. II. Cap. VII.* agemus.

Cæte-

[m] *Vid. Cap. II. fol. 32.*
[n] *Pius Abbas eligitur Anno* 1625. *Obijt Anno* 1659. 9. *Decembr.*
[o] *Leodegarius Anno* 1696. 10. *Janu. Abbas electus, moritur Neo-Ravenspurgi* 1717. 28. *Novembris.*

LVI. *Vexillum academicũ denuo erigitur*

Cæterum communis hucusque necessitas, & Patriæ defensio ingentes expensas, istæ solito majores exactiones ac tributa exigebant ad tuendam & muniendam Provinciam. Hinc, cum ægrius tanta onera ferrent Alpium incolæ, ferum, inhospitum, implacabile hominum genus, continuo sclopetis, palis, ferratis clavibus obarmati in Krabspurg, Zillerstall, & Pongau sese colligebant, licet ad primam rebellionis tubam Sapientissimus Princeps militem, qui in ipso ortu flammam sopiret, dimiserit, ne apertius quid rebelles molirentur. Urbe itaque copiosiore milite destituta Academicum Vexillum, quod in Suecicis angustijs maximum undique plausum tulerat, in omnem eventum denuo erigi tanto fortius petebat Celsissimus Princeps, quanto magis rusticorum turbæ alios in parem perfidiam deflectere poterant. Paruit jussis P. Rector Magnificus, coactoque Consilio Academico universis æquissimum visum fuit, ut, a quo Universitas vitam acceperat, pro ejusdem quoque incolumitate vitam & sanguinem offerret. Quapropter III. Nonas Junij Año MDCXLV. subnectendum Decretum Academicum ad Valvas Universitatis affixum fuit.

Contra seditiosos rusticos.

P. P.

„A pluribus hactenus Universitatibus & Academijs per„quam officiose curatum, ut, si quando Urbes, in quibus Ar„tes Liberales sedem fixerunt, vel earum Principes & Funda„tores, aut Patroni bellicis impliciti tumultibus laborarunt, „Academici Studiosi fidelem suam operam liberrime obtule„rint, & non raro sumptis armis re ipsa præstiterint. Quare „cum etiam Celsissimus & Reverendissimus noster Archi„Episcopus & Princeps Almæ hujus Universitatis Fundator li„beralissimus singulari confidentiæ affectu his adversis tempo„ribus DD. Studiosorum operam, illudque Academicum Ve-

„xillum,

„xillum, uti Anno MDCXXXIV. cum plausu & gloria factum, „erigi non una ex causa defendendæ Urbi, si quod periculum „immineret, desideret. Idcirco, quicunque Principem, vel „bonum Patriæ publicum amant, hoc triduo sua nomina vel „Admodum Reverendo P. Procancellario, vel R. P. Præfecto „dabunt, ita tamen, ut nulla Studiorum, Scholarum, & Aca- „demicæ disciplinæ damna interveniant, denique nulla inde „obligatio oriatur. &c.

Copiose statim ad primum hujus Decreti conspectum militiam Academicam sequentibus DD. Studiosis P. Rector Magnificus, coram Senatu Academico Idibus Junij, Vexillum Academicum propria manu concredidit, ea conditione, ut, si Urbis defensio id exigeret, ipsi sumptis armis loca ad excubandum in mœnibus assignata occuparent, Urbem, Patriamque mascula sua virtute protegerent, interim tamen sedulo adirent scholas, atque omni armorum genere abstinerent. Mira erat omnium alacritas, nec tam studiosi quam milites in Castris exercitati videbantur, ita ordinatis cohortibus ad Principis palatium procedebant, parati omnes, aut Urbem fortiter propugnare, aut pro patria pulchræ occumbere morti. Pacatis postmodum Mense Julio Rusticorum turbis Vexillum Academicum propediem ab Universitate revocatum est, laureatum, non quod rebelles viderit, sed publico totius Provinciæ bono destinatum denuo grato Urbi spectaculo probaverit, quanta in Academica juventute fiducia esse possit. (*)

Martia studiosorũ promptitudo.

M Efful-

p *Idem mos in alijs Academijs receptus est, ut, dum locis, in quibus Literæ domicilium habent, periculum ab hoste imminet, studiosa juventus ad arma vocetur. Duo exempla suggerit Nicolaus Vernulæus* in Acad. Lovan. lib. 3, cap. 16. *Unum Anno* 1542. *Alterum Anno* 1622.

LVII. *Collegium Lodronio-Marianum.* Effulsit circa idem tempus Celsissimi Principis Paridis in rem literariam amor, exstructo in ulteriori Civitate Collegio Alumnorum, quod B.V.M. in coelos Assumptæ honoribus Anno MDXLV. tertio Idus Sept: dicatum, Collegium Lodronio-Marianum vocari amat. Patet hic Alumnis optimis legibus ac statutis instructis, qui ad duodenarium numerum subinde ascendunt, omne Scientiarum genus, cunctisque liberum manet, sive Laicali sive Clericali statui se addicere, modo pro tempore in Alumnatu peracto duplicatum annorum numerum in Benefactorum suorum servitijs solvant, ni in iteratum Lodronianæ pietatis monumentum ipsimet enatum jus condonare velint. Supremam autem potestatem, denominandi, substituendi, & amovendi tum Collegij Præfectum, (Sacerdotem secularem) tum ipsos Alumnos, quorum tres ex Parochia loci Villæ Vallis Lagacinæ Tridentinæ Dioecesis, reliqui vero ex Primogenituræ Lodronianæ subditis, aut alijs de eadem Jllustrissima Familia bene meritis, si suppetant, assumendi veniunt, Fundationis tabulæ tribuunt Primogenituræ possessori ex Jllustrissima Familia Comitum Lodroniorum. Habet præterea Collegium hoc, uti & Rupertinum, suos Inspectores, quos inter Rector Universitatis: illi certis temporibus Collegia visitant, ratiocinia inspiciunt, atque in occurrentibus negotijs privative disponunt ac dirigunt.

Collegij Præfectus Sacerdos secularis.

LVIII. *a Suecis timenda pericula.* Anno MDCXLVI. Mense Septembri mirus iterum ubique timor toti viciniæ fugam indixerat, cum Cæsareanus miles adhuc dispersus se colligeret Ratisbonæ. Urangelius namque e *Westphalia* adductis copijs torrentis instar *Bavariam* penetraverat, tandemq; ubi *Frisingam* diripuisset, versa acie *Augustam* obsidio-

dione cinxit. Rebus inde infectis abire compulsus (*) per miserorum agricolarum cædes, & innocuorum tectorum incendia adulto jam Decembri ad Lacum Podamicum castra metatus est. Liberavit hocce consilio tanto majori periculo Urbem Salisburgensem, quanto magis remotas terras igne ferroque devastabat. Unde IV. Idus Decemb: Augustæ Salisburgi advenit Universitatis Præses *D. Bernardus* Abbas Ss. Udalrici, & Afræ, ut consueta triennali visitatione Academiam inviseret. Durum illi imprimis negotium (*intricatos cuniculos silentio tegimus*) contra æmulos quosdam excrevit; succubuerunt nihilominus detectis feliciter fraudibus, quoniam ab illis jacta retia ante oculos pennatorum. Explicatæ enim tricæ indies magis & magis in novas Gratias solicitabant Celsissimum Principem, uti & Serenissimum *Franciscum Sigismundum* Archiducem Austriæ, (*) qui x. Calendas Sept: Anno MDCXLV. tanquam Canonicus Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis primam suam Residentiam auspicatus, Austriacam in Ordinem D. Benedicti Clementiam pluribus probavit exemplis. Expeditus proin insidiantium laqueis Reverendissimus Universitatis

Adversariorum techna elusa.

m 2

[q] *Cæpit obsidionem Urbis Augustana Carolus Gustavus Urangelius 25. Septembris: quam tamen iterum solvit 13. Octobris die S. Symberto Episcopo Augustano Sacra. P. Corbinian. Khamm* Hierarch. August. p. Cathedr. Cap. 6. Class. 4. Sect. 10. à Numero 199. usque ad Num. 222.

[r] *Franciscus Sigismundus Anno 1630. in Orbem datus, Salisburgensis, & Augustanus Canonicus, constituitur Anno 1646. Episcopus Augustanus, Anno 1653. Episcopus Tridentinus & Gurcensis. Resignatis dein Anno 1665. Episcopatibus, cum Fratri Serenissimo Ferdinando Carolo Archi-Duci Aust. & Comiti Tyrolis An: 1662. 30. Dec. improli e vivis sublato succedere cogitaret, Anno eodem Hymenæum Libitina prævertit.*

sitatis Præses, eo se totum applicuit, qua ratione novis statutis antiqua solidaret. Primum respiciebat inclytam Facultatem Juridicam, quæ elapso Majo Anni MDCXLVI. S. Jvonis Juristarum Patroni Maximi solennitatem pompa, si unquam ulla alia, celebri peregerat. Confirmavit eandem Solennitatem Reverendissimus D. Præses, statuitque, ut quotannis inclyta Facultas juridica tutelare S. Jvonis festum cum deductione, ac publica panegyri obiret, quemadmodum ab inclyta Facultate Theologica in Festo S. Thomæ Aquinatis, a Facultate Artium in Festo S. Catharinæ V. & M. hucusque fieri consueverat.

Festum S. Jvonis solenniter peragendum.

LIX. *Quædam statuta promulgantur.*

Quædam ex reliquis statutis Año MDCXLVII. sexto Calendas Junij promulgabantur, ne, si sacrosancte conservanda Fundatorum Statuta & Leges in aliqualem forsan desuetudinem abijssent, per liberalem indulgentiam paulatim in licentiam, & gravem casum degenerarent. Nos ex universis Statutis unice *tertium* & *quartum* hic adducimus; Hoc volebat, *ut omnis Studiosus simul sit B. V. M. Sodalis*; Illud, *ut absque Magnifici D. P. Rectoris licentia nemo sit, qui non binas adeat Lectiones.* Circa frequentandas Lectiones Academicas aliud statutum prodijt XVI. Calendas Decembris Anno MDCXVIII. quod, cum explicatius rem pertractet, locum hic meretur.

P. P.

„Quandoquidem Academiæ nostræ fundamentum est Le-„gum observatio & bonus Ordo, visum est, DD. Studiosis nos-„tris ex jam antea decretis & statutis quædam in memoriam re-„vocare, ut ea diligentius, quam hactenus observentur. I. Ut „singuli, qui Philosophiæ aut Theologiæ dant operam, binas „ad minimum adeant Lectiones, unam ordinariam, alteram „extraordinariam, nempe vel S. Scripturæ, vel Controversia-

„rum

„rum fidei, vel Casuum Conscientiæ, vel Juris, vel Ethicæ, „vel Mathematicæ, ita tamen, ut Theologi saltem priori an„no non negligant S. Scripturam & Controversias fidei, tan„quam materias Theologorum proprias. Logicis præter Lo„gicam tantum Ethica & Mathematica permittitur, nec sine „speciali Admodum Reverendi & Magnifici P. Rectoris licen„tia ullus ex ijs ad Jus vel Casus conscientiæ admittitur. Et has „extraordinarias Lectiones omnes constanter frequentent, ac „Professoribus extraordinarijs sua nomina consignent.

„II. Ut Juristæ, qui ordinarie nec Philosophicis nec Theo„logicis Lectionibus amplius occupantur, constanter utrumq; „Jus tam Canonicum quam Civile publice accedant, nec suf„ficiat frequentare privata Collegia. &c.

Reliqua puncta agebant de Divinis Officijs, Disputationibus publicis, Testimonijs discedentium &c. quæ alibi recurrent.



CA-

CAPUT VI.

Renovatio Academiæ. 1. *Novi confœderati.* 2. *Fundatur Collegium Lodronio-Rupertinum.* 3. *Obitus Fundatoris Paridis Archi-Episcopi*; 4. *Electio Guidobaldi.* 5. *Convictus RR. FF. ac Bibliotheca Academica.* 6. *Institutio militiæ Angelicæ* 7.

Ab Anno MDCXLIX. usq; ad Annum MDCLX.

IX. *Belli pericula ante adeptam pacem.*

ANNUS agebatur supra Millesimum Sexcentesimum quadragesimus octavus, cum post catastrophen Bavariæ funestam, Archi-Diœcesi vero Salisburgensi periculosam pax tandem rediit. Nam revocatæ ab Electore Bavaro, ut fingebant hostes, induciæ Gallorum Suecorumque Duces *Turenium* & *Vrangelium* eam in rabiem egerunt, ut trajecto Lyco & Isara *Frisinga, Mosburgo, Landishuto,* quin & *Müldorffio* Salisburgensis ditionis oppido infesta arma intulerint. Fugiens dehinc à facie hostis Serenissimus Elector Bavariæ *Maximilianus* unacum Serenissima Conjuge ac Sobole VI. Idus Junii Salisburgi consedit, gloriosissimi regiminis sui anno quinquagesimo, ætatis septuagesimo sexto toto suo Electoratu

a toratu extorris. Restituit universa (*) Monasterij Westphalorum conclusa pax, quæ IX. Calendas Novembris Imperatorem inter & Suecos convenit. Vix nuntius exortæ pacis Salisburgi increpuit, & momento instrumenta Martis in plausum & gratulationem versa sunt: Ita nimirum amatur pax, ubi belli pertæsum.

Pax tandem conclusa.

LXI. Necdum tamen omne miseriarum genus evanuerat, sed, cum tot Serenissimis exulibus, omnisque generis ac conditionis advenis ex Bavaria, qui domi amisisse quidem Patriam, hic vero invenisse admirabantur, paterent omnia, non mediocri annonæ caritate Salisburgensis Provincia laborare cœpit, ita, ut medimnus, seu, ut vocant, scapha frumenti triginta sex, triticum autem quadraginta octo florenis anno MDCXLIX. venundaretur, pauperioribus agricolis dira urgente fame arborum cortices, glandes, stipulas de lino excussas, aliaque id generis in panem & polentum cogentibus. Ingens præterea frigus per hyemem, per æstatem contagiosa lues Academiæ non modicum detrimentum attulere. Omnis fere peregrinus studiosus vertebat solum, sive ut pecunijs parceret, sive ut vicina mortis tela effugeret. Cessavit calamitas post autumnum ineunte frigore.

Annona caritas,

ac contagiosa lues.

LXII. Secura itaque sub pacis olivis Universitas Salisburgensis continuo de novo substituendo Præside & Assistentibus cogitare cœpit; nec enim domestica tantum, sed & Patriæ universæ publica mala in mora

Novus Præses & Assistetes.

[a] *Repetijt Serenissimus Elector in Bavariam mense Octobri, recreatus prius a PP. Professoribus Comœdia, qua Tellurem suo Erinophilo restitutam proponebat.*

ra fuerant, quo minus statuto tempore in electionem novi Præsidis DD. Confœderati consentirent. Et vero etiamnum domo abesse, ac privata seponere negotia vix patiebatur exorta nuper tranquillitas, ni devotus in S. Ordinem Zelus, ipsaque boni comunis causa, cujus tutelam in Universitatis Salisburgensis conservatione & propagatione dudum reposuerant DD. Præsules, alia posthabere omnia persuasisset, prout fusius fatentur literæ encyclicæ a Reverendissimo D. Præside ad universa confœderata Cœnobia datæ anno MDCL. Collecta postea eligentium vota XII. Calendas Julij año MDCLI. novum dederunt Præsidem *D. Corbinianum* Abbatem Schyrensem; Assistentes Provinciarum *D. Bernardum* Abbatem ad Ss. Udalricum & Afram, *D. Udalricum* Abbatem in Tegernsee, *D. Michaëlem* Abbatem Michaëlburanum: sub quorum regimine v. Calendas Junij anno MDCLII. renovata fuit Universitas Salisburgensis. Adfuit solenni Renovationi, nomine Celsissimi Principis & Archi-Episcopi, *D. Franciscus Vigilius* Comes a Spaur Episcopus & Princeps Chiemensis, cujus Antecessori erectio Academiæ a S. Apostolica Sede commissa fuerat; Ex parte Universitatis adfuere *D. Corbinianus* Abbas Schyrensis p. t. Universitatis Præses, *D. Albertus* Abbas S. Petri Assistens perpetuus, *D. Michaël* Abbas Michaëlburanus Assistens Provinciæ Salisburgensis. Invocata proin S. Spiritus gratia, Pontificiam Bullam Urbani VIII. P. M. alta voce prælegit *D. Christophorus Kircher* J. U. Doctor Cancellarius Principis Consistorialis, nec non Chiemensis Episcopi Officialis, ac Apostolici Delegati charactere pro præsenti actu insignis: Cæsarea vero Privilegia Invictissimi Imperatoris Ferdinandi II. promulgavit *P. Otto Guzinger* Monachus Seonensis, ac p. t. Universitatis Secretarius. Post hæc memoratus

Solennis Renovatio Universitatis.

mōratus *D. Kircher* renovatæ Universitatis Professoribus Apostolica authoritate præcepit, ut singulos in annos recurrente S. Caroli Borromæi Tutelaris Academiæ festa die in præscriptam a Concilio Tridentino professionem Fidei jurarent. Mox tubarum clangor ac Hymnus Ambrosianus. Renuntiatus quoque Rector Magnificus *P. Alphonsus Stadelmayr* Monachus Weingartensis, Decanus Facultatis Theologicæ *P. Marianus Schwab* Schyrensis, Decanus Facultatis Juridicæ *P. Placidus Pridler* e S. Gallo, (*) Decanus Facultatis Philosophicæ *P. Amandus Pachler* e S. Petro.

LXIII. *Privilegia Universitati ab Archi-episcopis concessa.*

Anno sequiori MDCLIII. prodiere Statuta Academica, ut, quæ legitimam, amplissimamque formam de novo induerat, Universitas Salisburgensis certis etiam Legibus reflorescerct. Addidit IX. Calendas Octobris specialia Privilegia, eaque uberrima Celsissimus Archi-Episcopus *PARIS*, quæ tum Archi-Episcopales Comissarij, tum PP. Professorum aliqui, ex Universitatum *Viennensis*, *Herbipolensis*, *Moguntinæ*, *Ingolstadiensis*, & *Friburgensis*, copiosis imunitatibus, & prærogativis selegerant. Confirmavit eadem V. Idus Februarij año MDCLIV. Reverendissimum Capitulum Metropolitanum tempore Sedis vacantis, uti & Successor Fundatoris nostri *Guidobaldus* Archi-Episcopus XV. Calendas Septembris. Iteratum denique confirmationis robur addiderunt Celsissimi Principes & Archi-Episcopi Salisburgenses *Maximilianus Gandolphus* MDCLXIX. tertio Idus Julij: *Joannes Ernestus* anno MDCLXXXVIII. pridie Calendas Junij: & *Franciscus Antonius* an: MDCCXI. quinto Idus Julij: hodieq; felicissime regnans Archi-Episcopus ac DD.

N Clemen-

[b] *Facultas Medica eo tempore vacat: reassumpta tamen est año 1656. per D. Urbanum Stephanutium.*

Clementissimus *Leopoldus Antonius Eleutherius* ex L. B. de *Firmian* firmabit, & confirmabit.

Proclamabatur eodem anno Universitatis Præses *D. Udalricus* Abbas Tegernseensis, Assistentes *D. Placidus* Abbas Lambacensis, primus ex Provincia Austriaca, *D. Corbinianus* Abbas Schyrensis, *D. Michaël* Abbas Michaëlburanus, *D. Maurus* Abbas Ursinensis. Horum industria, cum aliqua Monasteria, quod solos DD. Abbates inscijs Conventualibus suis subscripsisse prætexerent, ab Academico fœdere resilire cogitarent, denuo ab universis DD. Confœderatis Abbatum & Conventuum nomine sequens fœdus stabilitum est.

denuo renovatur ab Abbatibus fœdus academicum.

In Nomine Domini Amen.

„Nos (N.) Abbas Monasterij (N.) & ejusdem Conventua-„les Ordinis S. P. Benedicti animadvertentes fructum, qui ex „Salisburgensi Universitate Benedictina in totum S. Ordinem „derivari potest, & indies derivatur, ideo commoti ad com-„mune bonum etiam promovendum inimus confœderationem „cum prædicta Academia, pro nobis & nostris Successoribus. „Promittimus etiam firmiter, nos velle, secundum submissæ „confœderationis tenorem Universitati huic fidelem operam „impendere, atque consilio & auxilio ad incrementum ejusdem „pro viribus cooperari. In quorum fidem præsentes Sigillis „nostris & Subscriptionibus communitas dedimus. Actum „anno MDCLIII.

Monasteria, quæ fœdus ratihabuerunt, numerantur

Quæ Monasteria illud ratihabuerint

Ex Provincia Austriaca:

Cremisanense, Lambacense, Steürgarstense, Monseense, Glunicense.

Ex

Ex Provincia Bavarica.

Andecense, *Aspacense*, *Attilense*, *Benedicto-Buranum*, *Blankstettense*, *Cella S. Mariæ* in pede Castrorum Prenberg, *S. Emerami* Ratisbonæ, *Fornbacense*, *S. Jacobi* Scotorum Ratisbonæ, *Mallerstorffense*, *Mettense*, *Nideraltachense*, *Oberaltachense*, *Priflingense*, *Rottense*, *Schyrense*, *Tegernseense*, *Thierhauptanum*, *Weichenstephanense*, *Weltenburgense*, *Wessenbrunense*.

Ex Provincia Salisburgensi:

Admontense, *Michaël-Buranum*, *Ossiacense* in Carinthia, *S. Petri* Salisburgi, *Seonense*, *S. Viti* cis Rhotam.

Ex Provincia Suevica.

S. Blasij in nigra Sylva, *S. Crucis* Donawerdæ, *Deggingense*, *Elchingense*, *Neresheimense*, *Ottoburanum*, *Ss. Udalrici & Afræ* Augustæ Vindel. *Ursinense*.

LXIV. *Collegium Ruperti-no-Lodronium.* Nec anno huic suam in studiosam juventutem pietatem deesse passus est Celsissimus Archi-Episcopus *Paris Lodronius*, exædificato in citeriori civitate Collegio Alumnorum, quod S. Ruperti honoribus x. Calendas Octobris dedicatum, Collegium Rupertino-Lodronium hodieque appellatur. Aluntur in illo duodecim vel etiam plures, si ita patronis visum fuerit, juvenes sub cura Sacerdotis secularis, quorum dimidiam partem Status Provinciales Salisburgenses, alteram secundæ Geniture Possessor ex Illustrissima Familia Comitum de Lodron denominare potest. Adjunxit eisdem Celsissimus Archi-Episcopus *Maximilianus Gandolphus* senos alios suo lubitu recipiendos. Statuta tandem istius Collegij, quæ anno MDCLIV. Calendis Septembr: conscripta & subsignata fuerunt, prorsus saluberrima sunt, neque ad aliud quidquam

Alumnos obligant, quam ut singulis diebus Officium parvum B. V. Mariæ recitent.

LXV. *Dotatio Facultatis juridicæ.* Dotavit porro Celsissimus Archi-Episcopus *Paris Lodronius* anno MDCLIII. octavo Idus Octobris Facultatem juridicam quadraginta millibus florenorum, eademque adhuc die alia quatuor millia pro docendo jure publico speciatim assignavit: adjecit dein *Joannes Ernestus* Archi-Episcopus III. Calendas Decembris MDCXCVII. pro conducenda commoda habitatione DD. Professorum secularium sex millia florenorum.

LXVI. *Mors Fundatoris Paridis Lodronij.* Ultimum pene gloriosissimi Fundatoris nostri hoc in terris negotium fuit: Inde, cum bene feliciterque egisset omnia, animam egit decimo quinto Decembris anno MDCLIII. ætatis suæ sexagesimo octavo, Archiepiscopalis regiminis trigesimo quarto; Princeps, quem non unus Apollo, sed omnes novem Musæ lugeant. *Ejus Stemma.* Sanguinem ducebat ex Illustrissima Prosapia DD. Comitum de Lodron, quos ex antiquissima & Patritia apud Romanos Familia Lateranorum descendere, varijs argumentis probaverunt Musæ Salisburgenses in Leone Laterano, (*) ubi familiæ protoparentem statuunt *A. Plautium Lateranum* a Nerone Augusto occisum, cujus posteri *Paris* & *Æmilius*,

[c] *Leo Lateranus Illustrissimæ Gentis Lodroniæ æternum decus, ParIDI Laterano PrInCIpI, atqVe ArChIepIsCopo SaLIsbVrgensI SeDIs ApostoLICæ Legato nato &c. cum Divis hominibusque volentibus ab Augustissimo inaugurationis ritu suam Metropolim solenni adplausu ingrederetur ad v. Idus Octob. D. D. a P. P. Ord. S. Bened: in suæ Celsitudinis Lycæo Professoribus. Ita titulus Libri soluto ligatoque stylo admodum ingeniose conscripti, typis Salisburg. in quarto.*

lius; quo tot impendentes Neronianæ crudelitatis clades ſubterfugerent, relicta Roma Brixiæ conſederunt, commutato, lapſu temporis, *Laterano* nomine
d in *Ladroniam* & *Lodroniam* nomenclaturam. (*) Vendicavit ſibi denuo Roma Gentem hanc *Lateranam* tempore Pij IV.P.M.poſtquam Comites *Lodronios* non ſolum ex Heroibus *Lateranis* ſuperſtites Concives ſuos agnovit, verum etiam publico Senatus Romani Diplomate eoſdē ſenatorio Ordini poſtliminio reſtituit.(*)

e Hæc aviti Sanguinis gloria fuit: ſuperavit eandem Celſiſſimus Archi-Epiſcopus *Paris*. Cœli lucem aſpexit 1585. Patre *Nicolao* Comite de Lodron S.Cæſ. Majeſt: Conſiliario, ac Provinciæ Tyrolenſis Capitaneo, Matre *Dorothea* Baroniſſa de Welſperg: quorum cura brevi animum pietate & virtutibus, ingenium vero literis, rerum humanarum divinarumque ſcientia excoluit. Inde annum agens vigeſimum primum Canonicatu Salisburgenſi potitur anno MDCVI; quo in munere, ac præcipue Præpoſiti dignitate, quam anno MDCXVI. ſuſcepit; pietatem, modeſtiam, humanitatem, affabilitatem, eruditionem, & regiam prorſus animi celſitudinem crebris adeo documentis prodidit, ut anno MDCXIX. Idibus Novembris in Archiepiſcopale ſolium evehi meruerit, *Orbis inſigne columen, Urbis gaudium, purpuræ decus, Juvaviæ ſpes, &*

& præclara in omnes merita.

Plau-

[d] *Jo. Paul. Creſcentius* de Nobil. Jtal. tom. 2. *fatetur quidem, Comites* Lodronios *a Comitibus* Lateranis *deſcendere, Succeſſu tamen temporis eoſdem* Lodroneſchi *dictos affirmat. At non videmus, queis documentis ſuam ſententiam fulciat.*

[e] Cit. Leo Lateranus fol. 26. *ubi pro ſe adducit MS. Jacob. Bonardelli in ſingularibus Gentis Lateranæ: ſimulque ex fundatione Monaſterij S. Jacobi anno* 1000. *facta oſtendit, eodem adhuc tempore* Lateranum *nomen perſtitiſſe.*

[f] *Plautiæ Lateranæ Gentis ornamentum immortale.* (*) Nec per adulationem: Enimvero, si triginta quatuor annos, quibus nominis sui fama Orbem implevit, consideremus, fateamur oportet, *Paridem* nostrum extitisse Principem inter Juvavienses nulli secundum, sive oculata vigilantia, ac in exules munificentia, sive stabilitis Literis, varijsque Fundationibus. Unde etiam ob fortiter & provide, animose & expedite servatum civem universa Archi-Diœcesis Civicam ei

Corona Civica ob Cives servatos.

[g] Coronam obtulit anno MDCLI. (*) Habent eundem præterea Fundatorem S. Ædicula Oëttingana, Einsid-
[h] lensis, & Lauretana, (*) Collegium Canonicorum
[i] B.V. ad Nives, (*) Collegia item Alum[illegible]rum Mariano- & Rupertino-Lodroniana; Et, [illegible]a missa faciamus, fundata, dotata, ac renovata Universitas.

Exanime corpus flebili omnium Ordinum comitatu in Cathedralis Ecclesiæ fastigiato tholo reconditum est, cui imprimis mœstissima Universitas ingenioso Mausoleo, atque lugubri Panegyri parentavit, & etiamnum recurrente Anniversaria die Fundatoris sui memoriam justis funebrijs recolit. Plura proloquitur marmoreum Monumentum ad latus Epistolæ prope summum Altare erectum, quod tale est.

Anniversarium ob fundatam Universitatem.

PA-

[f] *In eodem Leone Laterano.*

[g] *Prodijt anno* 1651. *libellus sub titulo: Corona Civica, quam pia gratiarum actione & puro ritu ob servatos Cives Celsissimo & Reverendissimo D. Paridi Archi-Episcopo & Principi suo, Patriæ Patri, consecrarunt Cives & Musæ Salisburgenses.*

[h] *Extant hæ Capellæ apud Sanctimoniales tertij Ordinis S. Francisci anno* 1633. *Salisburgum introductas: habetque Lauretana Ædicula Cryptam sepulchralem totius Familiæ Lodronianæ.*

[i] *Instituitur Collegium istud anno* 1631, 6. *Janu.*

PARIDI

Ex Comitibus Lodroni Archi-Episcopo & Principi Salisburgensi, Sedis Apostolicæ Legato Nato &c. Qui per integras toto Urbis Arcisque ambitu eductas moles, deinde & templi fastigiatam testudinem, cum firmasset, ornassetque Provinciam: Quibus utrinque præsidijs inter belli pericula expers belli; prudentiæ & constantiæ illustri ad exteros fama, ob servatos Cives, exules, & dignitatis Jura: postquam vitæ & gloriæ satur Regimen in annos XXXIV. mensem unum, dies duos imperterrita animi magnitudine propagasset, ubi bella desiere, quibuscum cœpit, in pace quievit Anno Christiano MDCLIII.

Lapis autem sepulchralis tumulo impositus sequentem Epigraphen tenet; quam Ipse Sibimet composuit. (k)

PARIS

Ex Comitibus Lodroni Archi-Episcopus Salisburgensis, S. Sedis Apostolicæ Legatus &c. se Christi fidelium pijs precibus commendans hoc sibi Sepulchrum vivens elegit.

Obijt anno MDCLIII. Die 15. Mensis Decembris.

LXVII. *Succedit Guidobaldus.* Sex septimanis ab obitu Celsissimi Archiepiscopi *Paridis* vacua stetit Archiepiscopalis Sedes, quam III. Nonas Februarij anno MDCLIV. conscendit *Guidobaldus* Comes a Thun, ab Innocentio X. P. M. Archi-Episcopali Pallio, quin & Cardinalitia Purpura donatus, Cæsari etiam ob præclaras animi dotes' summopere charus, ac in Legatione ad Comitia Ratisbonensia fidelissimi Ministri exemplar. Clementissimum ejus in universitatem animum dignoscere liceat ex epistola P. Rectoris Magnifici VIII. Calend. Martij ad *D. Franciscum* S. Blasij Abbatem exarata. *Bono omine*, inquiebat illa, *procul dubio factum, cum S. Blasius* III. *Februarij novum nobis Principem unanimi electione septendecim votorum (novendecim eligentes erant) dedit Guidobal-*

Ejus in Universitatem liberalitas.

[k] *P. Mezger Hist. Salisb. Lib. 5. Cap. 32.*

dobaldum Comitem de Thun, Ordinis, & imprimis Universitatis nostræ Patronum optimum maximum. Nam, præter privata magni adfectus argumenta, Academica nostra Privilegia confirmavit & auxit; Ecclesiam se nobis ædificaturum adpromisit; in ædificium autem academicum, quod ante annum cœpi, subsidij loco mille imperiales dedit, &c.

LXVIII. *Novum ædificium academicum.* Ædificium hocce academicum, cui, uti ex recitatis literis accipimus, manum admoverat *P. Alphonsus Stadelmayr* Universitatis Rector Magnificus, idem perfecit anno MDCLV, quamquam & nunc Mæcenatem aliquem exigat, qui illud majori commoditate, debitoque splendore e fundamentis educeret. Pars inferior scholis tum humanioribus tum Philosophicis; superior Facultati Theologicæ, Juridicæ, & Medicæ; suprema demum RR. Convictoribus deservit, qui sub Regentis & Sub-regentis cura in maximam Monasteriorum spem excrescunt. *& Convictus.* Primitus, quod supra *Capite II.* jam innuimus, domicilia sua intra septa Monasterij S. Petri tenebant; sed, cum opportunius videretur, si Rectoris Magnifici solicitudini & œconomiæ committerentur, eosdem *P. Matthæo Weiß* tunc temporis Rectori Magnifico concredidit *D. Albertus* Abbas S. Petri an: MDCXXXV, donata insuper supellectile domestica, ac bis mille florenis. Leges, ad quas vivere tenentur RR. Convictores, non solum optimam vivendi normam præscribunt, verum etiam quotidianum calcar addunt, viamque pandunt ad omne scientiarum genus, cum & Juris civilis collegia adire illis permissum sit. Equum proinde Trojanum hunc Convictum dixeris, ex quo tot illustres viri non sine multiplici Monasteriorum emolumento prodierunt: Multi etenim, quos *Lib. III. Cap. III.* enarrabimus sequioribus temporibus ad Abbatiales dignitates & Præposituras; alij in Prio-

Priores & Decanos evecti; alij sive pro Gradu doctorali Ss. Theologiæ ac Utriusque Juris examinati approbatique, sive ipso doctorali Epomide insigniti sunt; alij denique publicis ingenij monumentis Orbem literarium illustrarunt. Faxint boni Superi ut pari inposterum fervore DD. Præsules juniores suos Fratres academicis studijs imbui procurent. Ne vero RR. Convictorum frequentiam prætereamus, catalogum eorum Asceteriorum ac Collegiorum, quotquot intra unius seculi ambitum Religiosos suos in Salisburgensem Convictum transplantarunt, ordine alphabetico subijcimus, ex quo eorum numerum facile dimetiri poterit benevolus Lector, cum subin ex unico Cœnobio centum & plures Convictores numeremus. Haud absimilis fuit aliorum Antistitum cura, qui nullis parcentes sumptibus certatim suos Salisburgum amandare consueverunt, ut, ubi tot præclari viri scientias hauserunt, ipsi quoque docta eorum vestigia sequerentur.

Convictores jam a principio numerosi.

Monasteria Ordinis S. Benedicti, quæ Religiosos suos in Convictu Salisburgensi erudiri fecerunt, sunt:

Ex Alsatia, Principale Murbacense.
Ex Austria, Cremisanense, Garstense, Glunicense, Gottwicense, Lambacense, Lunælacense, Mellicense, Scotorum Vindobonæ, Seittenstettense.
Ex Bavaria & vicinis S.R.Imperij terris, Andecense, Aspacense, Attilense, Benedictoburanum, Blanckenstettense, Cellæ S. Mariæ in Pede Castrorum Prenberg, S. Emmerami Ratisbonæ, Ettalense, S. Jacobi Ratisbonæ, Mallerstorffense, Mettense, Nideraltachense, Oberaltachense, Priflingense, Reichenbacense, Rottense, Schyrense, Seonense, Tegernseense, Thierhauptanum, ad S. Vi-

tum cis Rhotã, Vornbacense, Weichenstephanense, Weissenaviense, Wessofontanum.
Ex Bohemia, Brzewnoviense, Cladrubiense.
Ex Brisgoja, Gengenbacense, Schutteranum.
Ex Buchonia, Principale Fuldense.
Ex Carinthia, Arnoldsteinense, Ossiacense, & S. Pauli.
Ex Franconia, S. Michaëlis Bãbergæ, Schwarzachense.
Ex Helvetia, Principalia duo Einsidlense ac S. Gallense, nec non Rhenoviense.
Ex Hungaria, Altenburgense ad S. Martinum.
Ex Litavia, Tyrense ad sanctam Crucem.
Ex Polonia, Sæciechoviense, Tynecense.
Ex Provincia Salisburgensi, Michaël-Buranum.
Ex Styria, Admontense, ad S. Lambertinum.
Ex Suevia, San-Blasianum in nigra Sylva, Principale Campidonense, S. Crucis Donawerdæ, Elchingense, Füessense, Fultenbacense, Neresheimense, Ochsenhusanum, Ottoburanum, Ss. Udalrici & Afræ Augustæ Vindelicorum, Ursinense, Weingartense, Wiblingense, Zvvifaltense.
Ex Tractu Rhenano inferiori, Sigebergense prope Coloniam.
Ex Tyroli, Georgio-Montanum, Mariæ-Montanum.
Ex Westphalia, Ss. Petri & Pauli in Abdinghofen Diœcesis Paderbornensis, Principale Corbejense, Liernsbornense prope Lippiam.

Collegia Canonicorum Regularium S. Augustini.

Ex Austria, S. Floriani.
Ex Brisgoja, Omnium Sanctorum Friburgi.
Ex Bavaria, Baumburgense, Beisbergense, Chiemseense, Garsense, S. Nicolai prope Passavium, Pollinganum, Ranshoviense, Reichersbergense, Schlechdorffense, Subense, Wejorense.
Ex Carinthia, Gurcense.
Ex Agro Salisburgensi, Principale

paleBerchtolsgadienſe,Högelvverthenſe, Sancti Zenonis.

Ex Styria, Rottenmanenſe.



Ex Suevia, S. Crucis Auguſtæ Vindelicorum, Wettenhuſanum.

Ex Tyroli, Novacellanum.

Monaſteria Ordinis Ciſtercienſis.

Ex Auſtria, Hilarienſe, Vallis Dei in inferiore Auſtria vulgo Seiſenſtein.

Ex Bavaria, Cella Principum Raittenhaslacenſe.

Ex Ducatu Brunſvvicenſi, Sitticenſe.

Ex Helvetia, S. Urbani.







Ex Luſatia, Novacellanum.

Ex Styria, Neubergenſe, Panenſe.

Ex Suevia, Cæſarienſe vulgo Kaiſersheim, Salemitanum.

Ex Tyroli, Stambſenſe.

CollegiaS. Norberti Ord: Præmonſtratenſis.

Ex Auſtria, Berneggenſe, Plagenſe.

Ex Bavaria, Scheffdlarenſe, Steingadenſe.





Ex Rhetia, S. Lucij prope Curiam Rhœtorum.

Ex Tyroli, Wilthinenſe.

Hoſpitalia Ordinis S. Spiritus.

Ex Suevia, Memmingenſe.

LXIX. *Bibliotheca Academica.* A memorato ædificio ad exſtruendam Bibliothecam Academicam animum adjecit *P. Alphonſus* Rector Magnificus, eamque anno MDCLVIII. in eam, qua nunc proſtat, formam & ordinem redegit, coëmpta jam año MDCXLIX. Bibliotheca Beſoldica, cui optimos Libros debemus. Adjuverunt eandem ut plurimum liberalitate ſua *D. Albertus* Abbas S. Petri, & *D. Urbanus* Abbas Admontenſis, uti & *D. Joannes Chriſtophorus Mezger* JCtus, Comes Palatinus, ac S. Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius Imperio-Aulicus, qui

post tres filios ad Dei obsequium in D. Petri Monasterio oblatos, Bibliothecam Academicam aliquot insignium librorum & bis mille florenorum legato locupletavit, ornavitque. Augent hodiedum Bibliothecam hanc PP. Professorum lucubrationes, cum omnium librorum, quotquot ab ijsdem eduntur, tria exemplaria in eadem reponenda veniant. (*) Munus porro Bibliothecarij Academici gesserunt

Augetur successive.

l

Ab anno MDCLVII. usq; ad an: MDCLX.

I. P. Gregorius Kimpfler Monachus Schyrensis.

Ab anno MDCLX. usque ad an: MDCCV.

II. P. Otto Aicher e S. Vito, qui ab anno 1657. usq; ad an. 1705. suam Universitati locavit operam.

Ab anno MDCCV. usq; ad an. MDCCXIV.

III. P. Michaël Langbarthner Mon. Michaëlburan:

Ab an: MDCCXIV. usq; ad an: MDCCXVI.

IV. P. Romanus Sedelmayr Monachus Congregationis S. Blasij in Sylva Nigra.

Ab an: MDCCXVI. usq; ad an: MDCCXX

V. P. Fructuosus Scheidsach Monachus Seonensis.

Ab an. MDCCXX. usq; ad an: MDXXVII.

VI. P. Alanus Ritter Monachus Wessofontanus.

VII. *Ab an:* 1727. P. Gregorius Horner Glunicens.

[*l*] *Leges fundamentales Univ. Salisb.* tit. de Bibliothec. Num. VII.

Cate-

LXX. *Institutio Militiæ angelicæ sub invocatione S. Thomæ Aquinatis.*

Cæterum instituerat anno MDCXLIX. Nonis Martij R.R. D. *Franciscus Dautvverdus* ex Ordine S. Dominici, ac Ss. Theologiæ in Academia Lovaniensi Professor, novam, eamque Angelicam militiam sub invocatione S. Thomæ Aquinatis quem cœlesti cingulo donatum Angelici Spiritus ab omni carnis illecebra immunem dederunt. Res ita se habet. Indignius ferebant Germani Thomæ Fratres, nobilem juvenem sub obscuro monachi cucullo delitescere; hinc eundem ex itinere per insidias retractum intra vicinæ arcis angustias compingunt, quemque nullis minis ac blanditijs a proposito dimovere poterant, immissa impudica muliere expugnare satagunt. Verum *nova bella elegit Deus*, dum non fugiendo, sed fugando vincitur Venus. Capit in arena consilium Thomas, arreptoque e vicino foco ignito titione subornatum scortum in fugam agit. Ne ergo sua victori palma deesset, e cœlo adsunt Angeli, qui cœlesti cingulo Angelicæ militiæ Ducem Thomam inaugurant. (*) [m] Extat etiamnum Angelicum hoc cingulum Vercellis in Conventu PP. Dominicanorum. (*) [n] Ad piam hujus imitationem PP. Benedictini in Universitate Salisburgensi Professores studiosæ Juventuti Anno MDCLVIII. Angelicam militiam D. Thomæ aperuerunt, ut, qui in Angelicam doctrinam juraverant, tanti quoque Doctoris vitam cunctis imitandam proponerent. Celebrant Sodales septima die Martij S. Thomæ Aq. sacra Festum titulare; in signum autem sacræ militiæ portant cingulum e filo niveo confectum, ad cujus quindecim nodulos toties quotidie salutationem Angelicam persolvunt, pro sua, omnium-

Virtutis & doctrinæ Thomisticæ sectatores.

[m] *P. Paul. Mezger* p. II. Orat. Salisb. *de S. Thoma Aquinate.*

[n] *Effigies Sodalis Parthenij, sive Leges Almæ Congreg. B. V. in cælos Assumptæ, in Univers. Salisburg. nobis* fol. 442.

niumque in prædicta Sodalitate militantium tuenda castitate; ac extirpatione vitiorum carnis. Confirmavit eandem Salisburgensibus Patribus Alexander VII. P. M. anno MDCLVIII. XVII. Calend. Decembris, (o) sub Reverendissimo Universitatis Præside *D. Placido* Abbate Lambacensi, (p) Assistente perpetuo *D. Amando* Abbate S. Petri, qui nuper anno MDCLVII. *D. Alberto* succeesserat: Assistentibus Provinciarum, *D. Placido* Abbate Cremisanensi, *D. Udalrico* Abbate Tegernseensi, *D. Columbano* Abbate Seonensi, *D. Petro* Abbate Ottoburano.

[o] *Effigies Sodalis Parthenij* fol. nobis 443. & seqq. *ubi etiam Leges & Indulgentiæ hujus Angelicæ militiæ enumerantur.*

[p] *Fuerunt electi anno 1656. 25. Maii.*

CAPUT VII.

Majus Theatrum Academicum erigitur. 1. *Periochæ Comœdiarum, quas Musæ Salisburgenses exhibuerunt ab Anno MDCXXI. usque MDCCXXVII.* 2.

Annus MDCLX. & MDCLXI.

LXXI. DEsiderabatur hucusque majus theatrum Comicis actionibus eo magis opportunum, quo frequentiores hactenus Comœdias multiformi studiosæ juventutis utilitate PP. Academici adornaverant. Enimvero, ut in Republica Comœdia schola populi audit, ita in scholastica sobole Schola Actionum per theatricas actiones Morhofio (*) proponitur. Quamobrem Majus theatrum Academicum an-

[a] *Polihist. Liter. tom.* 1, *l.* 2. *c.* 4.

anno MDCLX. moliebatur *P. Alphonsus* Rector Magnificus, Præside Universitatis *D. Gregorio* Abbate Schyrensi; Assistentibus Provinciarum, *D. Placido* Abbate Lambacensi, *D. Cælestino* Abbate S. Emerami Ratisbonæ, *D. Michaële* Abbate Michaël-Burano, *D. Bernardo* Abbate Ss. Udalrici & Afræ: (*) qui antecessorum suorum vestigia secuti præclaram adeo fabricam plurimum promoverunt. Subit theatrum hoc varias mutationes, quarum principales, I. *Atrium*, II. *Aulam*, III. *Conclave*, IV. *Urbem*, V. *Templum*, VI. *Hortum*, VII. *Sylvam*, VIII. *Castra*, IX. *Mare turbulentum* & *placidum*, X. *Cellam Vinariam*, XI. *Infernum*, XII. *Cœlum* repræsentant, grato adeo oculorum spectaculo, ut quotquot occulto artificio descendentes & ascendentes Scenas spectarunt, artificis ingeniũ penicilliq; gratiam nunquã satis admirati, ingenue professi fuerint, illud artis opus esse, nec ulli in Germania cedere. Prima in eo Comœdia exhibebatur anno MDCLXI, hodieque consuetudo tenet, ut sub finem Anni scholastici studiosæ inferiorum scholarum juventuti ibidem Præmia, ceu laborum pretia, ac sedulæ diligentiæ calcar distribuantur, præmissa majori Comœdia, quam Comicus adornare solet: nec enim Rhetorices Professor eo semper munere fungitur, sed quandoque alij e Professoribus, qui ea in arte excelluerit id officij a P. Rectore Magnifico committitur: Earum omnium titulos hunc in ordinem selegimus, appositis etiam illis, quæ ante erectum novum theatrum quotannis pro distributione prœmiorum apparatæ fuerunt. (*)

(margin: b — *Descriptio theatri academici.* — c)

CO-

[b] *Cœpit eosdem tanquam suprema sua Capita venerari Universitas Anno eodem.*

[c] *Minoribus Comœdijs, quæ infra annum exhibentur, destinatum est minus theatrum anno 1657. confectum.*

COMOEDIÆ IBIDEM EXHIBITÆ.

1621.
APPLAUSUS COMICUS
S. Ruperto Wormatia per injuriam depulso,
Juvavij excepto primo Episcopo ad Trophæum
de Mundo reportatum editus
PARIDI
Jllustrissimo Principi & Reverendissimo Archi-Episcopo,
Solenni ritu suam Metropolim ingresso.
Comico P. Andrea Vogt Ottoburano.

1624.
Boleslaus Audax II. Rex
Poloniæ, ob im̃anem S. Stanislai Cracoviensis Episcopi cædem
sponte se regno exuens, profugus, & in infimam sortem a Deo dejectus.
Comico P. Placido Rauber S-Blasiano.

1625.
Doctor Sabinus.
Comico eodem.

1626.
Saul Rex Jsraël
Regum Principũ Decrementa,
David Incrementa,
Uterque suo exhibet exemplo.
Comico eodem.

1627.
PANDORA
Oder
Wunderbarliches Glück durch
Menschlichen Mißbrauch
verkehrt.
Comico P. Thoma Weiß Neresh.

1728.
Ecclesia Salisburgensis
S. Ruperti
Episcopi, Doctoris, Apostoli,
ac
Theodonis optimi Bojariæ Ducis auspicijs condita,
suisq; incrementis inclyta.(d)
Comico eodem.

1629.
Rupertus Tuitiensis
A B.V. Maria celebri ingenio dotatus.
Comico eodem.

1630.
Agilbertus
Centonatus, Purpuratus;
Damnatus,
Pauper, Felix, Miser.
Comic eodem.

Jephte

[d] *Exhibebatur in Festo Dedicationis Cathedralis Templi 25. Septemb.*

1632.

Jephte

Ductor Hebræorum,
Victor Amonitarum,
Victimarius Filiæ.
Comico eodem.

Anastasius

Fortunæ Pila,
Terræ piaculum,
Orci Monstrum
in bonorum Album manu Magnæ Matris relatus. (e)
Eodem anno, codemque Comico.

1633.

Aman

Asueri Satrapa,
Fortunæ Pila,
Humanarum rerum Tragœdus.
Comico eodem.

1634.

Conradinus

Dux Sueviæ Ducum,
Augustæ Domus
Spes longa,
Summa, brevis.
Comico eodem.

1635.

Absalon

Regis Filius,
Regni Æmulus,
Fortunæ Ludus. (f)
Comico P. Udalr. Svvaiger Tegerns.

1637.

Cosroes

Persarum Rex,
Avarus, Superbus, Tyrannus,
Christianis flagellum,
Syro I. Filio ludibrium
Comico P. Æmil. Pirckel e S. Petro.

1639.

Filius Prodigus

Comico P. Alexandro Hueber Andec.

1640.

Holofernes

Assyriorum Dux

Hæbreorum Persecutor ebrius
Judithæ Viduæ ingenio,
& manu,
suo vero gladio cadit.
Comicó P. Æmiliano Pirckel e S. Petr.

1641.

Theodoricus Amalus.

Bonus & Malus
Comico P. Ottone Guzinger Seonensi.

P Ambro-

[e] *Vide Lib. I. Cap. IV.*
[f] *Anno 1636. ob contagiosam luem nulla præmia distributa fuere.*

1642.
Ambrosius Episcopus
Mediolanensis
Severus Regum Censor,
Ecclesiasticæ Libertatis Vindex.
Comico eodem.

1643.
Partharis
Rex Longobardiæ XIII.
Divinæ Providentiæ luculentum argumentum,
Infelix, Felix.
Comico eodem.

1644.
Tragœdia
De S. Martyre Quirino
Philippi I. Jmperatoris Filio
Tegernseensium Tutelari.
Comico P. Jo. Jac. a Preysing Tegernſ.

1645.
De Doctore Lupo
Comico P. Thoma Weiß Neresheim.

1646.
S. Sigismundus
Rex Burgundiæ
Supra exemplum bonus,
infra fidem malus,
præter morem Martyr.
Comico P. Ottone Guzinger Seonensi.

1647.
S. Henricus
Ex Duce Bojariæ XXXI.
Jmperator semper Augustus,
Cæsar, Conjux, Virgo.
Comico eodem.

1648.
Tellus
Suo Erinophilo reconciliata (g)
Comico eodem.

1651.
Triumphus
Veræ Virtutis
Comico eodem.

1652.
Ansberta
Conjugalis Amoris
Exemplar.
Comico eodem.

1653.
Pax Alma
Germaniæ Restituta.
Comico eodem.

1654.
Concordia
Anima Mundi. (h)
Comico eodem.

[g] *Anno* 1649. & 1650. *minora tantummodo dramata exhibita fuere, Comico eodem.* [h] *Inscribebatur Celsissimo Archiepiscopo Salisb. Guidobaldo, cum 3. Febr. 1654. in Archiepiscopū electus 24. Sept. applausu consecraretur.*

1655.

Abul

In tempore felix
Prospero lusu
damnatum caput, & Regnum
Granatense lucratus.
Comico P. Paride Gille Michaëlbur.

1657.

Amphibodorus

Irritus & irrisus
Mundi Pœdagogus.
Comico P. Ottone Guzinger Seonensi.

1658.

Sol Austriacus

Exurgens Francofurti,
Et
Aquila rursus juvenescens.
Comico eodem.

1661.

Ira & Clementia Dianæ

in
Agamemnone & Jphigenia
demonstrata.
Comico eodem.

1662.

Germania

Barbara, Culta, Delicata.
Comico eodem.

1663.

Charidemus Senex

Flandriæ Nobilis
sine consilio
Ex
Divite miser,
cum consilio
ex
Misero felix.
Comico P. Virgilio Gugenberger e S. Petro,

1664.

Montani

Iter Poëticum.

Comico P. Ottone Guzinger Seonensi,

1665.

Pax

Conciliante Augustissimo
Jmperatore
Leopoldo Austriaco
Telluri restituta.
Comico eodem.

1666.

Grobianus

Comico eodem.

1667.

Temporis Potestas

Comico eodem.

1668.
Concordia Victrix.
Comico eodem.

1669.
Libertas sibi permissa
Domi pruriens
Foris seducta,
Tandem resipiscens,
seu Filius Prodigus.
Comico P. Alexand. Hueber Andec.

1670.
Corona
Laboriosæ Heroum Virtuti
imposita. (*i*)
Comico P. Ottone Guzinger Seonensi.

Horatius Romanus
Victor, Reus, Absolutus.
An: eod. Comico P. Ottone Aicher e S. Vito.

1672.
Triumphus
Amoris Divini. (*k*)
Comico P. Ottone Guzinger Seonensi.

Speculum
Divinæ Providentiæ
Seu Abdolonymus
Ex Hortulano
Sydoniorum Rex.
Anno eodem, Comico P. Odilone Ostermayr Andecensi.

Innocentia
Dolo circumventa
seu
Demetrius
Philippi Macedonum Regis
Filius
Insidijs Fratris Persei crudeliter
peremptus. (*l*)
Anno eod: Comico P. Simone Rettenbacher Cremifanensi.

1673.
Ineluctabilis vis fatorũ
Seu Atys
Crœsi Lydorum Regis Filius
ab infelici Adrasto
inopino vulnere peremptus.
Comico eodem.

[*i*] *Seu, Dij laboribus omnia vendunt. Inscribebatur Comœdia hæc honoribus Sereniss. Ferdinandi Mariæ Electoris Bavariæ, & Henriettæ Adelheidis Sereniss. Conjugis, qui diebus istis Salisburgi agebant.* [*k*] *Dedicabatur Eminentiss. & Sereniss. Principi Bernardo Gustavo S. R. E. Cardinali, Marchioni Badensi, ac Abbati Fuldensi.* [*l*] *Sub auspicijs Serenissimi Principis Alberti Sigismundi ex Ducibus Bavariæ Episcopi Frisingensis & Ratisbonensis.*

1674.
Perfidia punita
Seu
Perseus
Ultimus Macedonum Rex
A L. Æmilio victus & in
Triumphum ductus.
Comico eodem.

1675.
Rosimunda
Regum
Filia felix, Conjux invida
crudelis interitus.
Comico P. Ottone Aicher e S. Vito,

1676.
Athalia
Sanguinaria Judaici Regni filia,
Ambitiosæ crudelitatis
monstrum,
magnum divinæ Vindictæ
Argumentum.
Comico eodem.

1677.
Pendularia
Vaumorinus Parisiensis
inter malos malus,
inter bonos pessimus,
nec malis nec bonis emendatus
Comico eodem.

1678.
Polyxena
Achillis Sponsa, Vidua, &
Victima,
magnum exemplum,
non bene convenire Conjugia
ex hostibus.
Comico P. Paride Gille Michaëlbur:

1679.
Marina Armena
Constantini VI. Jmperatoris
Conjux
felix infelix,
variantis fortunæ spectaculum.
Comico P. Ottone Aicher e S. Vito.

1680.
Innocentia
Calumnijs oppressa
Sive Mariamne Regina
Machabæorum Stirpe inclyta,
Herodis pessimi cõjux optima,
jubẽte marito iñocenter occisa.
Comico eodem.

1681.
Lusus
Divinæ providentiæ
In Eustachiana Familia
repræsentatus.
Comico P. Josepho Walner Ossiacensi.

Secu-

1682.
Seculum Aureum
Ecclesiæ ac Provinciæ
Salisburgensis
A S. Ruperto primo Episcopo,
Et Bojariæ Apostolo
reductum.
Comico P. Ottone Aicher e S. Vito.

1683.
Nabuchodonosor
Rebus gestis Magnus,
Somnijs Major,
Inter Magnos Maximus,
Jmperio magnum Caput,
Fortunis Arbor Vitæ,
Inter tot titulos vix homo.
Comico eodem.

1684.
Valerianus
Romanorum Jmperator
Barbarorum ludibrium
Regiæ infelicitatis Exemplum.
Comico eodem,

1685.
Balthasar
Ultimus Babyloniorum Rex,
Sui obliviosus,
Dei Contemptor,
Vindictæ Divinæ exemplum.
Comico eodem.

1686.
Virtus
Pressa, non oppressa,
seu
Daniel
Jdolorum eversor,
Veræ pietatis propugnator,
Aulici favoris exemplum
& invidiæ.
Comico eodem.

1687.
Virtutis Triumphus
Seu
Ulysses
Virtute Duce,
Sapientia Comite,
Victor Discriminum.
Comico eodem.

1688.
Boni Corvi
Ova non dissimilia
seu
Optimi Corvini genuini Filij
Ladislaus & Mathias.
Comic. P. Vito Kaltenkrauter e S. Pet.

1689.
Rex Catholicus
Seu
S. Hermenegildus
Rex & Martyr.
Comico eodem.

Fa-

1691.
Fastus Confusus
Seu
A Juditha
proprio ense susus
Holofernes.
Comico eodem.

1692.
Rex Invitus
Martyr invictus
Coronam terrestrem recusans,
Cœlestem Martyrio adeptus
seu
D. WENCESLAUS
Bohemiæ Rex & Martyr.
Comico eodem.

1694.
Fidei ac perfidiæ
exempla
In Perthariro
Et Gundeberto
ab
Unulfo & Garibaldo
demonstrata.
Comico eodem.

1695.
Captivans Captivata
Seu
Ismeria
per MARIAM Maria.
Comico eodem.

1696.
Alfonsus
Hujus Nominis Decimus
Hispaniarum
Rex
Superbiæ vindicatæ luculentum exemplum.
Comico P. Augustino Kendlinger e S. Petro.

1697.
Invidia
Gloriæ Umbra
in
C: Julio Cæsare
demonstrata.
Comico P. Wolfgango Rinsvveger Tegernseensi.

Infelix
Parentum Amor
in
Ferdinando Filio.
Anno eodem, Comico eodem.

1698.
Honor Divinus
De
Respectu humano triumphans
seu
S. THOMAS
Cancellarius, Archi-Episcopus,
Martyr.
Comico eodem.

1699.

Gratia Divina
De Potestate Tenebrarum
Triumphans
seu
Magnus Antonius Anachoreta.
Comico P. Placido Seiz Ettalensi.

1700.

S. Catharina V. & M.
Comico eodem.

1701.

Ludus
Divinæ Providentiæ
In Henrico Comite Calvensi.
Comico eodem.

1702.

Ruina
Simonis Magi.
Comico eodem.

1703.

Amor
In Dolore infelicior
seu
Gratia Divina
per peccatum deperdita,
per mortem restituta,
sub parabolico
Amantis Theogoni
& peccantis Philomenæ
involucro.
Comico eodem.

1704.

Tragœdia
Vitæ Humanæ.
Comico eodem.

1706.

Barbaræ crudelitatis
Victima
CONRADINUS
Ducum Sueviæ Ultimus
Innocenter & crudeliter
oppressus.
Comico eodem.

1707.

Ecclesia Militans
De Portis inferi invicte
triumphans.
Comico eodem.

1708.

Saules
Israëlitarum Ex-Rex.
Comico P. Carolo Bader Ettalensi.

1709.

Samson
Philistæorum Flagellū.
Comico eodem.

1710.

Ambitio
Severe castigata
In Maximo Tyranno.
Comico eodem. Pa-

1711.
Patientia
Calamitatum Victrix
in
Jobo Hussæo Principe.
Comico eodem.

1712.
Verus amicitiæ Amor
Adversis probandus.
Comico eodem.

1713.
Impietas Punita,
seu
Wilhelmus Rufus
Angliæ Rex.
Comico P. Alano Kitter Wessofontano,

1714.
Innocentia
In Gundeberga
Longobardorũ Regina
Triumphans.
Comico eodem.

1715.
Ambitio Infelix
Seu
Jbrahim
Turcarum Jmperator.
Comico eodem.

1716.
Gloriosus
de
Apostasia Triumphus.
Comico eodem.

1717.
Crudelis
In Patriam Pietas,
seu
Alphonsus de Gozman.
Comico eodem.

1718.
Connubium
Religionis & Sapientiæ
in
Nursio & Jovina.
Comico eodem.

Redux
In
Authorem Supplicium,
seu
Bithynus
Intentans lethum Filio
ab
eodem necatus.
Anno eodem, Comico P. Leonardo Kloz Wessofontano,

1719

Affectata

Infeliciter purpura;

Seu Stilico

Affectato Jmperio ab Honorio Imperatore unacum Filio Euchario capite plexus.

Comico eodem.

1720.

Cœlitum Cura

Pro Principibus

seu

Fridericus cognomento Placidus Saxoniæ Elector & Dux.

Comico eodem.

1721.

Catholicæ Veritatis

Victima,

seu

Thomas Morus.

Comico P. Alano Ritter Wessofontano.

1722.

Jmpia violati pudoris ultio, seu

Hispania a Mauris oppressa.

Comico eodem.

1723.

Hispania Rediviva,

seu

Maurorum jugo liberata

A FERDINANDO REGE CATHOLICO.

Comico eodem.

1724.

Triumphus

Christianæ Fortitudinis,

Seu Scanderbegus.

Comico eodem.

1725.

Regina Rex,

Seu Semiramis.

Comico eodem.

1726.

Mancipium in Solio;

Seu Iventus II. Chiemensium Jmperator.

Comico P. Virgilio Kleinmayr Garstensi.

1727.

Potentia

In tribus Nobilibus Gallis

E captivitate Saracenorum liberatis.

Comico eodem.

CAPUT VIII.

CAPUT VIII.

Dedicatur Sacellum in

Collegio Academico. 1. *Guidobaldo Archi-Episcopo defuncto succedit Maximilianus Gandolphus.* 2. *Ruina Seminarij Alumnorum Archi-Episcopalium.* 3.

Ab Anno MDCLXII. usq; ad annum MDCLXX.

LXXII. *Guidobaldus ad comitia Ratisbonensia se confert.*

CONceperat anno MDCLXII. a vicinæ Transilvaniæ incendio universa quoq; Hungaria flammas; hinc, ut in dies novis copijs adauctæ Turcarum multitudini quantocius numerosum exercitum opponeret Augustissimus Jmperator *Leopoldus I.* non solum per universas Provincias novum conscribebat militem, verum etiam S. R. J. Status ad comitia Ratisbonensia ac ferenda auxilia invitabat, usus præprimis indefessa opera vigilijsq; *Guidobaldi* Archi-Episcopi Salisburgensis, cui per *Maximilianum* Comitem de Dietrichstein, Vienna Salisburgum submissum, Principalis Commissarij Cæsarei partes anno eodem obtulerat. Paruit Archi-Præsul augustissimæ voluntati, cunctisque domi prudenter dispositis Urbem Ratisbonensem Comitijs destinatam petijt Mense Augusto, exceptus ibidem solenni tormentorum explosione IV. Calendas Septembris. Cœperunt dein Comitia XIII. Cal. Febr. anno MDCLXIII. Quam ægre vero delitias suas (*Guidobaldum* Princi-

pem intelligimus) Ratisbonam evocari tulerit Salisburgum, verbis haud adumbrabimus, utpote *in quo catholici verum Religionis exemplar, viri doctrina conspicui Mæcenatem, pauperes parentem affabilem, ac emuncti Patronum munificum* (*) venerabantur. Sociavit incolarum lacrymis dolorem suum Universitas, quæ docta pro more prosa abeunti Principi fausta quæque apprecabatur, quamquam liberalem Ejus præsentiam ob exstruendum templum academicum ardenter exposceret.

LXXIII. *Sacellum in collegio PP. Professorum.*

Dum igitur Templi hujus structura secuturis temporibus, seu potius nunquam emorituris honoribus Celsissimi Principis *Joannis Ernesti* servabatur, *P. Alphonsus* Universitatis Rector Magnificus sat amplum Sacellum in Collegio PP. Professorum eduxit, quod XII. Cal. Novembris anno MDCLXIII. ab Illustrissimo Chiemensium Episcopo *D. Francisco Vigilio* Comite a Spaur in honorem B. V. Mariæ, ac S. Caroli Borromæi, Academiæ Patroni, consecratum fuit, Universitatis Praside *D. Placido* Abbate Cremifanensi; Assistente perpetuo *D. Amando* Abbate S. Petri; Assistentibus Provinciarum *D. Placido* Abbate Lambacensi, *D. Gregorio* Abbate Schyrensi, *D. Philippo* Abbate ad S. Paulum in Carinthia, *D. Petro* Abbate Ottoburano. Agit hodie in hoc Sacello Marianos Conventus Congregatio, ut vocant, Teutonica ex famulis mercatorum aliisque juvenibus non conjugatis sub titulo B. V. Mariæ immaculate conceptæ coadunata, a Celsissimo Ordinario die XXII. Decembris anno MDCXCVI. confirmata, atque ab Innocentio XII. P. M. variis Privilegiis decorata, cui PP. Professorum aliquis præesse solet.

Ratis-

[a] *Clarissimus D. Eggs* in Purpuræ doctæ Lib. VI.

LXXIV. *Guidobaldus fit Cardinalis.* Ratisbonæ interea munere ſuo feliciter functus *Guidobaldus* anno MDCLVI. a Reverendiſſimo Capitulo cathedrali ejuſdem loci Epiſcopus eligitur. Probavit electionem hanc Alexander VII. P. M; nec probavit ſolum, ſed & adauxit nobili dignitatis auctuario, poſtquam *Guidobaldum*, Principem non uni ſed pluribus infulis natum, unacum Julio Marchione Spinola S.R.E. Cardinalium numero an: MDCLXVII. Nonis Martij adſcripſit, piretumque rubrum per Abbatem Falconerium ſuæ Sanctitatis Camerarium tranſmiſit. Verum, ut nunquam mortalibus ſumma omnia, breve admodum hoc purpuræ decus fuit *Guidobaldo*, quem XVI. Calendas Aprilis integra adhuc valetudine in ſuam Metropolim redeuntem, Calendis Junij mors demeſſuit ſingulari ſubditorum luctu. *Ejus obitus.* Aſſumptus ſiquidem anno MDCLIV. in Archipræſulem Salisburgenſem vires omnes ac vigilias ſuas in reipublicæ commodum & emolumentum intendebat, neque aurum & opes, ſed ſubditorum corda exoptabat: unde in ipſo Pontificatus ingreſſu acciſorum oneribus partim ſublatis, partim mitigatis clementiam probavit, in omnes, egenos præcipue, beneficus & mitis parens. *Elogium.* Prudentiam nihilominus in rebus graviſſimis gerendis Ratisbona maxime obſtupuit, ubi integro ſexennio talem ſe exhibuit, qualem negotiorum moles, ac fideliſſimi Miniſtri exemplar, etiam hoſtium teſtimonio comprobatum exigebat, donec anno MDCLXVIII. æternitati redditus animam Creatori, corpus terræ, immortale vero nomen ijs, quibus vel longinqua fama innotuit, tranſcripſit.

LXXV. Lacrymas eodem adhuc Menſe tanto ferventius demortuo *Guidobaldo* Archi-Epiſcopo dedit Univerſitas,

publicis diſputationibus intereſt.

ſitas, quanto magis ſub ejus purpura nón tantum perennis tutelæ, ſed & iteratæ clementiæ aſſueta fuit. Sæpius Is publicis diſputationibus, quarum non paucæ ſub clementiſſimis Ejus auſpicijs ſcholaſticam prodibant in arenam, præſens aderat, haud indignum ratus dignitatis ſuæ faſtigio, ſi decertantium argumenta & pugnas ſua præſentia accenderet, quandoque etiam ſapientiſſima interlocutione animaret. Neque hoc peregrinum eſt in Univerſitate noſtra, ut magni Principes, Archi-Epiſcopi, Epiſcopi, Nuntij Apoſtolici &c. Academicis functionibus interſint. Norunt nimirum viri maximi ac literarum æqui æſtimatores, ſtudia honore nutriri, pulchrumque gloriæ ignem ſtudioſa juventutis corda ad altiora quæq; exſtimulare, ne hauſta doctrinæ ſpecimina ignobili ſilentio ſepeliant, ſed clariſſimorum virorum laudibus expoſita in dies novis incrementis provehere ſatagant.

LXXVI. *Maximilian: Gandolphus Archiepiſcopus eligitur. Ejus liberalitas in archifrat: Ss. Roſarij. nov: Præſes & aſſiſtentes.*

Luxit ergo pientiſſimum Principem omnis ordo & conditio, dum Senatus Metropolitani ſuffragijs III. Calendas Sextiles exoriens Sol, Celſiſſimus Princeps & Archi-Epiſcopus *Maximilianus Gandolphus* ex Comitibus de Küenburg, in novam ſpem & gaudia cunctorum vota erexit. Prima pietatis & munificentiæ Ejus argumenta ſenſit Archi-Fraternitas Ss. Roſarij in aula Academica inſtituta, cujus Miniſtros ſacris e textili auro veſtibus, aram autem Salvatoris noſtri e cruce pendentis ſimulacro, ac ſenis argenteis candelabris ditavit, hortante ad id maxime Univerſitatis Aſſiſtente *D. Romano* Abbate Seonenſi. Dicebatur is poſtea anno MDCLXIX. Univerſitatis Præſes; Aſſiſtentes Provinciarum *D. Placidus* Abbas Lambacenſis, *D. Maurus* Abbas Andecenſis, *D. Raymundus* Abbas

Abbas Admontensis, D. Odo Abbas S. Blasij in Sylva Nigra.

LXXVII. *Ruina Seminarij alumnorum Archiepiscopalium.* Cæterum deplorandus est casus, qui altero ab eorum electione mense seminarium Archiepiscopalium alumnorum involvit. Numerabat illud anno MDCLXIX. sedecim alumnos sub cura P. *Bernardi Kimpfler* Monachi Michaël-Burani, cum XVII. Cal. Augusti intra secundam & tertiam noctis horam latus vicini montis Monachorum prope plateam Gstöttensem ingenti subsidentium saxorum ruina tredecim civium domos, unacum memorato seminario, cunctis adhuc alto somno immersis, oppressit. Et licet exortus tumultus ac morientium clamores brevi temporis intervallo totam viciniam excitarint, ut, qui magna foret charitate, miseris auxiliatricem dexteram porrigeret; frustranei tamen, quin & pluribus infelices fuere labores, postquam iteratum rupifragium circa horam quartam insecutum est, ne funeribus funera, ruinis ruinæ deessent. Ultra ducenta hominum capita hac montis ruina interijerunt, quos inter fuerunt Alumni duodecim (quatuor vivi e ruderibus extracti) ac duo PP. Michaël-Burani, e quibus alter *Regentis* officium subijerat. Quamprimum enim Anno MDCXXIV. seminarium alumnorum Archi-Episcopalium in desertam a Fratribus Joannis Dei Ecclesiam S. Marci, ac adjacens Monasterium transtulisset *Paris Lodronius* felicissimæ recordationis Princeps, continuo ejusdem administrationem supremamq; curam PP. Benedictinis commisit, e quorum numero assumptos *Regentes* sequens syllabus dabit.

Ab

Ab Anno MDCXXIV. usque ad annum MDCXXV.

I. *P. Sebastianus Müele Andecensis.*

Ab anno MDCXXV. usque MDCXXVII.

II. *P. Sebastianus Röhr Ottoburanus.*

Ab anno MDCXXVII. usque MDCXXVIII.

III. *P. Andreas Vogt Ottoburanus.*

Ab anno MDCXXVIII. usque MDCXXXII.

IV. *P. Romanus Müller Seonensis.*

Ab anno MDCXXXII. usque MDCXLI.

V. *P. Sebastianus Röhr Ottoburanus.*

Ab anno MDCXLI. usque MDCXLV.

VI. *P. Gregorius Heller Gottwicensis.*

Ab anno MDCXLV. usque MDCXLVIII.

VII. *P. Marianus Schwab Schyrensis.*

Ab anno MDCXLVIII. usque MDCLI.

VIII. *P. Sympertus Vischer e S. Udalrico.*

Ab anno MDCLI. usque MDCLV.

IX. *P. Marianus Schwab Schyrensis.*

Ab anno MDCLV. usque MDCLXV.

X. *P. Romanus Müller Seonensis.*

Ab anno MDCLXV. usque MDCLXIX.

XI. *P. Ludovicus Engel Mellicensis.*

Anno MDCLXIX.

XII. *P. Bernardus Kimpfler* Monachus Michaël-Buranus, quem ante aliquot hebdomadas in infaustam suam sortem *Regentis* alumnorum officio adhibitum pridie inviserat *P. Amandus Probst* Professus Michaël-Buranus ac ruinæ socius. Effossus est uterq; exanimis hora septima vespertina. *P. Bernardus* S. Regulæ scapulari indutus, complicatisq; ad pectus manibus imaginem Deiparentis, cui se totum in vita devoverat, firmis adeo amplexibus complectebatur, ut mortuo avelli vix quiverit: *P. Amandus* ætatis adhuc floridæ maximæq; spei Monachus quasi complicatus inter ingentem lapidum acervum jacebat. Reliquorum oppressorum eadem erat miseranda facies, cujus uberiorem descriptionem habes apud P. Mezgerum *Hist. Salis. Lib. V. Cap. XLIII.*

CAPUT IX.

Collegio PP. Professorum donatur Ecclesia Plainensis; 1. Ejusdem Benefactores, ac erecta ibidem Congregatio. 2. Series Rottvvilani Gymnasij cum Universitate confœderati. 3. Celebritas Facultatis Juridicæ. 4.

Ab Anno MDCLXX. usq; ad An: MDCLXXXII.

LXXVIII. *Ortus Ecclesiæ plainensis.* ANtequam Ecclesiæ Plainensis donationem aggrediamur, consultum fore duximus, si prius de ejusdem origine & progressu pauca quædam præfemur, prout fusiori stylo posteritati reliquit *D. Edmundus* Abbas S. Petri ac Universitatis Assistens perpetuus in *MS. origine Ecclesiæ Plainensis*, quam vernacula lingua anno MDCLXXXI. conscriptam nobiscum comunicavit Reverendissimus *D. Placidus* S. Petri Abbas, laboris nostri promotor optimus. Edidit etiam Historiam hujus Ecclesiæ *P. Virgilius Faber* Garstensis in suo *Malogranato*, seu libro de Gratijs & Beneficijs B. M. V. in Plain.

Asservabat itaque domi suæ *Paulus Regner* pistor & indigena pagi *Regen* dicti haud procul Ratisbona imaginem ter admirabilis Deiparentis mole quidem exiguam, suavitate tamen & amoribus plenam: Ipsa Virgo suavissimo aspectu dilectum suum Unigeni-

tum supra lectulum recubantem ad somnum componere, ac linteo utraque manu decenter levato involvere videtur, dum vicissim divinus pusio extentis brachijs in virgineæ Matris osculum & amplexum ruere parat. At unde effigies, quantoque tempore in pistoris domo perstiterit, altum in documentis nostris silentium; necdum enim speciali aliquo cultu illam prosequebatur Paulus, donec XVI. Calend: Januarij anno MDCXXXIII nota Suecorum crudelitas universum pagum in bustum & cineres redegit, quos inter sola illæsa perstabat prædicta D. Virginis imago, ac si, ubi dulcissimam Deiparæ faciem vidisset flamma, illam attingere non ausa recessisset. Excitavit ea res populique rumor nobilem Matronam *Argulam* natam *Eckerin* de *Käpfing* nobilis viri *D. Joannis Ludovici Grimming* de *Niderain* Præfecti in Fürstenegg conjugem lectissimam, ut *Stephani Waschinger* penicillo purgatum D. Virginis simulacrum (aliquibus in locis fuliginis notas reservarat) alterius imaginis permutatione sibi compararet, nec non decenti armariolo inclusum in suo sacello domestico piæ venerationis causa reponeret. *Rudolphus* postmodum *Joannis Ludovici* filius, ut hæreditario jure ad se delatam Virginis imaginem aliorum quoque pietati præberet, in colle *Plainensi* prope Salisburgum modicum sacellum exstruxit, in quo VI. Idus Decembris anno MDCLII. eandem confertim prætereunti populo colendam exposuit. Cum vero Archiepiscopalis Consistorij jussu imaginem suam in aliqua Archidiœcesis Ecclesia, quacunque demum placeret ipsi, collocandam intelligeret, substituto mox *Francisci Pireti* manu elaborato ectypo prototypon in arcem suam *Milleg*, ac tandem anno MDCLVIII. sub Eremitæ habitu in pagum *Wanckenburg* Diœcesis Augustanæ transtulit,

Deiparentis Imago inter flammas illæsa.

tulit. Redijt inde iterum ſacrum pignus in collem *Plainenſem* anno MDCLXXVI, prout infra dicemus.

LXXIX. Salisburgi interim permanſerat primum ectypon, quod a circumjacente colono tantam venerationem tulit, ut Celſiſſimi Archi-Epiſcopi voluntate lignea illa domus anno MDCLV. ampliata, & demum anno MDCLVII. ne voti cauſa illuc abeuntes ſacroſancto Miſſæ ſacrificio carerent, aliud ſacellum cum tribus altaribus erectum fuerit. Sacravit illud Eccleſiaſtica benedictione pridie Nonas Maij Univerſitatis noſtræ Aſſiſtens perpetuus *D. Amandus* S. Petri Abbas, quaſi præſagiens, D. Virginem conſolatricem, in cujus honoribus primus ibidem ad aras operatus fuerat, Ordini Benedictino ceſſuram.

LXXX. Creſcentibus dein piorum donarijs & oblationibus, quæ divitem futuræ Eccleſiæ fabricæ fundum conſtituebant, duodecimo Cal. Maij an: MDCLXXI. non ſolum conſuetis cæremonijs primum novo templo lapidem poſuit Ipſe Celſiſſimus Princeps *Maximilianus Gandolphus*, verum etiam *P. Alphonſo* Univerſitatis Rectori Magnifico viva voce Eccleſiam *Plainenſem* unacum omnibus proventibus, prout VI. Idus Februarij ſe facturum adpromiſerat, dono dedit, tabulis donationis III. Calend. Junij an: MDCLXXII. ſubſcriptis & extraditis. Extemporalem proin ædiculam, donec PP. Benedictinis condigna ſurgeret habitatio, anno eodem haud procul nova Eccleſia exſtruxit P. Rector Magnificus, ſub Univerſitatis Præſide *D. Placido* Abbate Lambacenſi, Aſſiſtentibus Provinciarum *D. Cæleſtino* Abbate Lunælacenſi, *D. Gregorio* Abbate Schyrenſi, *D. Michaële* Abbate Michaël-Burano, *D. Gregorio* Abbate ad S. Udalricum Augu-

Donatur Collegio PP. Benedictinorum.

ſtæ Vindelicorum. Hanc initio inhabitavit **P. Gregorius Wimberger** Cremifanenſis, & **P. Anſelmus Maylſer** e S. Petro, quibus ſucceſſit primus Superior in Plain **P. Bernardus Waibel** olim Profeſſor & Procancellarius Univerſitatis, unacum *F. Chriſtophoro Santholzer*, uterq; ex Principali Monaſterio Einſidlenſi evocatus.

LXXXI. *Gymnaſiū Rottvvilanum* Haud abſimile incrementum ſumpſit Univerſitas a novis DD. Confœderatis ex Congregatione Suevica *S. Joſephi*, quos ad Academicum fœdus ineundum pertraxit nuper apertum Gymnaſium Rottwilanum. Excoluerant quidem in eadem Jmperiali Civitate optimi PP. Societatis Jeſu Gymnaſium aliquod, in quo maxima diligentia a Rudimentis Rhetoricam uſque juventutem informabant: haud diu tamen tenuit literarius hic flos; tum minus congrua ſuſtentatio, tum ab Ordinario Conſtantienſi iiſdem *deſeritur a PP. S. Jeſu.* interdicta adminiſtratio Eccleſiæ B.V.M. (vulgo Cappel) brevi prædictos Patres permovit, ut de diſceſſu ſuo cives edocerent, annuit Senatus precibus, ultroque eorum abitum promovit. Ut autem prudentiſſimus Senatus labanti rudis juventutis profectui quantocius conſuleret, neque a longiori ſtudiorum intercapedine detrimentum caperet juventus, mature de alijs Profeſſoribus, qui non minus artium liberalium, quam ſolidæ pietatis cultura ingenuam civium ſobolem in patriæ decus & emolumentum elaborarent, circumſpicere occœpit. Et licet candidatos domeſticos doctrina æque ac pietate claros ſacer Ordo D. Dominici præberet, placuit nihilominus Senatui urbico deſertum Gymnaſium Reverendiſſimis *Offertur Ordini S. Benedicti.* Præſulibus *D. Romano* ad S. Blaſium in Nigra Sylva & *D. Chriſtophoro* Abbati Zwifaltenſi anno MDCLXXII. menſe Octobri offerre, per nobilem virum *D. Joannem*

nem Jacobum Waibel Urbis Syndicum. Subodorati quasi principio, quod eventus docuit, Sapientissimi DD. Abbates oblatas recusarunt scholas, utpote quibus in aliorum messem manus immittere res nova & inassueta videbatur. Verum, cum Celsissimi Archi-Episcopi Salisburgensis, nec non Reverendissimi D. Præsidis Universitatis Salisburgensis, *D. Placidi* Abbatis Lambacensis Epistolis, quibus ad assumendas Rottvvilanas scholas Sueviæ Abbates animabantur, Celsissimi quoque Principis & Episcopi Constantiensis hortamenta, ac repetitæ Senatus populique Rottvvilani preces accederent, Conventui in Urbe Mößkirchensi, ditionis Landgravij, nunc S. R. J. Principis de Fürstenberg oppido, peragendo diem duodecimum Mensis Aprilis anno MDCLXXIII. indixerunt. Ventilatum est ibi negotium hoc congressibus aliquot, condignaque PP. Professoribus sustentatione præstituta Idibus Aprilis tabulas Fundationis subscripserunt *ex Congregatione Suevica S. Josephi*, *D. Christophorus* Abbas Zvvifaltensis, *D. Balthasar* Abbas Ochsenhusanus, *D. Wunibaldus* Abbas Petrusianus, *D. Aloysius* Abbas Augiæ Majoris, *D. Romanus* Abbas S. Trudperti, *D. Paulus* Abbas S. Petri in Sylva Nigra, P. *Alphonsus Stadelmayr*, Rector Magnificus Universitatis Salisburgensis, nomine D. Abbatis Weingartensis, *P. Georgius Geisser* Prior (*postea Abbas*) ad S. Georgium Vilingæ itidem nomine sui D. Abbatis: *extra Congregationem S. Josephi*, *D. Benedictus* Abbas Ottoburanus, *P. Benedictus Gebelius* (*) Commissarius *D. Romani* Abbatis ad S. Blasium in Sylva Nigra. *Nomine Urbis Rottvvilanæ* idem instrumentum dotationis propriæ manus subscriptione corroborarunt, *D. Joannes Wilhelmus*

Quinam Abbates fundationis tabulas subscripserint.

[a] *Is postea Gymnasij Rottvvilani, historiam ex documentis Archivi San-Blasiani collegit.*

helmus Herderer Urbis Consul, *D. Joannes Jacobus Waibel* Syndicus, *D. Joannes Seiz* Tribunus, *D. Joannes Jacobus Pfister* Tribunus, & *D. Matthias Rinbar* Octodecimvir.

LXXXII. *Ejusdem solennis inauguratio b*

Accedente itaque III. Idus Septembris Celsissimi Ordinarij Constantiensis consensu & confirmatione *D. Christophorus* Abbas Zvvifaltensis, & *D. Romanus* Abbas S. Trudperti (*) VI. Nonas Octobris Rottvvilam abijerunt, ut solenni ritu nova studia auspicarentur. Stabat eo die jam a meridie in armis miles, festivo in apparatu civis, qui universas urbis plateas suis sub Ducibus & signis pulchrum in ordinem divisi occupabant. Primus Urbem ingressus D. *Romanus* Abbas S. Trudperti a duobus Cæsarei Dicasterij Assessoribus, *D. Francisco König* Urbis Rottvvilanæ Granario, & *D. Raphaële Kuen* Thesaurario alijsque Civium primoribus per armatas, longaque serie explicatas militum stationes in hospitium deductus est. Secutus eum ingruente jam nocte *D. Christophorus* Abbas Zvvifaltensis comitantibus *D. Joanne Francisco Meck* a Balgenheim, & *D. Francisco Gebel* Cæsarei Tribunalis Assessoribus, unacum spectabili equestris turmæ, quam e primis civibus Senatus legerat, circumfuso agmine pares honores inter tormentorum & sclopetorum tonitrua accepit. Salutarunt DD. Præsules facunda oratione *D. Joannes Wilhelmus Herderer* Consul, & *D. Lucas Werner* Urbis Prætor, alteroque mox die ad capessendam Gymnasij possessionem introduxerunt. Post meridiem dein præsente &

[b] *D. Romanus Monachus Zvvifaltensis X. Cal. Nov. an. MDCLXV. ad. S. Trudpertum Abbas postulatur ingenti nutantis Monasterij commodo, quod P. Bernardi Prioris & P. Anselmi Novitiorum Magistri opera ad primævum florem feliciter reduxit.*

& applaudente universo Magistratu orationem inauguralem dixit *P. Arsenius Sulger* Monachus Zvvifaltensis ac p. t. Rhetorices Professor. (*) Supremum porro Gymnasij regimen quod attinet, idem ferme erat, quale Universitatis Salisburgensis, cum summa potestas a D. Præside & duobus Assistentibus dependeret, eorumque dignitas triennali officio circumscriberetur. Itaque id muneris suscepit

t & regimen

I. PRÆSES

Ab anno MDCLXXIII. usq; ad annum MDCLXXV.

LXXXIII. D.CHRISTOPHORUS Abbas Zvvifaltensis. Principalem hic curam eo contulit, ut Gymnasium, quod hortante Universitate Salisburgensi susceptum fuit, mutuo cum eadem vinculo colligaret. Et vero id impetrare difficile non fuit, præsertim cum necdum confœderati aliquot Sueviæ Præsules Academico fœderi sese sociare cogitarent. In publicas proin tabulas relatam utriusque studij confœderationem Universitatis nomine roborarunt *D. Placidus* Abbas Lambacensis Universitatis Præses, *D. Edmundus* Abbas S. Petri Assistens perpetuus, & *D. Cœlestinus* Abbas Lunælacensis Assistens Provinciæ Austriacæ. Monasteria autem ex *Congregatione S. Josephi*, quæ reliquis cum Academia Salisburgensi confœderatis Asceterijs accesserunt, hæc sunt: nimirum Monasterium *S. Georgij* in Sylva Nigra, *Major-Augiense*, *Ochsenhusanum*, *Petrusianum*, *S. Petri* in Sylva Nigra, *S. Trudperti*, *Weingartense*, *Wiblingense*, *Ysnense*, *Zvvifaltense*.

unitur cum Universitate Salisb.

Abbates Suevicæ Congregationis, qui fœderi Academico accesserũt

[c] *P. Arsenius Sulger in Matriculam Universitatis Salisb. & Religiosi Convictus relatus an: MDCLXI, edidit descriptionem solẽnis inaugurationis Gymnasij Rottvvilani.* 4. 1673. *Scripsit præterea annales Zvvifaltenses juris publici factos anno* 1698. 4. *uti & vitam didacticam S. P. Benedicti. Obijt vir literatus xv. Cal. Decembris anno* 1691.

II. PRÆSES

Ab anno MDCLXXV. usque MDCLXXXI.

D. BENEDICTUS Abbas Ottoburanus, quem post evolutum triennale præsidium ob eximia in Lycæum Rottvvilanum merita denuo in officio Præsidis confirmarunt DD. Confœderati XVIII. Cal: Octobris anno MDCLXXIX. Eo jubente cœperunt PP. nostri Philosophiam ac Theologiam moralem publice profiteri, quamquam fundationis literæ solas inferiores scholas respicerent: restituta quoque confraternitas civica sub invocatione *Matris Dolorosæ* a discessu PP. S.J. intermissa.

initium Philosophiæ ac Theologiæ moralis.

III. PRÆSES

Ab anno MDCLXXXI. usque MDCLXXXVIII.

D. PLACIDUS Abbas Ochsenhusanus. Comparavit is Collegio communibus DD. Confœderatorum expensis bona in Neckerburg opera præprimis usus *P. Mauritij Boog* Monachi Zvvifaltensis, ac Gymnasij Superioris.

IV. PRÆSES

Ab anno MDCLXXXVIII. usque MDCXCI.

D. GEORGIUS Abbas ad S. Georgium in Sylva Nigra, vir pijssimus non minus quam doctissimus (*) sub cujus Præsidio nutare cœpit studium Rottvvilanum: Causatus enim Senatus temporum injurias ac ærarij penuriam, sensim annuos proventus diminuit: Hinc domum revocatis PP. Professoribus non nisi tres Patres in Collegio remanserant. *P. Antonius Jelin* Monachus Zvvifaltensis Superioris officium ac Rhetorices Poëseosque magisterium: *P. Wolfgangus* Zür-

d

ob afflictas hujus Gymnasij res

[d] *Optimi hujus Præsulis, quem Mabillonius varijs in locis summis laudibus extollit, ac* Nodum totius Germaniæ *vocat, vitam librosque habes apud P. Felicem Egger* in Id: Ord. Hier: Bened: L. II. p. III. Dissert. VI.

Zürcher Weingartenſis & P. *Mauritius* e Petri Domo Conſtantiæ reliquas inter ſe ſcholas partiti concionatorum ſimul munia obibant.

V. PRÆSES

Ab Anno MDCXCI.

illud a PP. Benedictinis deſeritur.

D. WILLIBALDUS Abbas Weingartenſis. Hic, cum Gymnaſium tribus Profeſſoribus circumſcribi, nec ijs neceſſaria ex urbico penu, ſed ut plurimum prædio Neckerburgico alijſque annuis cenſibus a DD. Confœderatis exſtruendo Convictui Religioſorum ac Seminario deſtinatis haurienda animadverteret, manum ab aratro & ſcholis removit. Obſtupuit Rottvvila inopinatum diſceſſum, multumque per legatos egit, ut denuo rediret Ordo Benedictinus novis Fundationis literis ſtabiliendus. At poſt luſum: Nemo ſemel expertam volubilem ſortem iterato experiri, multo minus ſuomet marte alienis in caſtris militare volebat. (*) [e] Redijerunt modo Rottvvilam *PP. Soc. Jeſu* quibus ſtabilem, melioremque fortunam animitus apprecamur.

LXXXIV. Jam iterum ad Matrem Univerſitatem Salisburgenſem redeamus. Amiſerat illa anno MDCLXXIII. Aſſiſtentem perpetuum *D. Amandum* Abbatem S. Petri, & *P. Alphonſum Stadelmayr* Weingartenſem Rectorem Magnificum; Hic ad pedum Monaſterij ad Vineas, quod rebus laudabiliter geſtis dudum promeritus fuerat, VII. Idus Septembris anno eodem evocatus, ſuccedaneum ſibi habuit *P. Benedictum Pettſchacher* e S. Lamberto virum numeris omnibus abſolutum; ille viam univerſæ carnis V. Idus Novembris ingreſſus mitram & Aſſiſtentis perpetui dignitatem

S D.

[e] *Inſignia hujus Gymnaſij erat ſimplex Aquila, in cujus medio apertus, ac duobus circulis inter ſe ligatis notatus liber eminebat.*

D. Edmundo reliquit. Quantum uterque Universitati opera, vigilantia, consilioque profuerit, peregrinus sit, qui ignorat. *D. Amandus* Abbas Ecclesiæ Plainensis initia vidit, & exultavit: *D. Edmundus* Successor eandem consummatam ornavit plurimum. Perfecta est tota moles anno MDCLXXIV, quæque sive frequens marmor, sive artificium spectes, *Gandolphum* conditorem loquitur. Quapropter Ipse Celsissimus Princeps novam Ecclesiam unacum supremo altari, (duo lateralia III. Idus Junij *Polycarpus* Episcopus Gurcensis (*) consecraverat) ritu Catholico Pridie Idus Augusti dedicavit. Finitis dein consecrationis cæremonijs, ac comitante Academica Congregatione D. Virg. in cœlos assumptæ, ad ligneum sacellum, in quo hucusque preces & sacrificia fieri consueverunt, adornata Processio: unde Deum Evcharisticum Ciborio, ut vocant, inclusum Archi-Episcopus, Sacram vero iconem *D. Edmundus* Abbas S. Petri in templum recenti dedicatione initiatum transtulerunt.

Dedicatio Ecclesiæ Plainensis. f

LXXXV. *Ejus Benefactores*

Principalem porro aram, quæ Deiparæ cœlos ascendentis gloriosum triumphum exhibet, *Maximilianus Gandolphus* Archi-Episcopus statuit: secundam Christo Servatori e Cruce pendenti dicatam *Polycarpus* Gurcensium Episcopus: tertiam in honore B V. ejusque Sponsi S. Josephi erectam *D. Edmundus* Abbas S. Petri, pro suo quisque zelo splendide consummavit. Reliquorum sacellorum Benef ctores infra annus MDCLXXIX. dabit.

Neque hic pia liberalitas metam invenit. Sacras Mini-

[f] *Polycarpus Guilielmus Comes a Küenburg, Metropolitanæ Ecclesiæ Salisb: Præpositus & Vice- Dominus Frisaci anno* 1673 *Episcopus Gurcensis designatur.* *Obijt anno* 1675.

Miniſtrorum veſtes argento divites, ejuſdemq; metalli ſat amplum armarium D. Virginis imaginem utrinque complectens anno eodem Eccleſiæ Plainenſi donavit Celſiſſimus Archi-Epiſcopus,qui raro pietatis exemplo vix ſabbatum elabi ſinebat, quin non Lauretanis Lytanijs ibidem decantari ſolitis intereſſet, ac novo ſemper munere Thavmaturgam Matrem ſibi ſubarrharet. Traxit hæc munificentia *Maximiliani Gandolphi* alios quoque in ſequelam, quorum omnium catalogum habes apud P. Mezgerum *Hiſt. Salisb. Lib. V. Cap. XLVIII.*

LXXXVI. *Fundationis literæ pro Ord: Bened:* Ut vero Eccleſia *Plainenſis* perpetua & inconcuſſa foret Collegio PP. Profeſſorum, juſſu Celſiſſimi Principis a *D. Franciſco Ludovico* L. B. de Rehlingen Camerario & Conſiliario intimo, *D. Joanne Henrico Paſcha* Conſiſtorij Directore, *D. Joanne Guilielmo Turner* Conſiſtorij Cancellario, Archi-Epiſcopalibus in hoc negotio commiſſarijs, ac *D. Alphonſo* Abbate ad Vineas Univerſitatis Præſide, *D. Edmundo* Abbate S. Petri, *D. Adalberto* Abbate Seonenſi Provinciæ Salisburgenſis Aſſiſtente, *P. Benedicto Pettſchacher* Rectore Magnifico, *P. Bernardo Waibel* tunc Superiore in Plain, fundationis literæ conceptæ ſunt. Probavit ſingula, quæ inter eoſdem convenerant, tum *Gandolphus* Archi-Epiſcopus, tum Capitulum Metropolitanum XIII. Cal. Sept. an. MDCLXXV. Initium literarum tale eſt.

„Nos MAXIMILIANUS GANDOLPHUS Dei Gratia Archi-„Epiſcopus & Princeps Salisburgenſis S. Sedis Apoſtolicæ Le-„gatus Natus. &c. Notum facimus & atteſtamur hiſce præſenti-„bus, quod debito devotionis Zelo ducti, & de com̃uni pietate „& devotione, imprimis vero totius populi in Civitate noſtra

„Salisburgensi existentis augenda soliciti, ad præpotentis Dei „gloriam, ejusque Genitricis & Virginis Mariæ, nempe Con„solatricis afflictorum, ac omnium Sanctorum, præsertim Pa„tronorum Ruperti & Virgilij, ac S. P. Benedicti laudem & ho„norem, divinique cultus in hoc ipso loco augmentum & pro„pagationem, maxime vero ex speciali nostra benevolentia, „qua Ordinem S. P. Benedicti olim jam a primis exordijs Ec„clesiæ nostræ Salisburgensis, tum ab erecta hic Salisburgi Uni„versitate ex prælectionibus eorumdem Patrum Benedictino„rum cum insigni & publica utilitate de hac nostra Metropoli„tana Ecclesia & Provincia optime meritum paterne complec„timur, donare constituerimus, prout vigore harum litera„rum authoritate nostra ordinaria, & accedente consensu Ve„nerabilis Capituli nostri irrevocabiliter donamus, & perpetuo „appropiamus omnibus melioribus modo, via, jure, causa & „forma, quibus donationis titulo efficacius possumus, Colle„gio Patrum Benedictinorum Universitatis nostræ Salisburgen„sis vicinam Ecclesiam in Plain ad Beatissimam Virginem Con„solatricem dictam, & in nostra Parochia Perkhamb, ac Præ„fectura Neühaus sitam, cum omnibus suis mobilibus & im„mobilibus &c &c. "

Reciproca Collegij Benedictino-Academici promissa erga Celsissimum Fundatorem Plainensem, & Jllustrissimam Familiam Comitum de Küenburg, recitat idem instrumentum Fundationis *Num. v.* hunc in modum. „Quinto sancimus, ut „quoad vixerimus, singulis diebus in hac Ecclesia ad D. Virgi„nem Consolatricem in Plain, una Missa legatur ad certam no„stram intentionem, nempe die Dominica pro felici nostro re„gimine & incolumitate, die Lunæ vero pro vivis & defunctis „ex Familia nostra Comitum de Küenburg utriusque Sexus, „idque alternis vicibus usque ad obitum nostrum; Post obi„tum vero nostrum futuris perpetuis temporibus per septima„nam legantur deinceps duæ solum Missæ ad certam itidem „nostram intentionem; nimirum prima pro refrigerio & salu-

„te

„te animæ noſtræ, altera vero pro vivis & defunctis utriuſque „Sexus ex noſtra Familia Comitum de Küenburg. &c. Econ„tra in confœderatis cum Univerſitate hac noſtra Monaſterijs „Ordinis S. P. Benedicti, poſt dictum noſtrum obitum conti„nuo perſolvantur pro refrigerio, & ſalute animæ noſtræ bis „mille Miſſæ: Et in eadem Eccleſia ad D. Virginem in Plain die „non impedita circa finem Maij, certo tamen ante initium ſe„quentis Junij, pro Nobis tanquam Fundatore anniverſarium „perpetuum cum quatuor Miſſis privatis celebretur, idque ad „excitandam majorem populi frequentiam Dominica proxime „antecedente ſolenniter publicetur." &c.

LXXXVII. *Prototypon Iconis Plainenſis Salisburgum defertur.* Cæterum ingens hucuſque deſiderium omnium animos inceſſerat, ut primævam D. Virginis imaginem, quam a *Rudolpho Grimming* primum in Æde *Plainenſi* collocatam, ſed inde ab eodem in Diœceſin Auguſtanam anno MDCLVIII deportatam ſupra meminimus, ſuo reſtituerent loco. Juvit piorum vota Celſiſſimus Archi-Epiſcopus *Gandolphus*, dum VI. Cal. Maij anno MDCLXXVI. prædictam imaginem a D. Suffraganeo Auguſtanæ Diœceſis expetijt, impetravitque III. Nonas Maij anni ejuſdem authoritate publici inſtrumenti, quod, ut Lector eo certius ſacram Iconem in Plainenſem Eccleſiam redijſſe intelligat, hic inſerimus.

„CASPARUS Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Adra„mytenus Epiſcopatus Auguſtani Suffraganeus. Præ„ſentium tenore atteſtamur, quod die IX. Menſis Decembris „anno MDCLXV. ex ſpeciali mandato Reverendiſſimi & Cel„ſiſſimi Principis Domini Domini Joañis Chriſtophori Epiſco„pi Auguſtani, Domini noſtri Clementiſſimi &c. D. Præfectus „in Neſſelvvang imaginem pictam B. M. V. quam *Rudolphus* „*Grimming* in Wanckenberg habuit, ad Vicariatum Auguſta„num in capſula lignea bene clauſa & ſigillata tranſmiſerit, ea-

dem-

„demq; in dicto Vicariatu in hodiernum usq; diem fuerit asservata, quam hodie in præsentia infra scripti Notarij & duorum „testium aperiri curavimus, atque Reverendissimo in Christo „Patri ac Domino Romano Ord: S. Ben: Monasterij S. Udalrici „& Afræ Augustæ Abbati, Reverendissimo & Celsissimo Metro„politano Salisburgensi transmittendam, tradidimus. In cujus „rei fidem has literas desuper fieri, a sigillifero nostro subscribi, „& sigillo Vicariatus prædicti Augustani muniri jussimus. Datæ „Augustæ Vindelic. die v. Maij an: MDCLXXVI.

Salisburgum hanc Iconem clausam & obsignatam reportavit *D. Alphonsus* Abbas ad Vineas Universitatis nostræ Præses, eamque jussu Celsissimi Archi-Episcopi in sacrario Plainensi reposuit, quam postea argenteo corde circumdedit Illustrissimus *D. Maximilianus* Comes a Thun, ut, ubi thesaurus ejus, ibi & cor ter admirandæ Matri devinctissimum habitaret.

Domicilium pro Patribus Plainensibus.

Anno eodem novum domicilium Patrum Benedictinorum in colle Plainensi exstructum XIV. Cal. Aprilis primo inhabitari cœptum, dulci subin requie ac refrigerio eorum, qui diuturnis acadamicis sudoribus & laboribus exhausti quietos promeruerunt dies: ijs siquidem ita provisum *Num. III.* in citato Fundationis instrumento.

LXXXVIII Anno MDCLXXVIII novum Præsidem venerabatur Vniversitas *D. Georgium* Abbatem Schyrensem; Assistentes quatuor Provinciarum *D. Erenbertum* Abbatem Cremisanensem, *D. Cælestinum* Abbatem S. Emerami Ratisbonæ, *D. Franciscum* Abbatem S. Lamberti in Styria, *D. Alphonsum* Abbatem ad Vineas.

Feriæ autumnales, quando incipiant.

Commutarunt hi ferias, seu vacationes autumnales, quas in *majores* & *minores* dividere hactenus consuevit Universitas: *Majores* exordium sumebant v. Idus Julij in festo Commemorationis S. P. Benedicti,

cti, & protrahebantur usque ad Vigiliam S. Laurentij Martyris; quæ incidit in diem IX. Augusti. *Minores* autem a XVII. Cal. Novembris usque ad festum Ss. Apostolorum Simonis & Judæ sese extendebant. Statutum proinde XIV. Cal. Junij anno MDCLXXIX, ut Ferijs autumnalibus initium daretur VI. Idus Septembris: reassumerentur vero scholæ a DD. Academicis post festum S. Caroli Borromæi Universitatis Patroni; a Rhetoribus post festum Ss. Apostolorum *Simonis* & *Judæ*; a Gymnasistis post festum *S. Lucæ* Evangelistæ. Consuetudo hæc, quæ hodiedum in usu est, eodem anno primitus observata fuit, ad cujus solennem renovationem maxima felicitas, ac gloria Facultati Juridicæ illuxit, postquam *P. Cœlestinus Sfondratus* S. Galli Monachus Juris Canonici cathedrā conscendit. Tanta initio statim viri hujus doctissimi ac modestissimi fama erat, tantusque discipulorum affluxus, ut aulæ spatium licet peramplum, capiendis auditoribus neutiquam sufficeret: Id quod Musæ Salisburgenses in *arbore fœcunda* (*) eidem dicata ingenue hisce deprædicarunt:

Sfondratus Juris Pontificij prælectiones auspicatur. g

Atque ideo passim studijs excita juventus
Augustum, Themidis sacrata palatia, circum
Tanto discentum numero cumulavit, ut amplo
Quamvis, non tamen immensam capiente catervam
Limine palladio, per apertas sæpe fenestras
Affusa, aut foribus deberet plurima turba
Calcibus insistens Sfondratum *audire docentem.*

Sociatam *Sfondrato* operam collocarunt uno eodemque tempore *D. Hermannus Hermes*, & *Joannes Balthasar Braun*, præclari Juris Mystæ. In Facultate quoque Theologica eminebant *P. Josephus* & *Paulus Mezger*

[g] Arbor fœcunda fructibus honoris & honestatis *eidem a Patribus Academicis oblata an. MDCXCVI. in fol. cum fig. Æneis.*

ger e S. Petro, nec non *P. Gregorius Wimperger* Cremifanensis Monachus; quibus omnibus, cum suprema lex fuerit, juventutis utilitas, id singuli attendebant, ut summa perspicuitate Theoriam docerent, & usum seu praxin simul ostenderent. Hinc ab his duabus Facultatibus Responsa ab universa propemodum Europa petita sunt, hodieque postulantur, nec a vulgo litigantium, sed a Principibus & Magnatibus. Opportune proin anno MDCLXXXII. quatuor Gallicanæ Ecclesiæ propositiones edicto Regio Ludovici XIV per universas Regni sui provincias docendæ & propagandæ, (*) Salisburgum delatæ sunt. Coëgit ea res sæpius Senatum Academicum, qui, ut suadente Archi-Episcopo easdem propositiones validis argumentis oppugnaret, doctam *Sfondrati* pennam animavit. Nec fefellit eventus bonorum omnium expectationem. Primum lucem aspexit *Regale Sacerdotium* Romano Pontifici assertum, ac quatuor propositionibus explicatum in 4to an. MDCLXXXIV; cui dein anno MDCLXXXVII subjunxit *Galliam Vindicatam*, in qua testimonijs exemplisque Gallicanæ præsertim Ecclesiæ, quæ pro Regalia ac quatuor Parisiensibus propositionibus a Ludovico Maimburgo alijsque producta sunt, refutantur. Quantis execrationibus & indignatione tractatus istos Gallia excepit, tantis plausibus & aggratulatione eosdem prosecuta est Germania, Italiaque. Quis enim melius Maimburgi tractatum *de libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ* anno MDCLXXXIV in 4to Londini editum refellere potuisset, quam insuperabilis *Sfondrati* calamus, quem ad præclaros pro Sede Apostolica labores solus pro-

Quatuor Gallicanæ Ecclesiæ propositiones oppugnat. b

[b] *Edictum hoc, quod 23. Martij ejusdem anni emanavit, unacum propositionibus Gallicanæ Ecclesiæ refert Regale Sacerdotium Eugenij Lombardi, seu P. Cælestini Sfondrati* prælud: §. IV.

protegendæ veritatis amor excitavit? ſed de his inferius *Lib. II. Cap. VII.* agemus, ubi fuſiori calamo in *Sfondrati* geſta excurrere propoſiti noſtri ratio poſtulabit.

LXXXIX. *Benefactores,*

Priuſquam autem ad *Caput X.* progrediamur, quædam de Eccleſiæ *Plainenſis* ſacellis lateralibus dicenda ſuperſunt. Primum in his altare S. Benedicti *D. Ernbertus* Abbas Cremiſanenſis; ſecundum ſacratiſſimæ Chriſti Familiæ *D. Placidus* Abbas Lambacenſis; tertium S. Annæ Matris Genitricis Dei *Civilis Magiſtratus*; quartum Ss. quatuordecim Auxiliatorum Jlluſtriſſima Domina *Juſtina* Comitiſſa de Lamberg in Amerang liberaliter excitavit, quæ dein anno MDCLXXIX. *D. Joannes Franciſcus* Chiemenſium Epiſcopus (*) conſecravit. [i]

XC. *Congregatio in Eccleſia Plainenſi erecta.*

Ultimum denique incrementum prædicta Eccleſia *Plainenſis* ſumpſit ex confraternitate B. Virginis Conſolatricis, quam in ſolatium tam vivorum quam mortuorum inſtituit *Maximilianus Gandolphus* Archi-Epiſcopus VI Nonas Julij anno MDCLXXXI Præſide Univerſitatis *D. Ruperto* Abbate Glunicenſi; Aſſiſtentibus Provinciarum *D. Severino* Abbate Lambacenſi, *D. Gregorio* Abbate Schyrenſi, *D. Alberto* Abbate ad S. Paulum, *D. Benedicto* Abbate Ottoburano. Concionem dixit *P. Paulus Mezger* e S. Petro: Officium vero decantavit *D. Edmundus* Abbas S. Petri, præſente Celſiſſimo Archi-Epiſcopo, Reverendiſſimis DD. Canonicis, Senatu Academico, varijſque pijs ſodalitijs, ac vicinia pene tota. Primus Ipſe Archi-Epi-

T ſcopus

[i] *Joannes Franciſcus Comes a Preyſing Canonicus Salisburgenſis & Paſſavienſis dictus eſt Epiſcopus Chiemenſis Anno 1670. Præfuit optime annis ſeptendecim.*

scopus erectæ a se sodalitati suum inscripsit nomen: Iverunt in ejus exemplum ex omni Ordine aliquot millia Sodalium, quorum ea est functio, ut quot annis duo S. Missæ sacrificia aut peragant, aut, si Laici, peragi curent; unum pro defunctis, alterum pro viventibus sodalibus. Confirmavit omnia Innocentius XI. P. M. duabus Bullis. Prima, quæ incipit: *Pastoralis Officij Nobis divinitus commissi &c.* statuta Congregationis prosequitur: altera, cujus initium: *Sacrosancti Apostolatus officium &c.* præter complures indulgentias alijs quoque Confraternitatibus communes, tribus in anno vicibus, nimirum in festo Assumptionis, Purificationis, & Visitationis B. V. Mariæ, plenarias indulgentias omnibus illis indulget, quicunque ex dicta Sodalitate sacra prius exomologesi rite expiati, & evcharistico Epulo refecti preces suas in Ecclesia *Plainensi* eo die obtulissent. Plura videri possunt in *Malo Granato* P. Virgilij Faber Monachi Garstensis.



CAPUT X.

Novæ Benedictinorum

Scholæ. 1. Celsissimo Archi-Episcopo Maximiliano Gandolpho succedit Joannes Ernestus: & huic Franciscus Antonius. 2. Dedicatio Templi Academici. 3. Universitas jurat in Immaculatam Conceptionem B. V. 4. Collegium Virgilianum. 5. Congregatio sub invocatione S. P. Benedicti. 6.

Ab An: MDCLXXXII. usq; ad An: MDCCXVII.

XCI. *Seculum XI ab adventu S. Ruperti.*

VIX Annus millesimus sexcentesimus octuagesimus secundus, idemque undecimi Seculi Salisburgensis postremus, ex quo S. Rupertus desertum Juvavium in Episcopatus sui Sedem elegit, illuxerat, dum continuo universa Salisburgensis Provincia in jubila & gratam illatæ Christianæ Fidei memoriam excita plurimas eo curas convertit, qua celebritate felix adeo Seculum recoleret. Nec pepercit ullis sumptibus pia cunctorum æmulatio, ut per octiduanam devotionem, quæ xv. Cal. Novembris initium sumpsit, magnificos arcus triumphales statueret, variisque lætitiæ signis spectantium animos & oculos raperet. Præsens interfuit Universitas non solum seculari huic celebritati, verum etiam prope

portam academicam arcum triumphalem ingentis magnitudinis erexit, (*) nec non xiv. Cal. Novemb. *Seculum aureum Ecclesiæ ac Provinciæ Salisburgensi a S. Ruperto primo Episcopo ac Bojariæ Apostolo reductum* in theatro exhibuit, spectante Celsissimo Principe *Maximiliano Gandolpho*, Jllustrissimo Capitulo Metropolitico, Episcopis quatuor, Abbatibus quindecim, Præpositis sex, universaque Nobilitate, ac Clero, quem ex universa Archi-Diœcesi Salisburgum evocaverat Archi-Episcopale Consistorium.

Pericula ob bellum turcicum. Lætitiam tristitia & timor an: MDCLXXXIII. sequi videbatur, postquam Turcarum exercitus, turba innumerabilis, ad Urbem Vindobonensem castra metatus non nisi cædes, incendia, atque vincula, ubi Austriæ caput Vindobona cecidisset, toti viciniæ minabatur: fusus nihilominus pridie Idus Septembris, fugatusque a Cæsareo, ac confœderato Poloniæ milite hostilis barbarorum exercitus, periculo liberavit Austriam, confœderataque cum Universitate Monasteria hosti proxima.

XCII. *Gymnasiū Ebinganum.* Rebus itaque pacatis continuo communis studij rationem inter se excitarunt Bavariæ Cœnobia anno MDCLXXXIV. Eorum exemplum sequebatur Monasterium *Zwifaltense*, cui aperiendum in Urbe *Ebingana* Gymnasium Nonis Sept. an: MDCLXXXV obtulerunt Perillustris *D. Henricus Eberhardus* L. B. de Speidl Urbis atque Comitatus Ehingani & Schelchingani Gubernator Cæsareo - Austriacus, *D. Jacobus Kaiblinus*, & *D. Christianus Mellinger*; ille ejusdem Civitatis Consul, hic Pro-Consul. Impetrato dein tam Celsiss: Ordinarij, quam Excelsi Regiminis Oenipontani consensu, novis scholis initium dedit *D. Joannes*

[a] *Ejus descriptionē vid. apud P. Mezger* Hist. Salisb. Lib. v. Cap. xi.

nes Martinus Zwifaltensium Abbas dignissimus quarto Cal. Februarij anno MDCLXXXVI, relictis ibidem tribus Patribus, qui interim humaniores scholas auspicarentur. Addidit ijsdem *D. Udalricus* Abbas Zvvifaltensis Professorem Philosophiæ, ac simul novæ Collegij fabricæ fundamentum posuit: perfecit illam postea *D. Wolfgangus* Abbas Zvvifaltensis.

XCIII. *& Frisingense.* Similes scholarum labores pridie Nonas Novembris, ni fallimur, anno MDCXCVIII, in Urbe *Frisingensi* suscepit *D. Romualdus* Abbas Ettalensis favente & annuente maximo Ordinis Benedictini Mæcenate Celsissimo & Reverendissimo S.R.J.Principe & Episcopo Frisingensi *DD. Joañe Francisco* ex L.B. de Ecker in Käpfing & Liechtenegg. (*) Cumque scholasticis hisce sudoribus non solum reliqui Bavariæ Præsules suam jungerent operam, verum etiam ex Suevia Diœcesis Augustanæ Abbates accederent, post primas fundationis tabulas, aliæ IV.Cal. Febr: anno MDCCXX. conditæ, tum a Celsiss: Fundatore manus propriæ subscriptione, tum Reverendiss: Capituli Cathedralis Ecclesiæ *Frisingensis* assensu roboratæ, atq; a quibusdam ex confœderatis Abbatibus Benedictinis consignatæ sunt. Ab eo proin tempore præter humaniores literas & Philosophiam, etiam Jus Pontificium, ac Theologia speculativo- moralis a Nostratibus magno discipulorum accursu ibidem traduntur. Et hos DD. Confœderatorum literarios labores, successu temporis alij & alij imitati sunt.

XCIV. Salisburgi interim V. Idus Sept. an: MDCLXXXVI læ-

[b] *Obijt Præsul per omnia maximus, quique æternam nominis famam ab omnibus etiam exteris promeretur, decimo Calendas Februarij anno MDCCXXVII. ætatis suæ septuagesimo septimo.*

Maximilianus Gandolphus purpura Cardinalitia donatur.

lætissimus nuncius insonuit, ea ipsa die, qua Buda e turcica centum & quinquaginta duorum annorum captivitate liberata est, inter plures S. R. E. Cardinales ab Iñocentio XI. P. M. nominatos *Maximilianum Gandolphum* Salisburgensem Archi-Episcopum numerari, virum cujus avita virtus purpuram dudum promeruerat. Rubrum Pileum de manu *Ludovici* Marchioni Cusani Sanctissimi Papæ Innocentij XI, Camerarij & Equitis Melitensis, accepit XIV. Calend. Martij anno MDCLXXXVII, nec multo post nota in B. V. *Plainensem* pietate, eidem utrumque purpureum capitis insigne dono dedit, quasi præsagiens, ibidem brevi cor suum requiem inventurum, & hanc sempiternam.

Ejus natales

Fuit Eminentissimus Princeps *Maximilianus Gandolphus* nobilissimus surculus Jllustrissimæ Familiæ Comitum de *Küenburg*. A puero sub disciplina eximiorum Præceptorum optimis moribus, virtutibus ac literis apprime imbutus, Græcensi scholæ Philosophicam lauream, Romæ vero altiores scientias debet, in reliqua posthac vita cum pietatis, tum eruditionis singulare exemplar, ac literatorum fautor perpetuus. Añno MDCXLIV Canonicus Salisburgensis *tribus* successive mitris *Lavantina*, *Seccoviensi*, & *Salisburgensi* donatur. Hisce in Prærogativis talem se exhibuit *Maximilianus Gandolphus*, qualem vel ipsa veneranda antiquitas, si vidisset, suspexisset.

Elogium

Supremi namque Numinis sedulus cultor, Ecclesiam sibi creditam non modo erectis Congregationibus, novis Vicariatibus, Orphanotrophio pro pauperibus juvenibus & puellis, duobus PP. Eremitarum S. Augustini Cœnobijs, atque recenti PP. Cajetanorum colonia, quibus in honore S. Cajetani templum e marmore venustissimum unaeum peramplo Collegio statuit, adauxit plurimum, sed, quod magis præstat, probatissimæ vi[tæ]

exem[plo]

exemplo illustravit, donec apoplexia tactus inter Sa-

& obitus. cerdotum preces optimam vitam pari morte conclusit v. Nonas Maij anno MDCLXXXVII. Corpus defuncti aromatibus conditum, ac in eodem oratorio & loco, ubi Mense Februario purpuræ insignia induerat, per sex integros dies spectantium oculis & precibus expositum VII. Idus Maij sepulturam invenit in Ecclesia Cathedrali ante Altare S. Francisci.

Cor & intestina in Ecclesia Plainensi reposita. Antequam autem Eminentissimi Principis corpus cathedrali templo illatum est, cor ejus in deaurata theca reconditum, unacum visceribus ante gradus summi altaris in æde B. V. Consolatricis in *Plain* non sine lugubri pompa inhumatum fuit. Excitato deintum ibidem, tum in aula academica magnifico Mausolæo, ab Universitatis Patribus Ss. Lyturgiæ officio, & mæsta panegyri justa funebria persoluta sunt, quin & universus D. Benedicti Ordo Academiæ confœderatus ducenta supra bis mille sacrificia pijs Fundatoris *Plainensis* manibus litavit. In perennem porro tanti Benefactoris memoriam hoc epitymbion Cordi ejus in Ecclesia *Plainensi* apposuit grata posteritas.

VIATOR CAUTE,

APAGE PEDES, HUC OCULOS.

Eminentissimi, Celsissimi ac Reverendissimi S. R. E. Cardinalis, S. R. J. Principis & Archi-Episcopi Salisburgensis MAXIMILIANI GANDOLPHI EX COMITIBUS de Küenburg &c &c,

COR ET INTIMA VISCERA HIC QUIESCUNT:
MAXIMI PRINCIPIS PRINCIPALES PARTES.

EDIC,

AN NON MARIAM EX TOTO CORDE
ET INTIMIS VISCERIBUS AMAVIT,
QUI COR IPSUM ET VISCERA DEDIT?

AN-

ANIMAM SI QUÆRIS,
IN CORDE MARIÆ INVENIES;
ERANT ENIM SEMPER DUO IN CORDE UNO.
NUNC MITRAM QUI MERITIS ET IPSAM PURPURAM
Tinxit,
CORONATUR IN COELIS.
ABI,
DISCE AMARE MARIAM.

COR ATQUE INTESTINA SOLENNI RITU DEPOSITA
FUERUNT SEXTA MAII.

XCV. *Joannes Ernestus electus Archiepiscopus*

Eminentissimo *Maximiliano Gandolpho* in Archi-Episcopatu substituebatur *Joannes Ernestus* ex Comitibus de Thun. Dubium fuit, an ad hujus cunctorum votis expetitæ electionis felicem famam potius effusa lætitia, an devotus incolarum animus palmam tulerit, tantus undique plausus doctis illuminationibus, Urbis compita domosque accenderat. Diffundebat se præprimis per totam Collegij Benedictini aream artificioso opere exstructus Parnassus, varioque Musicæ genere sonorus, cui etiam per mediam fere horam auscultare dignatus est Princeps. Ulteriora Universitatis vota typis impressa, ac diversis emblematibus illustris aggratulatio, soluto ligatoque stylo posteritati reliquit. Placuit utrumq; *Joanni Ernesto*, qui, ut germani Fratris *Guidobaldi* Archi-Episcopi promissa adimpleret, ac æternum nominis pietatisque suæ monumentum Universitati relinqueret, tota Germania celeberrimo templo academico, vigore clementissimi Decreti, quod VIII Idus Decembris anno MDCXCIV subsignarat, manum admovit; Præsidem Universitatis tunc agente *D. Francisco* Abbate Ochsenhusano; Assistentem perpetuum

exstruendo templo academico manum admovet.

D. Ed.

D. Edmundo Abbate S. Petri; A.. lentem Provinciæ Auſtriacæ *D. Mauro* Lunælacenſi; Provinciæ Bavariæ *D. Wolfgango* Fornbacenſi; Provinciæ Salisburgenſis *D. Edmundo* Oſſiacenſi; Provinciæ Suevicæ D. *Udalrico* Zvvifaltenſi, Abbatibus. Deſignata itaque Eccleſiæ fabrica a nobili D. *Joanne Bernardo Fiſcher* ab Erlarch S. Cæſareæ Majeſtatis Leopoldi I. ſupremo Architecto, IV. Idus Martij, die magno illi Benedictinæ Religionis jubari S. Gregorio Papæ & Eccleſiæ Doctori (cujus nomen gerebat illius temporis Rector Magnificus *P. Gregorius Wimperger*) ſacra, fundamenta fodi cœpta ſunt prope Collegium Patrum Benedictinorum; Exin pridie Nonas Maij an: MDCXCVI in honore Beatiſſimæ Virginis ſine labe conceptæ juſſu Celſiſſimi Archi-Epiſcopi primum lapidem eidem ſubſtravit D. *Edmundus* Abbas S. Petri.

XCVI. *Univerſitas in immaculatam B.V. conceptionē jurat.*

Juravit in Ejuſdem Deiparæ immaculatam conceptionem, præeunte ipſo clementiſſimo ac pijſſimo Archi-Epiſcopo, tam Archi-Diœceſis, quam Academia Salisburgenſis anno MDCXCVII, ſub Univerſitatis Præſide *D. Edmundo* Abbate Oſſiacenſi; Aſſiſtentibus Provinciarum D. *Benedicto* Abbate Seittenſtettenſi, *D. Benedicto* Abbate Mettenſi, *D. Mariano* Abbate ad S. Vitum, *D. Franciſco* Abbate Ochſenhuſano. Et decuit profecto, ut juxta aliarum Academiarum exemplū ſive e cathedris ſive in publicis diſputationibus non niſi im̄aculatam Virginem defenderent Patres Salisburgenſes. Suaſit id recepta in Univerſitate noſtra doctrina D. Thomæ Aquinatis, quem eandem tenniſſe ſententiam docte adeo evicit *Sfondratus* noſter. (c)

U ſuaſit

[c] Innocentia vindicata *typis excuſa anno MDCXCVIII.*

suasit perpetuus (*d*) cultus, ab Ordine Benedictino Deiparæ exhibitus. Suasit denique immaculata tua Conceptio ô gloriosissima Cœli Regina, Domina & Patrona nostra; neque ulla unquam ætas in hoc *Thuniani* Zeli monumento, novo templo Academico, Te sine labe conceptam deprædicare cessabit. At quo nos abripit cultus Marianus? Redeundum est ad immortales Celsissimi Principis *Joannis Ernesti* labores.

XCII. *Collegium Virgilianum.* Necdum sua sub mole constiterat Academicum templum, & denuo, ut prodesset omnibus, Fundationi Collegij Virgiliani pro sex juvenibus nobilibus Ordinis Equestris animum applicuit, complevitque XVIII. Cal: Decembris anno MDCCI. Primum horum alumnorum, qui ex adjacentibus Provincijs Styria, Bavaria, Carinthia, Tyroli, Bohemia & Austria assumi possunt, denominat Celsissimus Archi-Episcopus; Secundum Reverendissimum Capitulum Metropolitanum Salisburgense; Tertium Status Provinciales; Quartum Possessor Primogenituræ in illustrissima Familia Comitum de Thun; Quintum Possessor secundi Majoratus; Sextum Possessor tertij Majoratus ejusdem illustrissimæ Prosapiæ. Addidit Idem Celsissimus Princeps XVI. Cal: Martij anno MDCCII alios sex honestos adolescentes, quos sex municipales Civitates Provinciæ Salisburgensis, puta *Salisburgum*, *Halla*, *Radtstadium*, *Lauffinga*, *Tittmoninga* & *Mülldorffium* præsentare solent. Coaluerunt etiam hoc Seculo Alumni S. Caroli, qui ex varijs fundationibus in unum collectis P. Rectoris Magnifici curæ & imperio subjacent.

Anno

[*d*] P. *Felix Egger* in Id. Ord. Hierarch. Bened. Lib. III. Dissert. II. *juxta Seculorum classes Benedictinam hanc in B. V. pietatem doctè æque ac pie enarrat,*

XCVIII. *Francisc. Antonius eligitur in Coadjutorem Salisburg:*

Anno MDCC, cum in regendo sibi tradito ovili oculatissimi Principis *Joannis Ernesti* oculi in dies majores paterentur tenebras, Coadjutorem a S. Sede petijt, votoque unanimi Jllustrissimi Capituli Metropolitani XIV. Calendas Novemb. accepit Celsissimum Principem *Franciscum Antonium* ex Comitibus ab Harrach Episcopum Vindobonensem, ac olim anno MDCLXXXIII in Universitatis nostræ matriculam receptum. Id quod fusius loquitur Libellus sub titulo: *Potestas Consortij patiens*, XV. Decembris anni ejusdem a Collegio Benedictino Eidem oblatus.

Tu vero Francisce novi nova vita Juvavi,
Quando juvas omnes, & nulli e plebe vel ima
Esse Coadjutor renuis, sed nomine tanto
Immersum gaudes: etiam succurrere Musis
Et Pater esse velis. Fuit olim nobile tempus
Quo tibi certatim servire, & nectere lauros
Hoc ipso potuere loco. Felicior hora
Nunc fluit, optatum qua denique ferre minerval;
Et tam munifico liceat sibi crescere Phœbo.
- - - - - - Et cur non optima Musæ
Præ reliquis sperent, quando Adjutore [illegible]
Ingenuas mentes sors prim [illegible]
Omne Salisburgum nunc [illegible] *Juvavum.*

Nec abs re: Tan[illegible]orum Principum favore brevi sub opificum manu excrevit templum Academicum Majestate nulli secundum, (*) quodque præter frequens marmor ac fornices opere gypsato distinctos ipso altarium apparatu Ecclesiam hic esse academi- e

U 2 cam

[e.] *Ejus delineationem typis edidit nobilis D. Joannes Bernardus Fischer*, in dem Entwurff einer Historischen Architectur Lib. IV. ab. IX. X. & XI.

Descriptio Templi academici. cam introëuntibus loquitur. Supremum altare *D. Virgini sine labe originalis maculæ conceptæ* est sacrum: Secundum dicatum est *S. Carolo Borromæo* Universitatis Patrono: Tertium Ss. Legislatori nostro *S. Benedicto*: Quartum *S. Thomæ Aquinati*, Facultatis Theologicæ Patrono: Quintum *B. Jvoni*, Patrono Facultatis Juridicæ: Sextum *Ss. Lucæ, Cosmæ*, & *Damiano* Patronis Facultatis Medicæ: Septimum *D. Catharinæ V. & M.* Patronæ Facultatis Juridicæ. Unumquodq; porro horum altarium duo ex Ordine D. Benedicti selecti Patroni a lateribus circumstant, ut agnoscas, *Templum* hoc esse *Benedictino Academicum*: sic altare D. Caroli Ss. *Rupertus* & *Virgilius*; D. Benedicti *Ss. Scholastica* & *Erentrudis*; D. Thomæ *Ss. Gregorius* Magnus & *Anselmus*; D. Jvonis *Ss. Isidorus* & *Burchardus*; D. Lucæ *Ss. Ægidius* & *Damascenus*; D. Catharinæ *Ss. Lanfrancus* & venerabilis *Beda* exornant. Ejus

DEDICATIONIS DIES I.

Num: XCIX.

Quamprimum ergo dies vigesima Nov: anni MDCCVII solenni Dedicationi destinata illuxit, mane circa horam septimam Celsissimum Coadjutorem unacum Jllustrissimis Dominis Canonicis, qui Assistentum munere fungebantur, *D. Maximiliano Ernesto* Comite de Scherffenberg Præposito Salisburgensi, *D. Georgio Jacobo Antonio* Comite de Thun Canonico Salisburgensi, *D. Philippo Carolo* Comite de Fürstenberg Coloniensi, Salisburgensi, & Argentinensi Canonico, totoque aulico comitatu intra portam Ecclesiæ exceperunt *D. Placidus* Abbas S. Petri Assistens perpetuus, D. *Anselmus* Abbas Garstensis Assistens Provinciæ Austriacæ, D. *Columbanus* Abbas Seonensis Assistens Provinciæ Salisburgensis, D. *Benedictus* Abbas Seittenstettensis, D. *Marianus* Abbas ad S. Vitum, D. *Josephus* Abbas Michaël-Buranus, D. *Placidus* Abbas Cellæ Mariæ, *P. Robertus König* Garstensis Rector Magnificus, ac universum Collegium Benedictinum. Consumpto inde toto pene matutino tempore, solen-

nis Dedicationis cæremonias erudita non minus quam ſpiritu plena concione *(f)* clauſit Jlluſtriſſimus D. *Leopoldus Antonius Eleutherius* L. B. de Firmian Canonicus Salisburgenſis. Horis tandem veſpertinis, uti per totam octavam præſentibus plerumque Celſiſſimis Principibus obſervatum fuit, Lytaniæ Lauretanæ *(g)* in novo Templo Academico decantatæ ſunt.

DIES II.

XXI. Novembris Præſentationi D. V. Mariæ ſacra, poſtquam Celſiſſimus Archi-Epiſcopus in ſummo Altari incruentum Deo ſacrificium obtuliſſet, concionem ad populum habuit D. *Wolfgangus Kerſchbaumer* Ss. Theologiæ ac Juris utriuſque Licentiatus, Conſiliarius Conſiſtorialis & Canonicus B. V. ad Nives. Succeſſit concioni ſolenne officium, quod inter feſtivos Muſicorum concentus peregit Jlluſtriſſimus D. *Maximilianus Erneſtus* Comes a Scherffenberg Præpoſitus Salisburgenſis Eccleſiæ. A prandio præſentibus Celſiſſimis Principibus, *P. Cæleſtinus Pleij* Seittenſtettenſis Ss. Theologiæ Profeſſor Gradum Doctoratus contulit D. *Alberto Unverzagt*, D. *Hermanno Augesky*, D. *Engelberto Lechner*, D. *Vincentio Walner* candidi & exempti Ord. Præmonſtratenſis in regia Eccleſia Lucenſi Canonicis Regularibus, uti & D. *Joanni Wöß* ejuſdem Ordinis in Eccleſia Plagenſi in ſuperiori Auſtria profeſſo.

DIES III.

XXII Novembris e cathedra *Moyſis propitiatorium* propoſuit *P. Gregorius Schattenlechner* Prior ad S. Petrum: Officium vero ſolenne decantavit D. *Anſelmus* Abbas Garſtenſis, ſub quo in honorem S. Cæciliæ Muſicorum Patronæ ſuaviſſima muſica inſonuerat. Hora prima pomeridiana præſentibus Celſiſſimis Principi-

[*f*] *Exſtat hac uti & reliquæ conciones per octavam habitæ typis excuſa; ſub titulo*: Dedicatio Eccleſiæ Academicæ Univerſitatis Benedictino- Salisburgenſis. 4. 1707.

[*g*] *Auctores operum Muſicorum hoc octiduo fuerunt* D. *Matthias Biechelet Archiepiſcopalis Capellæ Magiſter*, & D. *Carolus Henricus de Biberen*.

Jlle (ô ſi poſſet !) rutilis mihi tecta pyropis
Poneret, & ſtatuas
Gemmis & auro conditas.
Teſtis erit Sacræ Triados, quam ſtruxerat, ædes;
prodigijſque potens
In valle templum Virginis. (*n*)
Quid referam, Baptiſta, tuo quod ſurgit honóri
Artis opus? memorem
Quid ſacra Marci limina ?
Cerne locuturo Divum ſub marmore Petrum
Cum ſocio ante fores
In fronte Templi principis.
Nuſquam adeo oſtendit moles Europa ſuperbas
Ut ſecat alta novi
Structura templi nubila.
En metire oculo celſas ad ſydera turres,
Et ſimulacra ſtupe
Octona vivi marmoris.
Arte figurato mirare toreumata gypſo
Intus, ubi & patrijs
De montibus ſolum vides.
Cuncta tenent oculos, nil non mirabile paret;
Ars pretiumque ſimul
De palma ubique militant.

CI. *Succedit Franciſc. Antonius.* Tantus tamque ſplendido omnium virtutum ornatu excultus Princeps ubi occubuiſſet, continuo Celſiſſimus *D. D. Franciſcus Antonius* S.R.J. Princeps ab Harrach ex Coadjutore factus Archi-Epiſcopus Salisburgenſis Eccleſiæ regimen ſuſcepit. *Ejus ſtemma.* Stemma hoc *Harrachianum*, unde Celſiſſimus Archi-Epiſcopus Patre *Ferdinando Bonaventura*, Matre *Thereſia* Comitiſſa de Lamberg originem hauſit, non uno omnes cala-

[*n*] *Peregrinatio & templum D. Virginis in Loſer.*

o mo describunt. Existimat Lazius (*) Dominos ab Harrach ex Carnis ad Styros, & ex Styria in Austriam
p commigrasse: Spenerus (*) e contra eosdem ex Bohemia oriundos asserit, illique consentit Buddeus in *Lexico universali*. Lazius itaq; anno MCCCC *Theodorici* Comitis ab Harrach meminit, a quo etiam Genealogiam orditur: Spenerus vero a *Przybislao*, qui juxta
q Buzelinum (*) primus Austriæ immigrans obijt circa annum MCCLXXXIX, Genealogiam conte-
r xuit. *Collectanea* denique *Genealogico-Historica* [*] *Thomam* ab Harrach celeberrimis ludis equestribus anno MCLXV Tiguri habitis interfuisse asserunt. Ex quo *P. Romanus Sedelmayr* Congregationis D. Blasij
s Monachus hunc discursum deducit: (*) *Palam est ex duodecim articulis torneamentorum, ad hæc neminem admissum fuisse, cujus Abavus saltem jam albo Nobilium insertus non fuerat: consequitur ergo, si quatuor duntaxat Thomæ majores nobilitate fulgidos supponamus, illustrissimos Harrachides jam anno* 900. *inter nobiles & equites excelluisse.* Post
t hæc laudatus *P. Romanus* (*) ex Harrachiano stemmate inter S. Romanæ Ecclesiæ Cardinales *Ernestum Al-*
u *bertum*: (*) inter mitratos Præsules eundem *Ernestum*
x & *Paulum*: (*) inter asceteriorum Abbatissas *Annam* Abba-

[o] Lib. IV. de Migrat: Gent.
[p] Hist. insignium illustrium.
[q] Germ. stemmatogr. Parte II.
[r] Ex archivo inclyt: stat: infr. Aust. Cap. XXIII.
[s] *In Philosopho Porphyrio* Collat. I. §. III. Disc: IX.
[t] l. c. & Collat. II. §. III.
[u] *Ernestus Episcopus Tridentinus & Archiepiscopus Pragensis, anno* 1626. 9. *Januarij ab Urbano VIII Presbyter Cardinalis titulo S. Praxedis creatus, obijt Viennæ anno* 1667. 24. *Oct. Princeps varijs legationibus clarus.*
[x] *Paulus anno* 1340. *Episcopus Gurcensis, & anno* 1359. *Episcopus Frisingensis constitutus, obijt anno* 1377. 23. *Julij.*

DIES VII.

XXVI Novembris, *P. Norbertus Wernvvag* Ord: S. Francisci FF. Minorum Recollectorum e suggestu non sine multiplici eloquentia sequens ænigma solvit:

Princeps fit Servus : Servæ Pater ille vocatur :
Serva hæc Sponsa Patris : Genitus Patris accipit illam.

Finita concione Sacrum peregit *D. Josephus* Abbas Michaël-Buranus utrique tam officio quam concioni interfuit Celsissimus Archi-Episcopus. A prandio Celsissimo Principi inscriptas Theses publice propugnavit *P. Carolus Schattenlechner* e S. Petro, Præside *P. Augustino Magg* Weingartensi.

DIES VIII.

Tandem *XXVII Nov.* inter preces & varia pietatis exercitia consumptus octiduanæ solennitati splendidum finem imposuit. Præses eo tempore Universitati præerat ab anno MDCCVI *D. Sebastianus* Abbas ad Vineas; Assistentes Provinciarum *D. Anselmus* Abbas Garstensis, *D. Joscio* Abbas ad Quercum inferiorem, *D. Columbanus* Abbas Seonensis, *D. Augustinus* Abbas S. Blasij in Sylva Nigra.

Num: C.

Ut autem Universitas Salisburgensis, nec non sacer Ordo D. Benedicti Eidem confœderatus, imortalibus *Joannis Ernesti* meritis debita gratiarum actione aliqualem vicem redderet. *Templũ Virtutis Thuniana* Ecclesiæ academicæ Fundatori munificentissimo submississime dedicavit, XII. Cal. Novembris: Ipsi quoq; Domini Præsules, qui præsentia sua octiduanam celebritatem condecorarunt, de confœderatorum Monasteriorum benignitate confisi Clementissimo Fundatori tres Missas a quovis Sacerdote in LVII confœderatis Cœnobijs pro Ejusdem diuturna incolumitate legendas obtulerunt.

Et utinam diutius servassent Superi! plura pro Universitatis augmento meditanti mors cæca cæco supervenit, dum *Inter MortaLes LVCere pIe DesIIt*

y Abbatissam Göffensem: (*) inter aurei Velleris Equites *Leonardum IV*, *Franciscum Albertum*, *Ferdinandum Bonaventuram*, & *Thomam Aloysium*: inter hæreditarios inferioris Austriæ supremos stabuli Præfectos *Leonardum IV*, cui id muneris Maximilianus II. Jmperator anno MDLXV elargitus est: inter Consiliarios intimos S. C. Majestatis, Camerarios, Legatos &c *Aloysium*, *Ferdinandum Bonaventuram*, *Albertum*, *Ottonem*, *Fridericum* &c enumerat. Cuncta hæc fusius perstringit memoratus *P. Romanus l. c.* ubi ex antiquissimis Jllustrissimæ *HARRACHIDUM* Familiæ documentis & MS. exactam totius Jllustrissimæ Gentis Genealogiam adornat. Nos de optimo Principe *FRANCISCO ANTONIO*, in quo ceu immenso pelago omnium merita confluunt, plura non addimus: parabunt pennas in debita laudum encomia ij, quibus melior scribendi ratio inest, quique ex instituto magnorum Principum gesta literis commendare consueverunt.

CII. *Prædium S. Josephi* Anno MDCCXII novo Universitatis Præside *D. Placido* Abbate Ettalensi; Assistente perpetuo *D. Placido* Abbate S. Petri; Assistentibus Provinciarũ *D. Alexandro* Abbate Cremifanensi, *D. Thaßilone* Abbate Wessofontano, *D. Anselmo* Abbate Admontensi, *D. Ruperto* Abbate Ottoburano, parvum quoddam prædium *S. Josephi* dictum, Collegio Patrum Benedictinorum dono dedit *D. Aethatius Resch* Celsissimi Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarius Ecclesiasticus, ac quondam Parochus in Altenmarkt, ea tamen conditione, ut omni septimana pro refrigerio animæ duo legantur sacrificia, quotannis dies anniversaria cum sex Missis peragatur, Ipseque Necrologijs confœderato-

X 2 rum

[y] *Anna Abbatissa xxx Parthenonis Göffensis vitam finijt an: 1576.*

rum Monasteriorum inter Universitatis Benefactores inseratur, nec non post obitum communibus Eorum suffragijs adjuvetur.

CIII. Anno dein MDCCXV. decimo octavo Cal. Julij Universitatis Præses electus est *D. Alexander* Abbas Cremifanensis; Assistentes Provinciarum *D. Rupertus* Abbas Glunicensis, *D. Placidus* Abbas Ettalensis; *D. Placidus* Abbas Michaël-Buranus, *D. Wilibaldus* Abbas Ursinensis. Eodem tempore exordium sumpsit Confraternitas S. P. Benedicti in Ecclesia Academica erecta pro solatio agonizantium; cum omnibus illis, qui eundem quotidie gloriosæ suæ mortis admonerent, in ultimo agone sese adfuturum olim jam apud B. Gertrudem promiserit summus ille Monachorum Patriarcha Benedictus. (z) Stabilivit prædictam Congregationem cui inter primos Ipsemet Celsissimus Archi-Episcopus *Franciscus Antonius* insertus fuit, varijs privilegijs & indulgentijs Clemens XI P. M. quas omnes unacum statutis ejusdem Congregationis exhibet Libellus Salisburgi excusus sub titulo: *Auxilium & solatium morientium, seu Confraternitas pro impetranda felici morte, sub nomine & tutela D. Benedicti Monachorum Patriarchæ, Magni agonizantium Patroni; Anno MDCCXVI. in 16.*

Congregatio sub invocatione S. P. Benedicti

z *Lib. IV. Revel: Cap. II.*



CAPUT XI.

Universitas Salisburgensis Seculum ab introductione Musarum primum solenni ritu peragit.

Ab An: MDCCXVII usq; ad An: MDCCXXVIII.

CIV. ANnum tandem a primo scholarum Salisburgensium exordio Secularem agredimur, cujus gratam memoriam año insequente MDCCXVIII, ea, qua potuit, celebritate peregit Universitas. Debebat id pientissimis Fundatoribus *MARCO SITTICO* & *PARIDI LODRONIO*, quorum clementia ac pietate natæ, educatæ, ac firmatæ sunt Musæ Salisburgenses: debebat viris illis, qui non solum prima literarum fundamenta jecerunt fortiter, sed in hunc usque diem feliciter provexerunt: debebat sibi ipsi præclaris hodie fructibus scientiæ & doctrinæ exculta Universitas, ut gloriosos literarum natales a parvis initijs ad tantam nominis famam provectos recoleret, novoque in dies flore adaugeret. Tempus Seculari huic memoriæ dicatum erat pars melior anni, Vernale scilicet & Majale tempus, quo tota reflorescit natura, quove, renovato per statas Leges Universitatis regimine Neo-Præses & Assistentes officiorum suorum causa Salisburgum accessere. Prima vero, & initialis dies destinabatur dies xv Maij, in quam incidebat Dominica quartâ post Pascha. Ad hanc ut omnium Facultatum DD. Studiosi confertim

Initium solennitatis secularis.

&

& numerose comparerent, per affixum biduō antē ad valvas Academicas programma invitati, & convocati sunt.

DIES I.

CV. *Descriptio octodialis celebritatis.* Igitur memorata die circa horam octavam matutinam, ad Ecclesiam Academicam sese contulere, noviter electus Præses *D. Rupertus* Abbas Ottoburanus, *D. Placidus* Abbas S. Petri & Assistens perpetuus, *D. Petrus* Abbas Tegernseensis Provinciæ Bavaricæ Assistens, *D. Placidus* Abbas Michaël-Buranus Assistens Archidiœcesis Salisburgensis. Secutus est Eos Rector Magnificus Jllustrissimorum Dominorum Comitum & Baronum nobilissima Corona, totusque Senatus Academicus epomidali veste incedens. Jllic debita cum veneratione exceperunt Jllustrissimum ac Reverendissimum S. R. J. Principem *Franciscum Antonium Adolphum*, ex Comitibus de Wagensperg, Episcopum Chiemensem, Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis Canonicum Capitularem & actu Seniorem &c, qui pro sua in nostram Universitatem propensione Missam solennem votivam de Ss. Trinitate insigni musica adornatam decantare fuit dignatus. Officio soleñi finito, suggestum ad hoc paratum conscendit Jllustrissimus & Reverendissimus D. *Carolus Josephus* Comes ab Harrach in Rohrau, Salisburgensis & Passaviensis Canonicus, atque Orationem Evcharisticam sequentem in modum peroravit:

Oratio Evcharistica.

„Effusam hodie panegyrim exspectabitis Aa. Academici, „qua nempe Salisburgensis Athenæi centesimum nunc Annum „a Musarum Benedictinarum in hanc Metropolim ingressu fe„stive celebrantis, commerita laudum encomia depromam. „Sic enim exspectare jubet laudabilis ubique locorum fere re-

„cepta

„cepta consuetudo, juxta quam in aliorum laudes vix aliquan„do liberaliores esse solemus, atque dum eorum natales dies, „præcipue Jubilæos, solenni commemoratione recolimus; sic „monet sacratior morum & Sapientiæ Magister Ecclesiasticus, „quando cap. 44. v. 1. *Laudemus*, ait, *Viros gloriosos*, *& Parentes* „*nostros in generatione sua.* Verum inter motiva non vulgaria ab „hoc dicendi genere me præcipue absterret nimia temporis ad „amplissimam laudandi materiam haud sufficientis angustia: „Quis enim intra semi-horæ spatium nedum commendet, sed „numeret duntaxat tot in sacra Theologia, Jurisprudentia, „Philosophia, & AA. Liberalibus, Magistros, Doctores & Pro„fessores longe famosissimos? Quis singillatim referat tot Il„lustrissimi Sanguinis generosos Surculos, aliosque doctrina „& ingenio præstantes Juvenes, e quibus in hac Universita„te intra Seculum creati sunt *ter mille octingenti sexaginta duo* „Philosophiæ Baccalaurei; Magistri *bis mille quadringenti quin-* „*quaginta duo*; Jurium Licentiati & Doctores *centum septuagin-* „*ta novem*? Aliud igitur dicendi genus eligere; ac velut „omnium eorum, quotquot in Salisburgensi Lyceo, vel „Academia efformati vel educati fuere, publicus internuncius „& interpres Evcharisticam Orationem adornare; atque in „gratissimi, nec non devinctissimi animi significationem bona „& beneficia in hanc Urbem & Provinciam, nec non Regio„nes exteras dispensata, vestra cum venia Aa. Academici, bre„viter commemorare, mecum constitui; minime dubius, quin „singuli; suum qui nomen Juvaviensis Universitatis Albo devo„verunt, benevolas daturi sint aures: cum neminem eorum, „teste Cicerone, qui liberaliter educati sunt, reperire sit, cui „non educatores, cui non Magistri sui atque Doctores, cui „non Locus ille, ubi ipse altus & doctus est, cum grata recor„datione in mente versetur. Vetus jam parœmia, sed veris„sima est, Parentibus & Magistris ad satietatem & æqualita„tem rependi non posse: quin majus a Magistris, quam Paren„tibus, beneficium nobis impertiri, in propatulo est: cum isti,

„ut

„ut vivamus; illi, ut bene recteque vitam instituamus, effi-
„ciant. Differt nempe, ut aliquando Romanus asseruit
„Sapiens, *doctus ab indocto, sicut vivus a mortuo*; indeque
„magnus ille Persarum atque Medorum domitor Alexander
„ingenue confiteri non erubuit, tanto se Aristoteli, suæ quon-
„dam pueritiæ Moderatori, largiorem gratitudinis censum præ
„Philippo genitore suo debere, quanto pluribus parasangis
„immortalis animus, cujus in se culturam Aristoteles suscepe-
„rat, male materiato corpori antestat. Quam ingens igitur &
„inexplicabile beneficium huic Urbi & Provinciæ, Alma Mater
„Universitas ab ipsis jam incunabulis præstiterit; quamve arc-
„to pietatis vinculo huic illa sit obstricta, perfacile conijcie-
„tis Aa. Academici. Vitam scilicet non corporalem ceu vi-
„liorem, sed spiritualem ac sublimiorem, ab eo tempore, quo
„per Benedictinos Ottoburanos hic apertæ sunt Scholæ, Juva-
„viensis populus accepit. Quod ut liquidius pateat, fingat
„sibi quis regionem aliquam contagiosa lue infectam, aut tru-
„culento Marte infestatam, acerbaque mortis falce maxima
„ex parte devastatam. Fingat, domos orbari incolis, Urbes
„& Oppida Civibus, Ecclesias & Collegia sacris Curatoribus &
„Pastoribus. Boni Superi! quanto cum applausu exciperetur
„ille Medicus aut Æsculapius, qui manum opitulatricem fer-
„ret, luem mortalem restingueret! quantos reportaret mune-
„rum congios & modios ille Soter & Mœcenas, qui Marti si-
„lentium & exilium indiceret, morbos & mortem eliminaret!
„Talis profecto rerum facies in nostra, qua late patet, ditione
„& vicinia Salisburgensi occurrebat, antequam per bonas li-
„teras fuerat exculta. Infecta jacebat fatali ruditatis ac igno-
„rantiæ tabo; infestata gemebat agrestium morum & erro-
„rum conflictu; morbos & mortes non corporis sed animi pa-
„tiebatur. Aderant in domibus incolæ, sed inculti; videban-
„tur in Urbibus & Oppidis Cives, sed vitæ civilis ut plurimum
„expertes; numerabantur in Ecclesijs & Collegijs Pastores &
„Curatores, sed admodum pauci, nec curandis tot animarum

milli-

„millibus pares. Testem hujus veritatis adduco Salisburgen-„sem historiam, cujus in pag. 682. hæc verba sunt. Hucusque „Salisburgi" (priusquam nempe de Gymnasio vel Academia cogitatum erat) omnis Artium & Scientiarum chorus una Grammatices classe continebatur, cui, sublata nunc etiam Capitulari schola, unicus D. Petri pædotriba jura dictabat. Magnus erat Apollo, qui emendatiori constructione Prisciani leges attigisset. Hinc in inculto Solo vix ulla literarum cura & amor. Major pueritiæ pars mercatoriæ aut cauponariæ rei addicebatur; agrestis in alpibus turba nimia Curatorum raritate, præter morum cruditatem magnam Sacrorum ignorantiam contraxerant. „At ubi sanctioris vitæ genitrix, morum & animo-„rum Cultrix, teneræ juventutis sollicita Nutrix, hoc, in-„quam, Athenæum per Doctores & Professores Catholicæ fi-„dei rudimenta, veluti sementa explicare; per mansuetiores „Musas maternum quasi lac instillare; per severiores discipli-„nas virile robur & vires instaurare occepit, alia longe Regio-„nis hujus cernebatur facies. Ruditatis ac ignorantiæ tabum „suffocatum; agrestium morum & errorum agmina debella-„ta; animarum mortes & morbi eliminati; domus incolis lon-„ge cultioribus oppletæ; Urbes & Oppida Civibus valde civi-„libus cumulata: Ecclesiæ & Collegia Ministris & Pastoribus, „ad omnem eruditionem & virtutem educatis exornata sunt: „ut nulla jam Provincia, nulla jam Civitas bene morata ac mo-„derata, beneque imbuta & instituta reperiri possit, cui nostra „non æqualis aut superior existat. Dixerit nunc aliquis, hanc „Provinciam ad mentem Platonis corporis humani simula-„crum imitari, in quo capitis loco Magistratus emineant; ocu-„lorum vices vigiles in commodum Reipublicæ Senatores & „Consiliarij suppleant; deflua per humeros cæsaries nobilio-„rum cœtum repræsentet; manus & brachia copiæ militares „adumbrent; reliqua denique subditorum turba reliquorum „membrorum officia sustineat: dicam ego literarum nostra-„rum studia cor, vitæque officinam esse, e qua diffuso per venas

„corporis politici ſucco ſingula Reipublicæ membra, ſumma, „media, infima, fuerunt irrigata, animata, & roborata. Di-„xerit alius, Salisburgum eſſe Globum terraqueum, ex ſacro „& profano Principatu non minus artificioſe quam myſterioſe „compoſitum, qui Religionem inter & Juſtitiam, duos ve-„luti polos, verſetur & rotetur. Sicque terras ambiat, ut nun-„quam non ad cœleſtia & ſuperna evehatur: dicam ego, po-„tentiam motricem Liberalium Artium Facultates eſſe, quibus „ad Religionem pro Deo, ad juſtitiam pro populo, mortalium „animi non tam elevantur, quam incitantur.

„In conſideratione beneficij tam excellentis, quo fœcunda „Studiorum & Studioſorum Parens Univerſitas partum adeo „nobilem & excelſum non ſine difficultate concepit, geſtavit „induſtria, parturivit labore, ſudore progenuit, nolo jam alia „& minora in memoriam reducere emolumenta: nihil de præ-„clariſſima, quam Salisburgum ubivis fere gentium ſibi com-„paravit, fama commemoro; nihil de divite pecuniarum, „quam ampliſſimus Studioſorum numerus quotannis in Civi-„tatem infert, copia in medium affero: Nam aliunde jam no-„tum eſt, quod, ut loquitur Picardus, literæ miſeros beent, „beatos ornent, ornatos ditent, ditatos illuſtrent, illuſtratos „commendent, commendatos nobilitent, nobiles in altum „extollant atque coronent. Egredior igitur ex hac Urbe & „Provincia ad regiones & ditiones exteras. Et mira & jucun-„da res; quam lætæ & fœcundæ ubique literarum ſegetes ex „agro Salisburgenſi! Video Religionis Atlantes, Jmperij co-„lumnas, Provinciarum fulcra, Regum & Cæſarum Miniſtros, „Principum Conſiliarios, Urbium Moderatores, in hoc floren-„tiſſimo literarum Emporio efformatos. Video Eccleſiæ Ro-„manæ Cardines ac Purpuratos Patres; non ſolum Sfondratum, „Facultatis hujus Juridicæ decus immortale, qui non tam mor-„bo, quam Zelo Juriſdictionis mortem oppetijt; ſed Eminen-„tiſſimum Schrattenbachium, olim Gymnaſij hujus Jlluſtriſſi-„mum diſcipulum, qui etiamnum pro lege & grege, pro Eccle-

„ſia

„ſia & Jmperio in Urbe refulget. Video in Aula Cæſaris, in „Aulis Electorum, in Aulis Principum, Status Miniſtros, Inti- „mos, Jmperiales, Aulicos, Conſiliarios, qui ſuam Salisburgo „ſcientiam in acceptis ferunt. Video in Academijs alijs aut „Jurium Profeſſores in hac palæſtra exercitatos, aut libros a „noſtratibus conſcriptos. Video a Theologis æſtimari Redin- „gium, Schappergerum, Raſslerum, Pettſchacherum, Wibm- „pergerum, Mezgerum; a Jureperitis in delicijs haberi Ram- „beckium, Kimpflerum, Engelium, Köningium, Hermetem, „Moſerum, Braunium, Gletlium; a Philoſophis deprædicari „Ruedorfferum, Liechtenheimbium, Heinlium, Babenſtube- „rum, & alios pene innumeros, qui Nationum exterarum in- „colas, Salisburgi præſentes & ſtudentes, ita doctrinæ ſuæ cor- „nucopia locupletarunt, ut illos etiam abſentes elucubrationi- „bus ſuis ad amuſſim elaboratis in hodiernum uſque diem eru- „diant. Neque tamen exiſtimandum eſt, præteritorum ſo- „lum annorum recenſione, Magiſtræ noſtræ præcelſa in om- „nem Rempublicam merita comprehendi: Fovet adhucdum „in ſcholis humanioribus numeroſam Sobolem, ad altiora „doctrinæ perinde ac virtutis adita feſtino inceſſu gradientem. „Numerat hoc ipſo, quem decurrimus, anno quadringentos „ferme Philoſophos, in Ariſtotelis orcheſtra ſtrenue decertan- „tes. Habet non pauciores Juriſprudentiæ ac Theologiæ egre- „gios tum Auditores, tum Amatores, ex diverſis nationibus „ac regionibus agminatim advectos, quibus a potiori fixum „plane, ſtatum ac ratum eſt, per ardua eniti ad ſublimia, per „calamos eluctari ad faſces, per continuas exercitationes ad no- „biliora Subſellia commigrare. Nec deſunt artium & ſcientia- „rum omnium Doctores & Magiſtri, quorum religioſa virtus, „eminens doctrina, eximia prudentia, uti nemini non eos red- „dit commendabiles, ita non niſi ſalutem & utilitatem pub- „licam, incrementum & ornamentum, decorem, vigorem, & „virorem huic noſtræ cæteriſque Provincijs certiſſime pro- „mittit.

„Quæ cum ita sint, Tibi jam gloriosa Mater, Tibi, in-„quam, Sapientiæ Magistra, Celeberrima Universitas, post tot „annorum decursum adhuc tam fœta & vegeta, non tam gra-„tes rependo immortales pro immortalibus tuis in hanc Ur-„bem, in hanc Provinciam, in Regiones adjacentes accumu-„latis meritis, quam toto ex pectore gratulor, pluraque Secula „tam honorifica, tamque fortunata auguror. Nata es, ob-„stetricante *Gregorij* Ottoburanorum Magni Præsulis opera, „sub auspicijs *MARCI SITTICI* Archi-Episcopi & Principis „Salisburgensis longe celebratissimi. Adolevisti sub cura & „cultura *PARIDIS LODRONII* plusquam Tutoria & Pater-„na. Robur accepisti sub protectione *Guidobaldi* plane Celsis-„sima. Ornatum induisti sub clementia *Gandolphi* vere Mu-„nifica. Splendorem es nacta sub Munificentia *Joannis Ernesti* „quasi Regia. Servabis tuum honorem; novum indues ni-„torem; cresces & ditesces sub Auspicatissimo Regimine Cel-„sissimi ac Reverendissimi S. R. J. Principis *DD. Francisci An-„tonij* Principis ab Harrach, qui, cum tuarum olim Artium & „Scientiarum illustrissimus fuerit Alumnus, erit Clementissi-„mus deinceps Pater futuri Seculi. Vos, Aa. Academici, ni „fallor, mihi subscribitis, &, dum hactenus vestro nomine per-„oravi, pro dictorum confirmatione Votum unicum, chro-„nographice conceptum unanimi voce nuncupatis:

ALMA HÆC VNIVERSITAS DIV FLOREAT.

Post Orationem, Jllustrissimus & Reverendissimus Princeps & Episcopus Chiemensis intonavit Hymnum Ambrosianum, quem Chorus Musicus inter reboantes tubas & tympana prosecutus est. Tum actæ sunt gratiæ Gratiosissimo DD. Officiatori, factaque illius deductio ad usque januam Ecclesiæ Academicæ.

Ita Festivitas hæc claudebatur de mane; subjunctis a prandio hora secunda Vesperis cum Litanijs. Interim toto octiduo, quoties per tempestatem licuit, ante portam Academicam pegma in formam Arcus Triumphalis erectum stetit.

Erexe-

Erexerunt id Rhetorica & Poësis bis centum ferme Emblematibus adornatum. Tot, & tam variæ inibi imagines, atque imaginibus adjecta carmina docuere, quantum emolumenti & felicitatis ab erectis Salisburgi Scholis tum in hanc, tum in Provincias exteras redundarit.

DIES II.

CVI. *Decimo sept: Cal: Junij* hora octava Rector Magnificus, ac Senatus Academicus in Veste epomidali, cum Illustrissimis DD. Comitibus & Baronibus Templum Academicum ingressus, Officio de Spiritu sancto, abs *D. Placido* Abbate S. Petri solenniter peracto, interfuit. Dehinc obviam processit Reverendissimis DD. Neo-Electo Universitatis Præsidi *D. Ruperto* Abbati Ottoburano, Assistentibus *D. Petro* Abbati Tegernseensi, & *D. Placido* Abbati Michaël-Burano; eosque ad locum eminentiorem in medio Ecclesiæ exsurgentem deduxit. Ubi facta a D. Assistente perpetuo resignatione nomine Ex-Præsidis *D. Alexandri* Abbatis Cremisanensis, Claves, Sigillum, & Statuta Academica, in signum Officij deinceps gerendi D. Neo-Præsidi consignata fuere. Secuta postmodum Reverendissimorum DD. Præsidis & Assistentium (quibus ex Legibus fundamentalibus accensetur Ex-Præses D. Abbas Cremisanensis, & *D. Hieronymus* Abbas Ochsenhusanus) promulgatio per Secretarium Universitatis; Successit Hymnus Ambrosianus inter tubarum applausus festive continuatus; subjuncta tum Oratio succincta perinde ac nervosa, quam Reverendissimus D. Præses ad Senatum populumque Academicum dixit.

Novus Præses & Assistentes.

Allocutio Reverendissimi D. Præsidis ad Senatum Academicum.

„ Quæ plurimis abhinc Seculis Psaltes Regius ad Regem Secu-

„Seculorum (*a*) emisit verba, *Seculum nostrum*, inquiens, *in illumi-„natione vultus tui* (*b*) eadem ego, dum sub ipsa Seculi nostri Li-„terarij Solennia, ceu majoribus votis quam meritis electus „Præses, prima vice inclytum Senatum populumque Acade-„micum alloquor, repetere, præsentique festivitati adaptare „peropportunum existimari. Enimvero quod ante centum jam „annos Musæ Benedictinæ Salisburgum incolere, simul & exco-„lere cœperint, *a Domino factum est, & est mirabile in oculis nostris.* (*c*) „Siquidem, tametsi Princeps æviterni nominis, *MARCUS SIT-„TICUS*, inter primas identitem curas habuerit, scholas eru-„diendæ juventuti sua in Metropoli adaperire, probe gnarus, „*Optimi ac egregij Principis*, ut quidam loquitur (*d*) *esse, non modo ipse „ut omnia ex officio agat, verum &, qua ratione etiam reliqui omnes quam „optimi fiant, prospicere: nullumve munus*, veluti differit alius, (*e*) „*Reipublicæ afferri majus meliusque posse, quam si doceamus atque eru-„diamus juventutem*: attamen ultimos fere cogitatus, postea-„quam nempe cæteri Regulares ad instruendam adolescen-„tiam invitati, vel repulsam dederunt, vel humeros subduxe-„runt, ad nostrum Ordinem convertit, non quod ipsum, cui „nunquam non impense favebat, non æstimaret, sed quia, „Historia Salisburgensi teste (*f*) vix non impossibile judicabat, „a Monasterijs sub diversis Principibus & Episcopis inter se „adeo divisis, perennes Professorum suppetias sperari posse. „Verum, sicut Antecessor meus, Abbas Gregorius, *Vir immor-„tali fama memorandus*, [sic eum allegata nuncupat historia] (*g*) „docendi provinciam, ab eodem Clementissimo Principe sibi „oblatam, *velut occasionem instaurandi S. Ordinem Divinitus datam, „utraque manu complexus est*; pariter memorata sua Celsitudo, ubi „primam Coloniam, sex videlicet Professores & Professos Ot-„toburanos, conspexit, inter alia exultantis animi testimonia „sæpius asseveravit, Divino consilio sibi inspiratum esse, ut futu-

„ram

[*a*] 1. *Tim.* 1. *v.* 17. [*b*] *Psal.* 89. *v.* 8. [*c*] *Psal.* 117. *v.* 22. [*d*] *Dyon. Cass. lib.* 52. [*e*] *Cicero lib.* 2. *de Div.* [*f*] *Hist. Salisb. pag.* 683. [*g*] *ead. pag.* 684.

„ram Academiam Religiosis Benedictinis concederet; contes-
„tatus subinde, *lætiorem sibi diem per annum non illuxisse, atque dum*
„*primos hosce Liberalium Artium Magistros excepit.* Illud quodque
„non inter postrema Cœlestis Providentiæ miracula referen-
„dum censeo, quod inter multifarias & plane fatales novercan-
„tis fortunæ tempestates hæc novella Patrum nostrorum plan-
„tatio statim in semente non fuerit suffocata, sed nova in dies
„acceperit incrementa. Nam biennio vix exacto, Fundator
„Parnassi Juvaviensis Munificentissimus, verusque nostratium
„Pater, *Marcus Sitticus* ad manes & manus mortis abijt. Et
„ecce! Reverendissimum & Jllustrissimum Capitulum Metro-
„politicum, pientissimæ matris ad instar, afflictos & orbatos
„filios gratioso suscepit sinu, brevique temporis spatio Funda-
„torem Patremque novum, *Paridem Lodronium*, ô quantum no-
„men! substituit, sub cujus diuturno non minus ac perauspi-
„cato Regimine Universitas nostra mirum quantum effloruit.
„Movebatur interim Salisburgensibus Professoribus quæstio
„Status, atque Benedictinis, qui sanctissimo cum Protoparente
„Benedicto semper bene facere, totumque Mundum docere
„didicerant, *jus docendi* in dubium vocabatur. Sed laudatus
„supra *Gregorius* noster dissertatione quadam, calamo non ma-
„gis fœcundo, quam nervoso a se conscripta, conatus adver-
„sarios viriliter repressit. Animabantur ad hæc Principes ex-
„tranei, ut quo minus Abbates suæ ditioni suppositi ad orna-
„mentum & emolumentum recentis Athenæi Salisburgensis
„Viros & vires conferrent, solenni interdicto caverent. At
„ejusmodi sanctiones ijdem Principes non inviti revocarunt,
„ex quo ab æquis rerum arbitris meliora edocti cognoverunt,
„Studium Juvaviense nemini mortalium nocivum, Reipubli-
„cæ vero tum sacræ tum profanæ maximopere proficuum esse.
„Surgebant postmodum, & æquali propemodum strage de-
„bacchabantur Mars & Mors; ille integros a Septentrione ex-
„ercitus in fidei Orthodoxæ Germaniæque perniciem infun-
„dendo; hæc luce contagiosa varijs in locis literas & literatos
pes-

„pessumdando: utroque nihilominus hoste nihil remorante, „cum alibi tunc scholæ clausæ silerent, Salisburgensis Academia discipulorum numero & qualitate eminuit, nomenque „suum ad remotas etiam Provincias propagavit; quemadmo„dum noster *P. Albertus Krez*, vir de Asceſi, Scientia, & histo„ria meritissimus (*b*) attestatur, idque merito tanquam admi„randum Divinæ Bonitatis exemplum deprædicat. Atque in„ter has & alias nutantis mutantisque sortis vicissitudines ad „tantum honoris & existimationis fastigium nostra succrevit „Universitas, ut, licet antiquitate permultis libenter cedat, „Privilegiorum tamen amplitudine, Virorum doctorum se„lectu, docendi methodo, Studiosorum, natalibus, sanguine, „religione, moribus & eruditione præstantium copia sit nulli „secunda; *Domino, qui multam gloriam fecit a Seculo* (*i*) indefessos „labores usque & usque benedicente, coronante.

„Porro neque hoc sine Numine Divum evenisse arbitror, „quod ijsdem sub auspicijs exordiri videatur Seculum alterum, „sub quibus inchoatum est primum. Præses etenim hujus „Universitatis modo renuntiatur Præsul ejusdem Monasterij, „cujus claves & clavum centenis abhinc annis gerebat primus „Præses & Auspex Abbas *Gregorius* jam commendatus; nemine „meorum Antecessorum præter *Andream* Abbatem, media„tum *Gregorij* in Præsidio successorem, interea temporis ad mu„nus istud assumpto. Quod ipsum tamen, ut verum fatear, „quantum mihi conciliat honorem, tantum incutit horrorem: „dum equidem Majorum nostrorum gloriosa in Universitatem „merita obstupesco, eorum autem vestigia vicinis æquare pas„sibus diffido; utpote qui non solum consimiles illis animi do„tes in me non reperio, sed etiam, cum illi spiritum, vigorem, & „virorem Salisburgo dederint, efficere non possum, quod ipsi „mascule cœperunt, & egregie perfecerunt. Quanquam ni„hilosecius animum non despondeam; &, si nihil splendoris

„aut

[*b*] *P. Alb. Krez in Compendio Hist. Salisb. MS.*
[*i*] *Ecclesʃ.* 44. *v.* 2.

"aut decoris Bono Literario superaddere valeam, saltem ut „Universitas aliunde jam florentissima, suo in flore servetur il-„libata, viribus omnibus allaborare cupiam; non immemor „illius, quod Poëta (k) cecinit: *Non minor est virtus, quam quæ-„rere, parta tueri.* Assistent mihi novo in munere & onere Re-„verendissimi & Amplissimi DD. Præsules Assistentes, qui no-„bilissimorum Prædecessorum suorum exemplo Rempubli-„cam Academicā succollare & suffulcire cessabunt nunquam. „Opitularem spondent dexteram cum Rectore Magnifico Fa-„cultatum omnium Doctores & Professores, quorum scientia, „juxta Cæsareum Oraculum, (l) *totus illuminatur Mundus, & ad „obediendum Deo & ejus Ministris vita subjectorum informatur.* Jubet „præprimis quam optime sperare Celsissimus ac Reverendissi-„mus Archi-Episcopus S. R. J. Princeps & Primas *DD. Franci-„scus Antonius Princeps ab Harrach* &c. Jllustrissimum quondam „hujatis Academiæ decus, nunc Mæcenas & Protector Clemen-„tissimus: quem ut Superi ceu Patrem futuri Seculi, multa in „Secula sospitent, serventque incolumem, cernua animi de-„votione & submissione voveo. "

Ubi Reverendissimus D. Præses finem dicendi fecit, Universitatis Procancellarius P. Alanus Pfeiffer Admontensis suam aggratulationem seu gratiarum actionem ita exorsus est.

AGGRATULATIO AD EUNDEM AC DD. ASSISTENTES.

"Adsum Almæ Universitatis hujus interpres & Præco pub-„lico e suggestu ebuccinaturus, non quidem neomeniæ dun-„taxat, sed Jubilææ insuper tubæ clangore, toties in S. Literis „decantatæ, insignem diem Solennitatis hodiernæ, & Comi-„tijs Academicis, & lætissimis auspicijs primi anni nostri Se-„cularis consecratæ, Aa. Academici! Geminatæ hujus Festi-

Z „vitatis

[k] *Ovid.*

[l] *Frider. Jmp. in Auth. habita Cod. Ne filius pro patre &c.*

„vitatis optatissima conjunctio, quemadmodum a vobis exi-
„git votivos gestientium animorum applausus, festivam con-
„cordantium linguarum acclamationem; ita a me publico
„eorundem interprete, Eucharisticam expetit panegyrim, qua
„junctis animis & vocibus, Evergetarum tam defunctorum,
„quam superstitum adhuc, immortali memoriæ, beneficio-
„rum in nos uberrime collatorum commendatione, aliquali
„saltem signo ad placitum, & publice litemus. Et sane ingra-
„ta foret Universitas nostra, si hoc potissimum tempore, quo
„prima Secularis Jubilæi Festivitate præpotenti Numini, pro
„decursa hactenus non sine ingenti Reipublicæ Christianæ bo-
„no, annorum centuria gratias agit, eorum oblivisceretur,
„quorum sollicita cura incepit, insigni beneficentia crevit, pa-
„rato semper auxilio stetit; nec accepta hucusque beneficia ad
„sempiternam posteritatis memoriam deprædicaret. Nam si
„Græci quondam, Philosophorum Principe attestante, bene
„de se meritis gratitudinis templum medio in foro erexerunt,
„ut cives omnes liberalitati & munificentiæ gratum animum
„rependendum esse intelligerent: decet profecto, decet, ut
„hoc potissimum tempore Academia nostra memoriam tot ac-
„ceptorum a Mæcenatibus suis beneficiorum nunquam inter-
„morituram publice contestetur, &, quo potest, gestientis ani-
„mi affectu singularem eorundem tum vigilantiam, tum mu-
„nificentiam extollat; quo vel sic in hoc augustissimo pietatis
„& Religionis domicilio, dum Secularem Athenæi nostri
„æram celebramus, etiam aram erigamus, Benefactorum no-
„strorum immortali memoriæ, cum debita gratissimi animi
„testificatione consecrandam. Et quoniam id præstandi, Uni-
„versitatis authoritate, mihi præ cæteris provincia est deman-
„data, non anxie multum laboro, unde initium potissimum
„ducam Eucharisticæ dictionis meæ; venerabundi enim coram
„aspicimus, & demisse suspicimus Universitatis nostræ Proce-
„res Parnassi Juvaviensis Præsidem & Assistentes, Reverendis-
„simos, Perillustres, Prænobiles, & Amplissimos DD. Præsu-
les,

„les, Rei literariæ Athlantes, inclyta Musarum nostrarum lumi„na & columina, & veluti totidem Argos, & Briaræos, tam „oculatos ad prospiciendum Bono literario, quam manibus „promptos ad succurrendum. Horum præsentium, uti etiam „pientissimæ memoriæ Antecessorum suorum, oculatis con„silijs, & nunquam interruptis auxilijs, stetit hactenus per in„tegrum jamjam Seculum, ringente licet multorum invidia, „inconcussum Athenæum nostrum; stetit in perpetuo flore, „virore ac vigore: stetit, velut Marpesia cautes, immotum in„ter adversitatum fluctus & flamina: stetit ad Reipublicæ Chri„stianæ emolumentum & incrementum; stetit vel maxime ad „totius sanctissimi Ordinis nostri decus & gloriam immorta„lem. Stabit etiam, fidem polliceor, stabit per plura deinceps „adhuc Secula, ubi centoculi hi Argi non desinent pro Juva„viensi sua Nympha vigilare; centimani hi Briaræi non desi„stent adjuvare.

„Et quidem si tum ad Gymnasij, tum erectæ postmodum „Universitatis nostræ prima quasi cunabula mentis ambitu re„gredior, ocyus memoriæ obtutui occurrit Tuum præprimis „Jmperiale, Exemptum, ac Celeberrimum Monasterium Ot„toburanum, Reverendissime Perillustris ac Amplissime *DD.* „*Ruperte*! Præsul vigilantissime! Neo-Præses Universitatis no„stræ Dignissime, Observandissime! Ad quod famosissimum „Asceterium tuum, velut ad sacram anchoram confugit Reve„rendissimus ac Amplissimus DD. Abbas antiquissimi Mona„sterij ad S. Petrum hic Salisburgi, Archi-Episcopali commis„sione instructus. Cum enim iste apud diversa tum Sueviæ, „tum Bojariæ Monasteria suppetias & colonias, pro erigendo „noviter Gymnasio sollicitasset, in vanum tamen laborasset: „primus omnium dubiam *Joachimi* spem erexit *Gregorius*, Vir „per omnia egregius, vere Magnus, & immortali fama memo„randus Abbas Ottoburanus: moxque e suo Jmperiali Mo„nasterio, antiquissimo Doctorum Seminario, coloniam pro„misit, atque etiam submisit; & alijs insuper in Jmperio Ab-

"batibus, ut in fœdus coirent, author fuit. Diffidebant alij, "posse e diversis Monasterijs, inter se moribus, institutis, aëre, "directione, Principum gubernatione adeo distinctis, unum "Corpus constanti concordia & unione coalescere. Quosdam "etiam metus absterrebat minuendæ rei ac disciplinæ domes- "ticæ, si suos Religiosos, eosque melioris notæ, a Choro Mo- "nastico ad Musarum chorum & alienum forum dimitterent. "Verbo, omnes fere negotij tam ardui expediendi, ac vadi tam "profundi tentandi periculum in alios transferre, & ab alio- "rum eventu consilium captare cupiebant. Solus non diffide- "bat, solus non metuebat *Gregorius*, quin imo solus primusque "omnium vadum hoc tam periculosum fortiter tentavit, felici- "ter superavit, suoque tum consilio tum exemplo etiam alios "tam Sueviæ, quam Bojariæ Abbates ad sequelam gloriosissi- "me animavit. Diceres, haud absimilem fuisse invictissimo "Simoni Machabæo, de quo sacræ Paginæ 1. *Machab. c.* 16. "*v.* 6. attestantur: *Vidit populum trepidantem ad transfretandum tor- "rentem, & transfretavit primus: & viderunt eum viri, & transierunt "post eum.* Transierunt certe post *Gregorium* alij Viri generosis- "simi, ac Mitrati Præsules, ut tandem ducto feliciter per Eum "initio, quinquaginta novem, diversissimarum Provinciarum "Monasteria in optatissimum cum Universitate fœdus tractu "temporis conspirarent. In hoc proinde *Gregorio* vere Mag- "no, & præstantissimo Præsule Ottoburano, Protoparentem "vestrum revereamini, necesse est, Musæ Salisburgenses! Huic "primas curas & cunas vestras debetis: hujus providentiæ ac "indefessa diligentiæ in acceptis referatis, oportet, senarium "illum doctissimorum virorum simul & Religiosorum nume- "rum, quos e gremio Asceterij sui dimissos, velut primos Nu- "tritios, vobis in suppetias misit; ut pietatis simul & doctrinæ "lacte, primitus in Gymnasio enutritas, tandem ad solidam "maturitatem sublimiorum Scientiarum, post Universitatis "erectionem, educarent. Nec ingrato silentio prætereun- "dum est Trinum illud perfectum, Magnificorum DD. Recto-

"rum:

„rum: quorum duo, *Sylvanus Herzog*, & *Albertus Keüslin*, ab al„tefato Reverendissimo *D. Gregorio* Salipolim directi, primos „Fasces tum Gymnasij, tum Universitatis neo-erectæ laudabi„lissime tenuerunt, ac rexerunt. Certe primus Gymnasij Rec„tor *Sylvanus*, neutiquam Sylvestrem tenui Musam meditatus „avena est; verum, postquam Lycei a Celsissimo Principe „& Archi-Episcopo *MARCO SITTICO*, mitissimæ memo„riæ, recens erecti curam in se suscepit; Musas Salisburgen„ses, antea incultas & barbaras, mirum in modum efflorescere „fecit, mansuetiorum simul ac severiorum disciplinarum lati„ce copiose deinceps irrigatas. Alter vero cum cura dicen„dus, *Albertus Keüslin*, postquam primus Salisburgi Stagyræa „dogmata biennali dictione evolvisset, ac postmodum Theo„logiæ Moralis cathedram aliquot annis tenuisset, in primum „Universitatis Rectorem meritissime est designatus; ac deni„que in æquissimum laborum suorum præmium, conspiran„tium Electorum suffragio, in Abbatem D. Petri postulatus. „Ut proinde notum illud nominis sui impleverit Anagramma, „*Albertus TER ALBUS, factus nempe Professor Academicus, Rector* „*Magnificus, & Reverendissimus Abbas S. Petri.* Tertium denique, „quem Ottobura submisit Magnificum Rectorem, coram in„tuemini Aa. quem si ob omnigenæ scientiæ, tum præcipue „Jurisprudentiæ eruditionem, alterum Panormitanum dixero, „nil novi dixero; hoc enim laudis præconio jam antehac insig„nitum, & aliena lingua deprædicatum, hoc ipso in loco, in „publica Studiorum renovatione ante biennium audivistis. „Hunc Episcopus Frisingensis, & Abbas Campidonensis Con„siliarium Ecclesiasticum sibi delegerunt: Hunc ipsemet Cel„sissimus & Reverendissimus S.R.J. Princeps & Archi-Episco„pus Salisburgensis, Dominus Dominus noster Clementissi„mus, etiam Consiliarium intimum, ad im̃ortalis gloriæ com„plementum, renuntiavit. Quid amplius dicam? Silebo: quo „excelsior enim & illustrior est virtus, eo iniquior est sui æsti„matrix, uti laudis alienæ non indiga, ita contemptrix pro-

„priæ,

„priæ, sibimet pulcherrima merces. Illud adhuc non sine al-
„tissima Numinis providentia contigisse, ad sempiternam Ot-
„toburæ gloriam, ultra deprædicavero, Seculum nempe Uni-
„versitatis nostræ, ab *Alberto* Ottoburano felicissime initiatum;
„in *Francisco* itidem Ottoburano, utroque dignissimo Rectore,
„fuisse coronatum. Alpha fuit ille Rectorum neo-natæ: iste
„Omega Universitatis ad centenariam jamjam ætatem provec-
„tæ; Uterque meritissimis laudum præconijs, usque ad astra
„evehendus. Quæ omnia tum Antecessoris Tui gratissimæ
„nobis memoriæ, *Gregorij* Abbatis; tum Filiorum Clarissimo-
„rum præclara decora, in Te unum denique reciprocantur,
„quorum tam in Abbatiali munere, quam Paterna cura & of-
„ficio Successor meritissimus existis, Reverendissime, Peril-
„lustris & Amplissime DD. Præsul & Præses *Ruperte!* Recipro-
„cantur, inquam; ita tamen, ut a proprijs, ijsdemque immor-
„talibus meritis, quamplurimum augeantur. Non dicam Te
„a Sacra & Catholica Majestate electum sibi Consiliarium Ac-
„tualem; reticebo ejusdem Te esse perpetuum Sacellanum:
„magna equidem hæc sunt, & alijs Præsulibus non commu-
„nia laudum præconia & prærogativæ: verum extra sphæram,
„intra quam limites dictionis meæ coarctari necesse est, eva-
„gantur. Illud solum impræsentiarum palã edicam, illud elo-
„quar, Te non sine singulari Divinæ Bronææ dispositione, hoc
„ipso potissimum tempore electum esse in Præsidem dignissi-
„mum, quo consummata feliciter Athænei nostri Centuria, sa-
„cratiorem Janum agere valeas, qui bifronti obtutu, & de præ-
„teritis gloriari, & de futuris amplioribus Universitatis nostræ
„auspicijs & incrementis, plane feliciter possis ominari. Boni
„Cœlites rependant longævi & bene auspicati Regiminis fir-
„mitatem; & quemadmodum Reverendis: sui Præsidis *Ruperti*
„beneficia Universitas nostra non labili cineri, sed im̃obili rupi
„ac marmori inscripta tenebit; sic & Tu vicissim *Ruperte* Reve-
„rendis: indelebilem retine in Universitatem nostram, Tibi
„semper addictam, gratiosam benevolentiã & propensionem.

„A

„A Rupe ad Petram, a *Ruperto* & *Ottobura* transeo ad anti-„quissimum Monasterium D. Petri, illud Evangelici Vatis vo-„bis ingeminans, Parnassi Juvaviensis Alumni! *Attendite ad* „*Petram, unde excisi estis, Isa.* 51. *v.* 1. Quemadmodum enim „Christus Ecclesiæ universalis, sic *S. Rupertus* Ecclesiæ Salisbur-„gensis, æternaturo ædificio, posuit D. Petrum. Ab hac quo-„que *Petra* prima sunt Universitatis nostræ fundamina: e *Petra* „hac Parnassus Juvaviensis cum suis Musis fuit excisus, longe „felicius, quam olim Pyrrhi regis annulo ac gemmæ, idem cum „suo Apolline, & novem Musis excisus fuerit; dum Benedicti-„num fœdus Reverendissimorum DD. Abbatum, *Joachimo* „Præsule ad D. Petrum potissimo Promotore primitus coaluit. „Primum mobile, ac supremum orbem, hunc Virum præcla-„rissimum merito dixerim, cum lemate: *Unus omnes.* Quem-„admodum enim primum mobile alios cœlestes orbes secum „rapit, ut in commune Mundi sublunaris bonum gyrentur, ac „fulgeant; sic Reverendissimus Abbas *Joachimus*, lucidissima „cœli Benedictini sydera, alios, inquam, Reverendissimos „tum Sueviæ, tum Bojariæ Præsules, motu ac consilijs suis eo in-„duxit, ut in bonum hujus Universitatis sane maximum, inito „tandem fœdere conspirarent. Inde perpetua in Reverendis-„simos Successores propagata est; quamprimum in erigenda, „tam deinceps in Universitate promovenda, sollicitudo, & li-„beralis munificentia. Quæ nunc etiam in Te, Reverendissi-„me, Prænobilis, ac Amplissime *DD. Placide!* satis superque „elucescit. Aluerunt Te quondam Musæ nostræ suum Alum-„num; nunc vice versa Te colunt Nutritium, seque Tibi in „alumnas humillime devovent. Suspexit in Te jam olim Uni-„versitas nostra Philosophiæ Professorem; nunc vero tanquam „Assistentem perpetuum veneratur, & singularem Protecto-„rem gratissime agnoscit. Dividis enim ita dextere Abbatia-„les curas, ut, dum uno oculo antiquissimum Monasterium „tuum contemplaris, altero insuper Universitatem vigilantis-„sime intuearis, semper paratus ac indefessus ad opem & ope-

„ram:

„ram: quam tanto præsentiorem experimur, quanto es nobis „vicinior: tanto frequentiorem, quanto plura emergunt, quæ „consilium in promptu & quasi in arena exigunt. Certe Petra „Salis est antiquissimum Monasterium D. Petri; cum ejusdem „Reverendissimi DD. Abbates per se, perque suos, Sapientiæ „salem in Universitate Salisburgensi, ad Musarum gustum, hæ„reditaria quasi successione, liberaliter plane, in hunc usque „diem dispensarunt. Nunquam illa de suo pectore dimittet „gratiarum gratam memoriam, quamdiu Rupertus Rupes, & „Petra Petrus erit.

„Neque Tu sicca Oratione prætereundus es mihi ad La„cum Tegerecensem Abbas meritissimus, Reverendissime Præ„nobilis ac Amplissime DD. Præsul *Petre!* firmitatem præfers „non sine bono omine in proprio Tuo Nomine: Eubuliam, „seu artem recte consulendi exhibes in Cognomine Prænobilis „& antiquissimæ Familiæ Tuæ *Gueth-rath-erianæ*, Salisburgensi „Provinciæ tam notæ, quam charæ, & ob ingentia in eam col„lata beneficia, nunquam e grata memoria obliterandæ. Na„talem lucem, quam Juvavium quondam Tibi dederat, mul„tiplicato fœnore in patriam tuam sane reciprocasti, dum præ„clarissimæ sapientiæ ac ingenij Tui radijs eandem copiose il„lustrasti, sive dum studiorum humaniorum & altiorum pro„fectu ac gloria, in Universitate nostra præ alijs effulgeres, „Doctorali Juris utriusque Laurea meritissime coronatus: sive „dum in communi Bavariæ studio Almæ Congregationis Be„nedictinæ, per plures annos sacras Leges e suggestu explicui„sti, & præclarissimos ingenij Tui partus ad Reipublicæ Lite„rariæ utilitatem in lucem edidisti: dignissimum laboris tui „fructum, Abbatialem Infulam, ante trieteridem meritissime „consecutus. Certe non nisi lætissima auspicia ex Tua optatis„sima præsentia, & Assistentia sibi potest ominari nostra Uni„versitas: inconcussam soliditatem & constantiam a firmitate „Tui Nominis, & indeficientis auxilij constantem felicitatem „& profectum, ab oculatis Tuis consilijs. Perge Musas Salis-

„bur-

„burgenſes amare, ac in ampliſsimo gratiarum ſinu fovere! ſic „fiet,ut nunquam Caſtalij fontes ſitiant, quamdiu illis, liquidiſ-„ſimi amoris argumento,perennem favorem ac beneficentiam „e D. Quirini fontibus propinabis. E Tuo denique optatiſsi-„mo adventu, non tantum bonum omen, ſed etiam argumen-„tum & augmentum capit ſuæ felicitatis Parnaſſus Salisburgen-„ſis, Reverendiſsime Prænobilis ac Ampliſsime *DD. Placide*, „ad D. Michaëlem-Buranum Præſul Vigilantiſsime! Propina-„ſti jam olim tenerioribus ejuſdem Muſis lac manſuetioris Li-„teraturæ; ac deinceps a ſtagyræo puteo Auditoribus Tuis „aquam Sapientiæ ſalutaris, per biennium Philoſophiæ Profeſ-„ſor meritiſsimus. Scholaſticis poſtmodum curis Paſtorales „ſubtexuiſti, concreditarum Tibi ovium ſaluti Zeloſiſsime in-„vigilando. Tam ſolicito Paſtori adhuc deerat Pedum Paſto-„rale & Infula Abbatialis: qua tandem, ita exigente merito-„rum tuorum amplitudine, ante quadriennium es inſignitus. „Necdum tamen curarum ac vigiliarum finis; cum Profeſſoris, „Paſtoris, & Præſulis muneri, Aſsiſtentis munus quoque jam „iterata vice acceſsit. Habet, quod ſperet Alma Univerſitas „noſtra ab Aſsiſtentia Tua: ab expanſis D. Michaëlis-Burani alis, „propitiam ulterius umbram & protectionem ſibi pollicentur „Muſæ noſtræ. Gentilitiæ Stellæ Tuæ, quibus Prænobilis „Familia Tua Maderiana præfulget, benigniſsimum influxum „etiam deinceps nobis promittunt. Perge! Juvavienſem Nym-„pham Tuam fovere in placidiſsimo gratiarum ſinu! perge! „ampliſsimæ protectionis Tuæ alas ſuper eandem expandere: „perge! beneficentiæ Tuæ radios in eandem adhuc ulterius „derivare. Plaude nunc, & de tantorum Præſulum gratioſa „præſentia tibi gratulare Alma Univerſitas! plaude de tanto-„rum Mæcenatum optatiſsimo confluxu; tum ad aperienda „Academica Comitia: tum ad celebrandam Feſtivitatem tuam „Secularem congregatorũ. Sed & ſimul fateare neceſſe eſt id, „quod olim *Ennodius*, Vir ſapientiæ & vitæ claritate notiſsimus, „*Theodorico* Regi dixit: debent vobis Reverendiſsimi ac Gratio-

„ſi DD. Præſules! veneranda Juvavij Studia, quod loquuntur, „& quia loquuntur; fatemur gratiſſimo corde, Academiam „hanc veſtræ gloriæ templum eſſe, veſtræ beneficentiæ aram, „veſtri amoris trophæum. Vobis in illa Nominis veſtri im„mortalitatem gratulamur; Vobis Evchariſticum encomium „hoc, certiſſimum grati animi pignus, conſecramus.

DIES III.

CVII. *Decimo ſexto Cal. Junij* hora ſeptima ſacrum Votivum de Ss. Trinitate feſtive celebratum eſt. Hora octava, conſueta cum deductione itum ad Aulam Academicam, ubi more & honore ſolito collatus eſt Gradus Licentiæ & Doctoratus e S. Theologia, Reverendis Patribus hujus Univerſitatis Profeſſoribus, *P. Gregorio Horner* Glunicenſi, AA. LL. & Philoſophiæ Doctori & Profeſſori ordinario, nec non p. t. inclytæ Facultis Philoſophicæ Decano; *P. Fructuoſo Scheidſuch* Seonenſi, AA. LL. & Philoſophiæ Doctori, Ethices ac Hiſtoriarum Profeſſori ordinario, Secretario Academico, & Religioſi Convictus Regenti; *P. Alano Ritter* Weſſofontano AA. LL. & Philoſophiæ Doctori, p.t. Comico; *P. Leonardo Kloz* Weſſofontano, AA. LL. & Philoſophiæ Doctori, Rhetorices Profeſſori, ac Scholarum Præfecto. Gradum Licentiæ contulit Univerſitatis Procancellarius *P. Alanus Pfeiffer* Admontenſis, diſcuſſo prius problemate: *Rectene poſt celebratum alterum Seculum Lutheranorum Muſæ Salisburgenſes celebrent ſuum primum?* Promotionem Doctoralem ſuſcepit *P. Cæleſtinus Mayr* Auguſtanus Monaſterij Ss. Udalrici & Afræ, Ss. Theologiæ Doctor ac Profeſſor ordinarius & Univerſitatis Vice-Rector, cujus problema, in actu ventilatum, erat: *Pluſne celebritatis accedat Civitatibus a propugnaculis, vel a publicis Athenæis?* Tertium problema unus ex Neo-promotis, *P. Leo-*

Collati Gradus Licentiæ & Doctoratus.

nardus

nardus Kloz assumpsit, disquirendo: *Num pro emolumento Reipublicæ humanæ præstet dari Academias, vel non dari?* Absoluta Doctorali inauguratione, Clarissimi DD. Neo-Doctores, comitante tota Universitate inter tubarum & tympanorum clamores ad Templum Academicum processerunt, Sapientiæ Increatæ, Deo Uni & Trino, usitato præconio Ambrosiano, laudes & grates devotissimas persoluturi.

DIES IV.

CVIII. *Decimo quinto Cal. Junij* præmisso hora septima, ut heri, solenni Officio de Ss. Trinitate hora octava in Aula Academica incepit *disputatio publica Juridica*, post prandium hora secunda, prout alias moris est, reassumpta; *sub auspicijs* Jllustriss. Reverendiss. & Excellentiss. *DD. Friderici Caroli* S. R. J. Comitis de Schönborn Buchhaim & Wolfsthal &c. Sac. Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Consiliarij Actualis intimi, & S. R. J. Vice-Cancellarij, Cathedralium Ecclesiarum Bambergensis & Herbipolensis respective Coadjutoris & Canonici Capitularis, nec non Præpositi ad S. Albanum &c. *Præside Josepho Adamo Ayblinger* J. U. D. & Pandectarum Professore ordinario &c.; *Defendente* Prænobili ac Doctissimo *D. Francisco Jacobo Valerio Ludovico Ferner* de Ferenau Austriaco Viennensi, J. U. Candidato &c. Materiam disputationi præbuerunt, quatuor Libri Institutionum Jmperialium, ab eodem Præside compositi, preloque subjecti, cum parergis ex universo Jure. Inter octo Oppugnantes eminuit Jllustrissimus & Reverendissimus *D. Carolus Josephus Gervasius Protasius* Comes ab Harrach in Rhorau, Ecclesiæ Salisburgensis & Passaviensis Canonicus, Jurisprudentiæ & Universitatis nostræ lumen mirificum, utpote qui paucis post mensibus, die 9. Augusti, post expletum Studium Juri-

Jurisprudentia se virum ostendens.

dicum, ipsemet in arenam literariam descendit, ac Tractatum Juridicum *de sanctissimo Ordine Episcoporum, Ecclesijs Cathedralibus, Canonicatibus, & sacris Officijs* a *P. Benedicto Schmier* Ottoburano Ss. Theol. & J. U. D. nec non Ss. Canonum Professore ordinario &c. concinnatum, unacum centum conclusionibus ex universo Jure depromptis, proprio Marte, sine Præside vel Assistente, ultra tres horas, doctissime & facillime respondendo, viriliter propugnavit, spectante & admirante suo Patruo, Celsissimo ac Reverendissimo Archiepiscopo S. R. J. Principe Salisburgensi, *DD. Francisco Antonio* Principe ab Harrach &c; Jllustrissimo & Reverendissimo Capitulo Metropolitico; Excellentissimo & Jllustrissimo Parente *D. Aloysio Thoma* Comite ab Harrach in Rhorau, Sac. Cæs. Regiæque Majestatis Consiliario Actuali Intimo, Aurei Velleris Equite, & Inferioris Austriæ Mareschallo &c. totaque Jllustrissima Aula.

DIES V.

CIX. *Decimo quarto Cal. Junij* Inclyta Facultas Juridica Festum D. Jvonis, veluti Tutelaris & Patroni primarij, festivo ritu celebravit; Officium summum in Ecclesia Academica solenniter peragente *D. Placido* Abbate S. Petri; panegyricam autem Orationem in laudem ejusdem S. Jvonis perorante Perillustri ac Generosissimo *D. Joanne Georgio Priccio* L. B. de Hochenegg &c. Congregationis Majoris Partheniæ Præfecto, & superato post tres menses rigoroso tentamine & examine Jurium Candidato approbato. Aderant huic festivitati, sicut & reliquis actibus Academicis DD. Abbates Præses & Assistentes.

DIES VI.

CX. *Decimo tertio Cal. Junij* Missa Votiva de Ss. Trinitate rursus concinebatur. A prandio in majori theatro exhibita

hibita fuit Comœdia in humillimum obsequium Clementissimi Patris futuri Seculi, Celsissimi ac Reverendissimi Archi-Episcopi Salisburgensis, *DD. Francisci Antonij*, Sedis Apostolicæ Legati Nati, Germaniæ Primatis &c. cui placuit, clementissima sua præsentia, una cum Jllustrisimo & Reverendisimo Capitulo Metropolitico, ac Aula universa, eidem interesse.

Argumentum Comœdiæ. Comœdiæ argumentum erat allegoricum, celebritati Seculari peraccomodum, *Connubium nempe Religionis & Sapientiæ Nursium inter & Jovinam*; seu inter Ordinem Benedictinum & Universitatem Salisburgensem. Fingebatur Princeps nonnemo Aquiliæ (*CVSITTIS, id est, Marcus SITTICVS*, primus Fundator noster) Natam habuisse unicam, cui sicut paternos amores consecraverat, ita solicite Sponsum quæsijt, & se Socero & Nata dignum. Erant plures, quos inter sibi Generum Princeps eligeret. Alijs vel ultro cedentibus, vel non admisis, spes denique tota in juvenem (quem *Nursium* vocabat Comicus, Ordinem D. Benedicti ex *Nursia* oriundi indigitans) incubuit, antiquitate sanguinis & fama meritorum conspicuum. Sed ille amore vitæ privatæ, cui a puero se multum addixerat, aliquamdiu renuit, donec agnatorum & amicorum suasionibus victus Sponsam duxit cum singulari Principis gaudio, & Reipublicæ commodo.

DIES VII.

CXI. *Duodecimo Cal. Junij Sabbato* ante Dominicam *Rogate* præter Officium de Ss. Trinitate denuo habitum, nil singulare gestum aut exhibitum; studiosa juventute ad sacram exomologesin, ob crastinas Indulgentias plenarias, sese disponente.

DIES VIII.

CXII. *Undecimo Cal. Junij* Secularis Memoria ante octiduum cœpta

cœpta jam conclusa est,non quidem Academica quadam functione, sed religiosa pietate & devotione Benedictina. Agebatur enim Dominica quinta post Pascha,ceu principalis diesConfraternitatis nostræ,de qua jam supra *Cap.X.* Num.CIII. meminimus. Itaq; de mane coram exposito Venerabili Sacramento lecta continua Sacra; celebratumSumum Officium,exceptæ multorum Confessiones; distributa S.Synaxis &c.

Post meridiem Concio tam hodiernæ comprecationi, quam octiduanæ nostræ Commemorationi a *P. Carolo Gschwvantner* Seittenstettensi, Philosophiæ Professore adaptata; dein Processio intra Ecclesiam Academicam a PP. Professoribus, Religiosis Convictoribus, ac Sodalitate Parthenia, instituta; cantatæ postremo Lytaniæ, & cum benedictione Augustissimi Sacramenti hodiernæ devotioni non minus,quam Seculari Celebritati datus est finis.

CXIII. Monasteria tunc temporis Universitati confœderata numerabantur ex Provincia Austriaca *sex*, ex Provincia Bavarica *viginti duo*, ex Archidiœcesi Salisburgensi *octo*, ex Provincia Suevica *viginti duo*. Accesserunt huic confœderationi, ut continuo post annum Secularem nova incrementa caperet Universitas nostra, Anno MDCCXX Monasterium Arnoldsteinense in Carinthia, & Anno MDCCXXII Cœnobium Emausense Neo-Pragœ in Bohemia: Hoc Provinciæ Austriacæ, illud Salisburgensi adnumeratum est. Ea enim consuetudo legibus academicis stabilita, ut confœderata Asceteria non nisi in quatuor dividerentur Provincias,quæq; extra easdem sita essent, illi adnumerarentur Provinciæ,cui viciniora: in publicis vero impressis, sessionibus academicis &c Provinciarum, ac Alphabeti ordinem observarent. Atque

Novi confœderati.

que hæc de Univerſitatis noſtræ Ortu, Fundatione, & Incremento dicta ſufficiant, dum interim Eidem pereñem florem, ac nunquam intermorituram apud Poſteros famam & Gloriam animitus exoptamus. Faveat votis noſtris Deus, & cum Optimo Maximo Deo optimi maximi Principes. Id quod ſperare jubet Celſiſſimus & Reverendiſſimus Archi-Epiſcopus

LEOPOLDUS ANTONIUS ELEUTHERIUS

ex L. B. de Firmian, cui nuper poſt inopinata Celſiſſimi & Reverendiſſimi Principis & Protectoris noſtri

FRANCISCI ANTONII

Votum Univerſitatis, & Univerſorum. funera ſumma rerum commiſſa eſt. Vos boni Superi pretioſum hoc pignus ad immortalem nominis ſui famam toti Archi-Diœceſi Salisburgenſi, ac præprimis devotis Muſis noſtris diutius ſervate, nec antea promeritas æternitatis coronas Ei imponite, quam innumeris meritis, quorum præclara jam undique monumenta erigit, orbem impleverit.



LIBER II.

DE PRÆSIDE, ASSISTENTIBUS, RECTORIBUS, PROCANCELLARIIS, AC RELIQUIS PROFESSORIBUS ACADEMICIS.

EXpressimus hucusq; Universitatis Salisburgensis ortum, progressum, & incrementum, atque adeo totam ejus historiam exhausisse videbimur. Verum ne hoc sibi persuadeat amicus Lector, vehementer rogamus: plura adhucdum supersunt, quæ vel necdum dicta, vel strictiori duntaxat calamo adumbrata fusius & enuncleatius dilucidari poscunt. Sæpius enim per decursum de Reverendissimo D. Præside, & Assistentibus, de Rectoribus Magnificis, Procancellarijs, alijsq; Academicis Professoribus sermo inciderat, sola tamen tantorũ Virorũ nomina enumerata fuere. Modo uno quasi obtutu res ab ijs præclare gestas, quæ eosdem ut plurimum comendant & extollunt, nec non monumenta ingenij damus, quin etiam aliqua de eorum statutis & officijs delibamus, ut, qui Universitatem nostram in ortu & progressu suo adeo magnificam intellexit, eandem varijs quoque ingenijs excultam videat. Quapropter sit.

CAPUT I.

De Electione, Promulgatione, & Officio Reverendissimi DD. Præsidis & Assistentum.

CXIV. SUperius jam abunde perspeximus año MDCXVII, cum Salisburgi Gymnasium aperiretur, supremam ejusdem administrationem concreditam fuisse *D. Joachimo* Abbati Petrensi, Ejusque Successoribus, vocato quoque in Scholarum curam uno ex reliquis confœderatis DD. Abbatibus. Succedaneis nihilominus temporibus comuni omnium consilio sancitum est, ut posthac omni triennio elapso ex Confœderatorum Monasteriorum Abbatibus novus eligeretur *Præses*, cui in partem solicitudinis tres ex confœderatis Provincijs eligendi *Assistentes* adderentur; Abbas autem S. Petri munus *Assistentis perpetui* obiret. Anno dein MDCLIII, postquam Austriaci DD. Præsules Academico fœderi accesserunt, hisce tribus Provinciarum Aßistentibus quartus adnumeratus est. Sicuti enim non una Vox, sed plures unitæ concentum, & harmoniam efficiunt suavem, & non una apis, sed plures simul mellificant in uno alveario, ita diversa Directorum Capita, ac diversa docentium, & discentium Ingenia Academiam instituunt, constituunt, & ornant: nimirum Adamas adamantem expolire solet, & ingenia mutuo concursu erudiuntur: prout loquuntur literæ, quibus Triennium Actorum scholasticorum Reverendissimis & Amplissimis D. D. Ab-

Capita Universitatis Præses & IV. Assistentes.

batibus & Monasterijs cum Universitate confœderatis exhibetur.

CXV. Ad finem itaque Triennij discessurus ab officio Reverendissimus D. Præses per encyclicas literas DD. Confœderatos commonefacit, ut Mense Februario vota sua pro novi Præsidis & Assistentum electione aut in scripto submittant, aut aliquem ex Professoribus de Collegio & Consilio Academico, tanquam Procuratorem ad prædictum electionis actum specialiter denominatum substituant. Quia vero omnium Communitatum anima est Ordo ac Dispositio, eundem Ordinem imprimis scire debeant, qui præsunt, & vel Caput, vel assistentia Membra Corporis hujus Academici existunt, ideo Reverendissimis & Amplissimis DD. confœderatis Præsulibus offertur omnis Ordo, ac Connexio Jmperantium, atque Parentium, ut simul & semel Status Benedictinæ hujus Universitatis pateat, ac plenius innotescat. *I. Ponuntur Monasteria cum Universitate Salisburgensi confœderata, uti & Patres Professores, qui præterlapso triennio partim docuerunt, partim etiamnum cathedris præsunt. II. Enumerantur sanguine & stemmate illustres DD. Studiosi, nec non ij, qui superato rigoroso tentamine & examine in Doctores & Licentiatos solenni ritu inaugurati, aut pro suprema Doctorali laurea examinati, & approbati fuerunt. III. Denique agmen claudunt illi, qui Theses aut typis excusas, aut in emblemate publice defenderunt.*

Officium Præsidis completo ejusdem Triennali officio.

Præparanda nova Præsidis Electio.

CXVI. Præsidem hunc ceu *Caput Universitatis, & a quo totius Academiæ generalis & principalis administratio dependet*, (*) uti & Assistentes, omnes Domini Confœderati Præsules eligunt, ordinemque Provinciarum hucusque observarunt.

Electores. *a*

Pri-

[a] *Ita describunt Leges fundamentales Universitatis Salisb. tit: de Præside Num. I.*

Primus ex Provincia Suevica officium Præsidis sustinuit *D. Gregorius* Abbas Ottoburanus anno MDCXIX:
Ex Provincia Bavarica *D. Joannes Henricus* Abbas ad Quercum inferiorem anno MDCXXIII:
Ex Archidiœcesi Salisburgensi *D. Sigismundus* Abbas Seonensis anno MDCXXVI:
Ex Provincia Austriaca *D. Placidus* Abbas Lambacensis anno MDCLVI.
Primi præterea Assistentes anno MDCXIX denominati sunt,
Ex Provincia Suevica *D. Martinus* Abbas S. Blasij:
Ex Provincia Bavarica *D. Michaël* Abbas Andecensis:
Ex Archidiœcesi Salisburgensi *D. Sigismundus* Abbas Seonensis anno MDCXXX:
Ex Provincia Austriaca *D. Placidus* Abbas Lambacensis anno MDCLIII.

CXVII. *Modus eligendi & promulgandi Præsidem & Assistentes*

Quod vero ipsam electionem attinet, abunde de ea loquuntur Leges fundamentales Universitatis Salisburgensis titulo de Præside, ubi; *ad Calendas Martij colliguntur vota a Perpetuo D. Assistente & Magnifico P. Rectore præsentibus testibus Procancellario & Ss. Theologiæ Decano, aut si is quoque sit Procancellarius, præsente alio Decano ad id specialiter vocato. Si contingat vota esse paria, is præfertur, ex cujus parte votum Præsidis steterit.* Et Num: VII. *Ubi determinatus repertus est novus Præses, id propediem significatur tam Præsidi adhuc pro tempore existenti, quam futuro, ut inter Pascha & Pentecosten accitis Reverendissimis DD. Assistentibus triennalis conventus celebrari, unoq; die præsente utroque resignatio prioris, & promulgatio futuri fieri, novusque Præses in omnibus a præcedenti informari possit.* Collectis hoc modo Dominorum Confœderatorum votis, ab Universitatis Secretario coram Senatu Academico ac Dominis Studiosis promulgatur novus D. Præ-

ses, Assistentes, simulque D. Neo-Præsidi Claves, Sigillum, ac Statuta academica in signum triennalis potestatis traduntur. Mox tubarum clangor ac Hymnus Ambrosianus. Formula promulgationis, quæ etiam ad valvas Academiæ appenditur, hujusmodi est:

„Ut statutorum hujus Almæ & Archiepiscopalis Universi-„tatis observantia, quæ a membris requiritur, in capite relu-„ceret, Reverendissimus & Amplissimus DD. (N.) Abbas &c. „Præsidentiæ suæ triennio ad finem vergente, conformiter sta-„tutis Academicis omnes DD. Abbates ex Ordine S. Benedicti „pro conservatione hujus Universitatis confœderatos de nova „electione Præsidis & Assistentum facienda tempestive monuit „& requisivit. Hi proinde fœderis sui memores & non minus „statutorum Academicorum observantes, modo ibidem præ-„scripto vota sua partim per Literas, partim vero per Procura-„tores rite deputatos in manus Reverendissimi D. Assistentis „perpetui, & Magnifici D. P. Rectoris, quibus officium scruta-„torum eadem statuta deferunt, legitime deposuerunt.

„Facta porro collatione votorum per prænominatos Do-„minos Scrutatores coram testibus requisitis compertum est, „electionem tum novi Præsidis per omnes Dominos Abbates „confœderatos, tum Assistentum a singulis Provincijs, maxi-„ma concordia & optimo Zelo de talibus Personis, a quibus Uni-„versitas nostra Salisburgensis magnum emolumentum, & ma-„jus sui incrementum haud dubie sperare potest, celebratam & „perfectam esse. Nimirum

„DEO Ter Optimo Maximo, Divis Tutelaribus ac Cœli-„tibus universis benefaventibus in Caput & *Præsidem* Universi-„tatis hujus Benedictinæ Salisburgensis electus est Reverendis-„simus & Amplissimus Dominus Dominus N. (pleno titulo.)

„*Assistens perpetuus* jure successionis & dignitatis suæ Abba-„tialis est Reverendissimus & Amplissimus DD. (N.) celeber-„rimi & antiquissimi Monasterij ad S. Petrum Abbas dignissi-„mus &c. Monasteria *Austriæ* Universitati nostræ confœdera-

ta

„ta Aſſiſtentem elegerunt Reverendiſs: & Ampliſs: D. (N.) Ab„batem &c. Provinciæ *Bavaricæ* Aſſiſtens erit, Reverendiſs: & „Ampliſs: D. (N.) *In Provincia Salisburgenſis* Aſſiſtentem electus „eſt, Reverendiſs: & Ampliſs: D. (N.) *Suevicæ Provinciæ* Aſſi„ſtens eſt Reverendiſs: & Ampliſs: D. (N.) &c. Quibus om„nibus Reverendiſs: & Ampliſs: D. Abbatibus in Præſidem & „Aſſiſtentes ſic electis, & publicatis, uti cura & adminiſtratio „totius Univerſitatis principaliter incumbit, ita omnes ejuſdem „Univerſitatis cum Profeſſores tum Studioſi debitam obſervan„tiam, & obedientiam exhibere ſcient.

CXVIII. *Officium Neo-Electi Reverendiſſimi D. Præſidis.*

Officium porro Reverendiſſimi D. Præſidis ex recitatis verbis: *uti cura & adminiſtratio totius Univerſitatis principaliter incumbit*, ſatis intelligitur, & agunt de eo Leges fundamentales Univerſitatis Salisburgenſis *Num: II. titulo de Præſide*, hunc in modum. „*Electi* „*triennalis eſt poteſtas, quo tempore ſingulis annis ſub Majum* „*viſitat Univerſitatem, ejuſque Archivum, atque tam in Ca*„*put quam Membra Collegij ac Univerſitatis ſingillatim inqui*„*rit, ut & ſtudioſorum progreſſum incrementumque ſolicite* „*promovet.*“ Prodeunt in hac Majali viſitatione Receſſus academici (*) ab univerſis ſacroſanctè ſervandi; nec enim in ſola Studia, Lectiones, Repetitiones, Diſputationes &c. inquirit, ſed etiam quoad Studioſorum pietatem; recreationes, teſtimonia, examina, aliaque omnia, quæcunque demum regimen & ordinem academicum concernunt, ſtatuit & decernit unacum DD. Aſſiſtentibus, qui hujuſmodi viſitationibus academiæ intereſſe ſolent. Jam ipſos Reverendiſs. DD. Præſides & Aſſiſtentes juxta conſuetum Provinciarum Ordinem contemplemur, ſervato inter Reverendiſs. DD. Præſules eo ordine, quo ad officia Præſidis vel Aſſiſtentis aſſumpti fuerunt: inter Provincias autem Alphabetico. CA-

[b] *Ita appellantur Statuta, quæ in dictis Conventibus prodeunt.*

CAPUT II.

Reverendissimi, Perillustres, Prænobiles, & Amplissimi DD. Præsides, & Assistentes Universitatis Salisburgensis, ex Provincia Austriaca.

Reverendiss. D. PLACIDUS Abbas Lambacens.
PRÆSES Anno 1656. & 1672.
ASSISTENS Anno 1653. 1660. 1663. 1669. & 1675.

CXIX. ANno MDCXXXII. Idibus Novembris solenni votorum nuncupatione Monachum Lambaci professus, VIII. Idus Maij anno MDCXL Abbas eligitur; & quod mireris, intra unius anni curriculum, Sacerdos, Prior, & Abbas. Præclara nimirum merita & dotes tanti viri nequaquam diu sub modio latere poterant, quin potius supra candelabrum positæ universos irradiarent. Disciplinæ enim monasticæ severus cultor, brevi indefessa sua industria, quasi secundi fundatoris gloriosum titulum a suis promeruit, Augustissimo etiam Cæsari Leopoldo I. qui prudentissima ejus consilia in Rebus difficillimis maximi fecerat, in delitijs. Primus ex Austriæ Abbatibus in Præsidem Universitatis electus, munus Assistentis quinquies subiit, tanta sedulitate & industria, ut nemo magis. Pijs defuncti manibus in perpetuam rerum optime gestarum memoriam, sequens Epitaphium fieri curavit Successor *Severinus* Abbas.

Secundus Fundator ob disciplinæ Zelum.

CA-

CAVE VIATOR,
Non Marmor ſed Gemmam calcas
Ab Auguſtorum Cæſarum æſtimatione,
Ordinis & Patriæ approbatione
Pretioſam
PLACIDUM HIEBER
HUJUS MONASTERIJ ABBATEM.
Hic pro Ordine & Patria laborando,
Pro aris & focis excubando,
Totum Lambacum ſua induſtria
Reſuſcitavit.
Hanc Eccleſiam a ſe funditus ædificatam
DIVÆ VIRGINI DEDICAVIT:
Ut Ejus Venerationem promoveret,
Et firmius ſuſtentaret,
Seipſum in fundamentum ſubſtravit,
Et famam vitæ ſubſtituit immortalem;
Atque in hoc tumulo ac thalamo
obdormivit
Anno 1678. Septemb. 12.
Cum annos Regiminis triginta octo,
Ætatis nondum ſexaginta tres,
Omnes autem numeros boni Abbatis
Abſolviſſet.
Pijſſimis Ejus manibus monumentum P.
Succeſſor SEVERINUS.

Num: cxx.

Reverendiſs. D. PLACIDUS Abbas Cremiſanenſ.

PRÆSES Anno 1663. ASSISTENS Anno 1653. & 1666.

Aſſiſt. E Cathedra Philoſophica ad Prioratũ vocatus paulo poſt Abbas dicitur VII. Idus Septembris, anno MDCXLIV, tempore, quo obæratum Monaſterium, cives

tempora, in qua incidit. cives & subditi exhausti, graves ob continua bella pecuniarum exactiones, dira insuper fames & annonæ caritas, extrema quæque pericula minabantur. Verum in virum mala hæc inciderunt, cujus experta œconomia, ac vigilantia brevi malaciam induxit, cunctaque redintegrare novit. Inde ad pietatis specimina conversus, varias Ecclesias ac ædes parochiales aut e fundamentis erexit, aut in meliorem decentemque formam redegit. *Amator literarum Bibliothecam restaurat.* Literarum præterea ac literatorum amator, Bibliothecam optimis libris, Latinis, Græcis, Hebraicis, Chaldaicis, Syriacis, Arabicis, Persicis, ac Æthiopicis locupletavit; Gymnasium instituendæ juventuti aperuit, Seminarium instauravit, & adauxit. Nec mirum adeo fovisse Musas, cum ab ineunte ætate ijs fuerit addictissimus, sæpius dicere solitus: *nullum feliciorem, quã cui inter libros assiduo versari liceret.* Demum Medicorum consilio ad thermas Gasteinenses profectus in itinere vitã absolvit v. Cal. Julij an: MDCLXIX. Corpus ejus Cremifanium delatum maximo omnium luctu in crypta prope altare Ss. Apostolorum conditum est, apposito *hoc Epitaphio*

D. O. M.

PLACIDO BUECHAUER gente Bojo,
Quem pietas, & præclara morum indoles adhuc juvenem
Religioni transcripsit,
Virtus maximis meritis subnixa, ac doctrinæ præstantia,
Omnibus tantam sibi felicitatem gratulantibus,
Ad Infulam Cremifanensem evexit,
Ingens morborum vis omnibus invitis, & suam sortem
deplorantibus cœlo transmisit,
Postquam Monasterium insigni Religiosorum numero auxisset,
Egregijs ædificijs exornasset, disciplinam ac literarum studia
instaurasset, & propagasset,
Patriæ in arduis sæpe rebus prudentissime consuluisset.
Pa-

Patri pijſſimo ac optime de ſe merito, omnium virtutum laude eximio,
Charitate & patientia incomparabili,
ERNBERTUS Abbas cum mœſtiſſimis Filijs
Hoc grati animi monumentum mærens poſuit.
Vixit años LVIII. Præfuit XXXIV. Obijt XXVII. Junij. MDCLXIX.

Num: CXXI.

Reverendiſs. D. CÆLESTINUS Abbas Lunælac. ASSISTENS Anno MDCLXXII.

NAtione Auſtriacus monaſticam Lunælaci Profeſſionem emiſit anno MDCXLVI pridie Cal. Decembris. *Salisburgi ſtudijs egregiam operam navat.* Studijs tam Philoſophicis quam Theologicis in Univerſitate Salisburgenſi ſub doctiſſimis Magiſtris *P. Simone Rebiſer* Lunælacenſi, *P. Mariano Svvab* Schyrenſi, *P. Carolo Jacobi* Andecenſi, *P. Alphonſo Stadelmayr* Weingartenſi, & *P. Chriſtophoro Raſsler* Zwifaltenſi apprime imbutus, publice an. MDCXLIX defenſis theſibus, quas *D. Mauro* Abbati Lunælacenſi inſcripſerat, laudes ab omnibus primas tulit. Anno MDCLIX Novitiorum Magiſter & Prior, Abbas *Fit Abbas* conſtituitur an: MDCLXVIII pridie Idus Auguſti, benedictus Paſſavij III. Cal. Octob: a Celſiſſimo Ordinario *D. Wenceslao* Comite a Thun. Exigente ſenio ac tenebris clauſtralis Eccleſiæ eandem magnificam e ruderibus dedit, Monaſterioque dominium in *Wildereck* multo ære proprium fecit. Summam tamen felicitatem in eo ſibi gratulabatur, quod deſtructo *invenit S. Lypſana B. Conradi Abbatis.* clauſtrali templo B. Conradi Abbatis S. Lypſana huc uſque incognita detexerit. Fuerat is olim ex Monacho Sigenbergenſi ad Lunælacenſem mitram evocatus a Chunone Ratisbonenſium Epiſcopo, qui dum Monaſterij Jura contra agreſtes quoſdam tueretur,

ab ijsdem trucidatus est juxta Chronicon Salisburgense apud *P. Hieronymum Pez* Mellicensem an: MCXLV.
a (*) *Cælestinus* vero noster, cum bene egisset omnia, vitam, quam ad *D. Wolfgangum* cœperat, ibidem absolvit anno MDCLXXXIII pridie Calend. Julij. Partus Ejus ingenij in Bibliotheca Lunælacensi hi extant. I. *Commentarij in universam Philosophiam, quam an: MDCLXII sui Monasterij Fratribus prælegit.* II. *Allocutiones ad Conventum.* III. *Concio Funebris in obitu D. Simonis Abbatis Lunælacensis.* IV. *Panegyricus in translatione B. Conradi Abbatis.*

Ejus obitus, & scripta.

Num: CXXII.

Reverendiss. D. ERNBERTUS Abbas Cremisan. ASSISTENS Anno MDCLXXVIII.

Ernbertus v. Idus Maij anno MDCXXXIV honestis parentibus Schongaviæ in Bavaria in lucem editus, an: MDCLI, Idibus Novembris monasticum habitum suscepit. E Convictu Salisburgensi, ubi anno MDCLIV sub *P. Cælestino Propst* Monseensi publicas theses propugnaverat, Cremisanium redux per munia Philosophiæ Professoris, Novitiorum Magistri, ac Confessarij apud Sanctimoniales Benedictinas Nidernburgenses Passavij, ad Abbatiam eluctatus est XVII. Cal. Octobris anno MDCLXIX. Obtenta postea ab Augustissimo Jmperatore Leopoldo I. omnium Privilegiorum confirmatione, varijsque ædificijs splendide consummatis, anno MDCLXXII vigesima quarta Octobris die, annum a prima Monasterij sui

Natales

obita munia

Annum agit a prima fundatione nongentesimũ.

[a] *De Scriptoribus rer: Aust: Tom I. in citat: Chron: hæc habet. MCXLV. Chunradus Abbas in Manse occiditur. Annum eundem innuit Stengelius* in Monasteriologia *de Monasterio Monseensi.*,

b fui fundatione (*) nongentesimum solenniter celebravit. Reliqua hujus Præsulis encomia vivis coloribus depingit *P. Simon Rettenbacher* in Epistola dedicatoria *ad annales Cremisanenses*, cujus proin verba hic apponere placuit. *Præclaris Majorum vestigijs insistens novis ædificijs cœnobium exornasti, & adhuc exornas, non prius cessaturus, quam squalore ac rudis ævi exutum deformitate pulcherrime restituas, & in augustius spatium dilates. Rem familiarem tanta dexteritate curas, ut tam sacra quam profana supellex plurimum sit locupletata. Patriæ ea prudentia consulis, ut unanimi voto ad majora Provinciæ munera fueris electus. Mitis interim ac benignus Pater, industrius disciplinæ & Religionis custos.* Hoc elogium vivo posuit Scriptor domesticus; copiosius est, quod lapidi sepulchrali inscriptum fuit III. Idus Aprilis anno MDCCIII, eo ipso anno, quo VIII. Cal. Martij, Abbatiam resignaverat. Est autem tale.

Elogium a P. Simone Rettenbacher eidem positum.

Resignat Abbatiã.

ERNBERTUS SCHREVOGL,
Schongaviensis Bojus PLACIDI Successor hic quiescit:
Vir prudentia & acri judicio domi forisque famosus,
Cujus laudes hodiedum sacra & saxa loquuntur,
Quibus vel ab alijs cœpta absolvit,
Vel funditus erecta magnifice adornavit;
Templa splendore, aras decore,
Sacram suppellectilem auro & argento,
Gemmis & unionibus ad invidiam ditans & augens.
Cæsari & Aulæ acceptus, Patriæ bono vigil,
Suis Pater, exteris mæcenas munificus,

cc 2 Post-

[b] *Cremisanium Augustissimum superioris Austriæ Cœnobium a Thassilone Bavariæ Duce eo loco conditum est, quo Guntherus ejus Filius ab apro percussus cum sanguine vitam effudit. Primus hujus loci Abbas constitutus est anno DCCLXXVII Fatericus ex inferiori Altachio cum integra Monachorum colonia evocatus. Obijt circa annum DCCXC.*

Postquam in Asceterio sibi commisso pene nova fecisset omnia,
Demum vasa colligere cœpit, & abdicata ultra Infula
Post exantlatos XXXIV annos Regiminis sui
Lustro septimo requievit ab omni opere,
In nidulo suo dormiens, & ad Æterna avolans,
XI. Aprilis anno Domini MDCCIII, Ætatis LXIX,
Professionis religiosæ LI, Sacerdotij XLIV.
Requiescat in sancta pace Amen.

Num: CXXIII.

Reverendiss. D. RUPERTUS Abbas Glunicensis.

PRÆSES Anno 1681. ASSISTENS Anno 1685 & 1700.

RUpertus Celeberrimi Cremifanensis Monasterij nobilis Surculus, Universitatis vero Salisburgensis, ubi plurimis añis Professorem egit, non postrema gloria, ad Infulã Glunicensẽ postulatur an: MDCLIV pridie Cal. Decembris. Regularis disciplinæ in se suisque, quorum numerum ut plurimum auxit, conservator zelosissimus, studia monastica tanto fervore promotum ivit, ut nullum e suis Ss. Ordinibus initiari permiserit, nisi prius in Universitate Salisburgensi altioribus studijs imbutus, pietati dignam Sacerdote scientiam sociasset. Rei quoq; familiaris administrator prudentissimus, pauperibus hilarem datorem, hospitibus quos non invitavit solum, sed etiam attraxit, exceptorem liberalem sese exhibuit; suavi hac agendi methodo ita omnium cordibus inscriptus, ut viris Principibus præprimis charus & familiariter junctus, universis autem amabilis, una & summe venerabilis extiterit. Si publica denique, quæ in Domo Provinciali obivit munia, inquiramus, nullum invenimus, quo non dexterrime perfunctus sit; nam

Monasterio Cremifanensi Abbas postulatus

Suos literis imbuere satagit.

Cura pro Patria

&

& Deputati ordinarij officio inter periculosa ultimi Belli tempora ea consiliorum dexteritate animique magnitudine præfuit, ut elusa non minus fortiter quam provide importuni hostis machinatione vel inde solum, nisi quam plurima perfecisset alia, *Pater Patriæ* passim proclamari sit promeritus. Obijt Rupertus ob ædificatum auctumque Monasterium primis Fundatoribus suppar, in Urbe Lincensi VIII. Idus Decembris anno MDCCVIII, dum pro more suo negotijs Provincialibus interesset. *Plura vide Cap. VII.*

Ejus obitus.

Num: CXXIV.

Reverendiss. D. SEVERINUS Abbas Lambacens. ASSISTENS Anno MDCLXXXI.

Salisburgensi Metropoli natales, & quidquid scientiæ possidebat, possedit autem plurimum, in acceptis debet Severinus. E cathedra Philopsophica ad Abbatiam assumitur anno MDCLXXVIII pridie Nonas Novembris, dignus qui Augustissimum Imperatorem Leopoldum I. anno MDCLXXX inter varios arcus triumphales magna arte & ingenio elaboratos hospitio susciperet. Lincij fatali morbo correptus vitam exuit IV. Nonas Jan. An: MDCCV. Ossa ejus sub hoc Epitaphio requiescunt.

Imperatorē Leopoldum hospitio excipit.

PAX TECUM VIATOR.
Requiescit hic in pace
SEVERINUS PLASS
Abbas Lambacensis
Calamitoso belli tempore
Magnis pro Patria laboribus
Functus & defunctus;

A

A Laurea Philosophica
Ad mitram vocatus,
Multa tulit, fecitque.
DOMUM LAURETANAM,
Marianæ Devotionis compendium,
E fundo erexit;
Ecclesiæ hujus muros
Pictura & auro,
Fores Monasterij
Artificioso marmore ornavit.
Bello undiq; ingravescente
Dum Lincium ad consilia abijt,
Ibidem obijt anno MDCCV. II. Januarij,
PACEM
Quam MUNDUS non potest dare,
In COELO quæsiturus,
Postquam vixit Abbas annis XXVII. homo LIV.
Cum hoc marmore parentavit
MAXIMILIANUS Successor.

Num: CXXV.

Reverendiss. D. MAURUS Abbas Lunælacensis.
PRÆSES Anno 1691. ASSISTENS Anno 1688. & 1694.

Librum scribit de miraculis S. Wolfgangi.

PHilosophicis & Theologicis Scientijs ubertim in Salisburgensi Universitate instructus cum domi tum Salisburgi easdem discipulis prælegit. Annis duodecim ad D. Wolfgangum, de cujus miraculis Libros duos conscripsit, Parochus Laudatissimus, VIII. Idus Octobris año MDCLXXXIII Abbas consecratur Lunælacensium LXX, inter mitratos XXII. Multa ædificia parochialia e fundamentis eduxit, Ecclesiam vero Regularem Monasterij sui novis altaribus

Obit apoplexia. ribus exornavit. Apoplexia extinctus in abundantia gloriæ suæ sepulchrum ingreditur die xv. Decembris an: MDCXCVII. Monumenta ingenij dabit *Cap. VII.*

Num: cxxvi.

Reverendiſs. D. BENEDICTUS Abbas Seittenſtet.

ASSISTENS Anno MDCXCVII.

DEdit Celeberrimum Seittenſtettenſe Monaſteriũ Abbatiale pedum Benedicto anno MDCLVII. quo in munere Religioſorum ſuorum vere Pater in id præcipue incubuit, ut Monachos ſuos non ſolum doctos (viginti quinque Saliſburgum Scientijs excolendos dimiſit) verum etiam probos efformaret, quod editis duobus libris aſceticis, ac ſpiritu plenis colloquijs obtinere nitebatur. S. Trinitatis a puero cultor peregrinationem in Monte S. Trinitatis, vulgo *Sontagberg*, ubi continuo decem Monachi Seittenſtettenſes excipiendis pœnitentium confeſſionibus invigilant, nova Eccleſia exornavit. Aõ MDCCVII, cum Templum Academicum dedicaretur, ibidem quinquageſimum monaſticæ profeſſionis annum ſolenni officio recoluit in Feſto D. Catharinæ: ſecundis dein primitijs, quas anno MDCCXIII plurima pompa recoluit, Jubilæus Sacerdos in ſenectute bona ac meritis plenus quievit anno MDCCXVII. pridie Cal. Maij. *Vide Cap. VII.*

Zelus pro augenda diſciplina.

Ejus obitus.

Num: cxxvii.

Reverendiſs. D. ANSELMUS Abbas Garſtenſis.

PRÆSES Anno 1703. ASSISTENS Anno 1691 & 1706.

Prima li- ANimam, quam Styræ in Superiori Auſtria Diœceſis Paſſavienſis anno MDCXLVII ultima Martij hauſerat, brevi inter ſepta Garſtenſis Monaſterij nu-

terarum rudiméta. humilioribus musis & virtutibus ita excoluit, ut moribus literisq; comprimis comendatus Juvenis etiamnum cucullo monastico donatus sit an: MDCLXV. Haustis inde Salisburgi altioribus literis cum anno MDCLXXII primas ad aram hostias Deo litasset, continuo Abbati Romano senectutis baculum fuit & pupilla (*), bono jam tunc omine, fore & ejusdem Successoré. Nec fefellit opinio: mortuo enim IV. Idus Octobris an: MDCLXXXIII D. Romano Abbate unum omnium votum *Anselmum* Infula donavit VII. Idus Novembris. Eo in munere sedulo adeo Antecessoris sui *varia ędificia.* vestigia premebat, ut quidquid ab illo pie cœptum & imperfectum vidit, id ipse non modo perficiendum solertissime susceperit, ac perfecerit, uti hodie magnificus templi apparatus loquitur, verum & liberalius juxta sacram Regulam hospitibus inserviendi ardore novam, eamque templo conformem structuram excitarit. Ne vero domi solum tanti viri prudentia claresceret, in Provincialium Superioris Austriæ Statuum Deputatum expetitus, non una vice patriæ curas & necessitates augustissimis auribus Vindobonæ *Studiorũ amor,* substravit solers legatus. Fugit nihilominus plus, quam adamavit Aulam solitudinis amans Abbas, delitias & consortium inter musas quærere visus, dum in Præsidem & Assistentem Universitatis assumptus pluries Academiam invisit; neque ulla alia re in extremos usque vitæ dies amplius delectabatur, quam studijs. Huic literarum amori ferventiorem junxit pietatis ignem, prætera enim, quod divinum cultum *ac pietas erga Infantulum Jesum.* psallentium numero reddiderit ampliorem, famosum illud peregrinantium devotione sacellum ad Divinum Infantulum erexit, suavissime identidem de eodem Infantulo loqui solitus; imo, cum ingravescente morbo

[c] *Ita Literæ mortuales.*

morbo animam sacro Viatico sæpius munitam, & astantium fratrum precibus commendatam agere videretur, tandem Jesulum Matremque ejus misericordissimam ultro invocans placidissime obdormivit III. Cal. Maij anno MDCCXV.

Num: CXXVIII.

Reverendiss. D. HONORIUS Abbas Cremifanēs. ASSISTENS Anno MDCCIV.

VIrum hunc, quem plurima merita ad Cremifanensem Infulam evexerunt præpropera mors eo majori vulnere demessuit. Abbas dictus an: MDCCIII vix annum integrum & quinque menses transegerat, dum inopinato fato sublatus tumulum invenit IX. Cal. Augusti anno MDCCIV. Labores ejus scholasticos & monumenta ingenij enarrabit *Caput VII.* nunc Epitymbion damus.

Mors præmatura.

Epitaphium.

Hoc cupreo capulo latet Reverendissimus DD. Honorius Aigner Austriacus Efferdingensis Ss. Theologiæ Doctor, qui singulari plausu & concordia XXV. *Februarij MDCCIII. Abbas hujus loci quidem electus, non diu tamen fugitivum tulit Honorem; siquidem* XXIV. *Julij MDCCIV. post annum unicum &* V. *menses inopino abreptus fato ad honores utique perennaturos migravit, postquam vixit in Religione* XXX, *universim* LIV. *annos.*

Num: CXXIX.

Reverendiss. D. MARTINUS Abbas Cremifanēs. ASSISTENS Anno MDCCIV.

In Abbatis & Assistentium ...

ANtiqua inter DD. Confœderatos consuetudo hucusque tenuit, ut, si DD. Assistentium aliquem intra triennium, quo tanto muneri præesse solet, fa-

sistentis munere succedit Honorio. fatis cedere contingat, Ejusdem Successor in officium quoque Assistentis succederet. Primo itaque anno, quo Universitas D. Honorium Assistentem suspexit, eidem e vivis abrepto, in Abbatis & Assistentis munere subrogatus est D. Martinus, antehac in Universitate Salisburgensi Juris Canonici Professor. *Vide Cap. VII.* Breve quoque huic optimo Præsuli Regimen fuit, quod morbo prostratus diuturno in Successorem libere transtulit, ipse vero mortem meditari cœpit, defunctus pridie Idus Decembris anno MDCCIX. Ejus virtuti & meritis hoc Epitaphium Successor posuit.

Resignat Abbatiã.

Inscriptio sepulchralis.

HOC CONDITUS MARMORE TACET
VIR olim Disertus & Literatus
Martinus Resch Austriacus Gmundensis
J. U. D. & Ss. Canonum Salisburgi Professor.
Hic post Reverendissimum D. Honorium honorem
Tulit Meritissimus
Mitram Cremisanensem,
Quam non multo post religiose iterum deposuit;
Dum apoplexia tactus cœlestium solum amore tangi cœpit.
Nec diu (honore sponte abdicato) ulterius supervixit,
Quasi piguisset inglorium in terris demorari,
Jmmarcessibilis gloriæ Candidatum.
Quid egerit in vita, forte Viator indagas?
Triplicem Personam:
Probe, gnaviter, graviter;
Hominem, Ascetam, Abbatem.
Et hunc eheu! non ultra quinquennium;
Ascetam annos prope xxx; Mortalem denique LX.
Ad immortales per pulsum Marianum in meridie citatus
Feliciter abiit XII. *Decembris MDCCIX.*

Num:

Num: CXXX.

Reverendiſs. D. MAXIMILIANUS Abbas Lamb.

ASSISTENS Anno MCCIX.

ANno MDCLXXXVIII, ſexto Idus Novembris Monachum profeſſus, in Convictu Salisburgenſi altiorum ſcientiarum, quibus apprime commendabatur, fundamenta jecit. Salisburgo Lambacum redux in officio Novitiorum Moderatoris, Concionatoris, Prioris, cunctorum animos, & demum IV. Idus Februarij An: MDCCV, omnium Abbatem ſibi depoſcentium vota in ſe convertit, Vir ob ſummam ſapientiam, & optimam adminiſtrationem eximie laudabilis. Obijt anno MDCCXXV.

Fit Abbas.

Num: CXXXI.

Reverendiſs. D. ALEXANDER Abbas Cremif.

PRÆSES Anno 1715. ASSISTENS Anno 1712, & 1718.

CRemifanij in lucem datus anno MDCLVI, ſeverioris vitæ conſilia conſuetis ex Benedictina Regula votis roboravit anno MDCLXXIX in Feſto Omnium Monachorum Ordinis S. Benedicti. Poſt abſoluta feliciter ſtudia ex Profeſſore ſcholarum Cremiſanenſium Culinæ Præfectus, mox œconomus, & Prior, ex Priore Parochus in Pettenbach denominatus, tandem a cura animarum ad Abbatiam evehitur XVI. Cal. Octobris anno MDCCIX. Eccleſiæ regulari, ut a Deo exordium caperet, manum admolitus, deterſo antiquitatis ſqualore, in ſplendidiorem formam eandem redegit, altaribus, tapetibus, imagini-

Eccleſiam ſui Monaſterij exornat,

ginibus exornavit, sacram supellectilem copiose auxit, Bibliothecam, nutriendæ doctrinæ promptuarium, exquisitissimis libris instruxit, magisque illustrare hodiedum intendit, doctus ipse ac studiorum æquus æstimator. Eam ob causam lectissimos juvenes Benedictinum institutum anhelantes quaquaversum colligit, quos dein multo ære melioribus studiis & disciplinis imbui sedulus procurat, ut morum integritati juncta eruditio nusquam exerret. Deus Alexandrum magno disciplinæ monasticæ studio, maximo illi Cremifanensium Præsuli Antonio (*) haud absimilem diutissime Patriæ, Religioni & Cœnobio sospitem servet ac incolumem, vitæque annos & fortunam ejus virtuti adæquet.

mirificus studiorum Promotor.

d

Num: CXXXII.

Reverendiss. D. RUPERTUS Abbas Glunicensis.

PRÆSES Anno 1727. ASSISTENS Anno 1715.

RUPERTUS hujus Nominis Secundus Glunicensium Abbas Monachum induit XVII. Cal. Decembris anno MDCXCV. Convictor Salisburgi anno MDCXCVII, Abbas renuntiatur anno MDCCIX. Vir profunde humilis, Fratrum & Pauperum Amator, pietati discretionem regendi prudenter comiscet, cui proin divinum Numen felicissimum tribuat Regimen, diuturnam sospitatem, serosque post annos pro exantlatis laboribus beatorum Antistitum æviternitatem.

Votum omnium devotorum.

Num:

[d] *Antonius S. Ord: Cisterciensium in Monasterio S. Crucis Austriæ inferioris amplexus Hilariensi & Cremifanensi Infulis honoratur. Anno dein 1631. Viennensium Episcopus & S.R.I. Princeps, Obijt 1639. cal. aprilis.*

Num: CXXXIII.

Reverendiss. D. AMBROSIUS Abbas Seittenst.

ASSISTENS Anno MDCCXXI.

Parochus ELsenarzensis Styrus post edita an. MDCLXXXVIII monastica vota ac absoluta Salisburgi studia multos annos in pastorali officio solicitus animarum curio in Biberbach & Aspach peregit. An. MDCCXIV Prior domesticus, cum præter alia insignia gesta solertiam suam ac monasticarum constitutionum ob- *Prior* servantiam verbo & exemplo per biennium probasset omnibus, miro eligentium consensu Abbas designatur anno MDCCXVI. Acta Seittenstettensia nobiscum liberaliter communicata Eidem etiamnum *Prælatus.* in vivis agenti sequens elogium tribuunt. *Vir vere Ambrosius, & ob incomparabilem morum suavitatem, ac mansuetudinem nulla non laude dignus, qui & Dormitorium, ut vocamus, & Refectorium aliaque ædificia jam nova molitur, ac plura alia diu optata partim meditatur, partim jam perfecit. Deus pylios tanti Viri, qui delitium erat usque nostrum, regimini addat annos omni faustitate beatos.* Faxint Superi!

Num: CXXXIV.

Reverendiss. D. GERARDUS Abbas Lunælac.

ASSISTENS Anno MDCCXXIV.

PRovinciæ Austriacæ Assistens datus anno MDCCXXIV in Abbatiali dignitate successerat D. Amando Præsuli optimo, Anno præterito. Plura, ne dicamus, viventis Modestia vetuit, ut tamen longævam canitiem ac immortalem nominis famam Eidem apprecemur, submississimæ nostræ venerationis sit argumentum. Num-

Num: cxxxv.

Reverendiss. D. GOTTHARDUS Abbas Lamb.

ASSISTENS Anno MDCCXXVII.

GOtthardum sexdecim pene annis Professoris Academici munere feliciter functum, ne sola Universitas nostra suum crederet, Lambacense Cœnobium ad Abbatialem Infulam evocavit Anno MDCCXXV. Sed non ignari Patres Academici, quantum præsidij in unius viri auctoritate & prudentia positum esset, Eum Austriacæ Provinciæ Assistentem dignissimum venerari cœperunt anno MDCCXXVII, ut cujus scientia non parum splendoris olim acceperant, jam ejus consilio fulcirentur. Plura vide *Cap. VII.*

CAPUT III.

Reverendissimi, Perillustres, Prænobiles, ac Amplissimi DD. Præsides, & Assistentes ex Provincia Bavarica.

Num: cxxxvi.

Reverendiss. D. JOANNES HENRICUS Abbas ad Quercum Inferiorem.

PRÆSES Anno 1623. ASSISTENS Anno 1626.

Illustres natales. EX nobili prosapia *D. Luz* de Rismanstorff Patre *Wolfgango* Serenissimi Bavariæ Ducis Consiliario, & in excelso Regimine Straubingano Cancellario progenitus, v. Idus Decembris anno MDCII. generis

neris ſplendorem monaſtico cucullo involvit. Poſt egregiam Literis in Univerſitate Dilingana, quæ tum comprimis florebat, navatam operam domi per varia munia Abbatiam promeruit XII.Cal. Auguſti anno MDCXIX. Exin Statuum Provincialium Deputatus, ut vocant, Commiſſarius, ac Univerſitatis noſtræ Primus ex Provincia Bavarica Præſes ubique induſtrium ſe exhibuit. Monaſtici rigoris vel conſervandi vel reparandi ſtudioſiſſimus, pro reformatione ſui Monaſterij e S. Blaſio in Sylva Nigra adſcivit *R. P. Wernerum Beckard* Priorem, & *P. Jacobum Mayr*, Monachos inſigni non minus pietate quam ſcientia præditos; Et ut *Buzelinus* (*) meminit, uſum lanearum veſtium ac perpetuam a carnibus abſtinentiam introducere adlaboravit, quamquam illius loci Monachi, quibus Univerſitatis noſtræ Facultas Theologica X. Cal. Aprilis anno MDCXXX ſuffragium dedit, novitium adeo rigorem nunquam ſuſceperint. Suecorum denique incurſu ſemel & iterum exulare coactus diem ſupremum clauſit Paſſavij Idibus Maij anno MDCXXXIV. Corpus ad Monaſterium deportatum in Eccleſia miſere ab hoſte everſa tumulatum fuit.

pro reformanda diſciplina Viros e S. Blaſio evocat a ac fruſtra perpetuã a carnibus abſtinentiam introducere allaborat.

Ejus obitus.

Num: CXXXVII.

Reverendiſs. D. MICHAEL Abbas Andecenſis.

ASSISTENS An: MDCXIX. MDCXXIII. & MDCXXXVII.

CAmpoduni in lucem ſuſceptus Benedictinum religioſæ Profeſſionis Sacramentum dixit VII. Idus Decembris anno MDXCVII, Abbas ſalutatus X. Cal. Septembris anno MDCX. Quantus in eo avitæ religio-

[a] *Germ. Sacra pag.* 111.

multum pro aris & focis laborat. ligionis nostræ amor ardorque fuerit, quantosque pro ea labores tulerit, narrant pro erigenda per universam Germaniam Bursfeldensi Congregatione, vindicandis e Hæreticorum manibus Monasterijs, instituenda augendaque Universitate Salisburgensi, ab ipso exantlati sudores & vigiliæ, quibus æternum posteris nomen transcripsit. Stetit hos inter labores *moritur apoplexia.* suis, alijs proficuus sex omnino lustris, donec anno MDCXL, ea ipsa die, qua Abbatiali oneri humeros submisit, præsente Serenissimo *Alberto* Duce Bojariæ, Ejusdemque Serenissimo Filio natu minimo *Sigismundo* Frisingensium Episcopo, apoplexia defecit, uno eodemque tri-horio incolumis, æger, defunctus. Sepulchrum accepit ante altare Venerabilis Sacramenti hac notatum inscriptione.

R. R. D. D.
MICHAEL Sancti Montis Abbas
Virtute, Religione, Gestis excelluit,
Vixitque sibi & publico bono
Annis LX. Præfuit XXX.
X. Cal. Septembris memorabili fato
Primum dignitatis diem
Ætatis habuit ultimum,
A Christo nato MDCXL.

Num: CXXXVIII.

Reverendiss. D. STEPHANUS Abbas Schyrensis.
ASSISTENS Anno MDCXXIII.

Vir doctus COEnobij Regimen adijt IV. Idus Novembris anno MDCX, Præsul omnium judicio præstantissimus, prudentiaque ac consilio præ cæteris spectabilis.

sis, Anglipoli, dum adhuc juvenis studijs insudaret, passim *doctus monachus* indigitatus. Diutius visitator Ordinis S. Benedicti in Diœcesi Frisingensi, chronicon, quod *Conradus* Monachus Schyrensis concinaverat, cum notis anno MDCXXXIII Jngolstadij in publicum emisit. Hosti postmodum in Bavariam sævienti, ut cederet, ad Alpes Vispachianas secessit, ubi placidissime in Domino obdormivit XVIII. Cal. Maij anno MDCXXXIV. Quorumdam Monasteriorum Reformator, sui vero Restaurator gloriosus.

Chronicon sui Monasterij Typis excudi curat.

Num: CXXXIX.

Reverendiss. D. JOANNES Abbas ad S. Emeramum Ratisbonæ.

ASSISTENS Anno MDCXXX.

JOannes Cal. Septembris anno MDXCV. e celeberrimo Monasterio ad S. Emeramum ad Mettensis Monasterij in Bavaria Regimen postulatur, unde a suis Emeramensibus multis precibus revocatus ejusdẽ loci Abbas esse jubetur XVI. Cal. Decemb. an: MDCXXIII. Cum igitur aliquot añis utriq; Monasterio simul præfuisset, ut eo liberius jam soli Cœnobio S. Emmerami invigilare posset, XVII. Cal. Novembris an: MDCXXVII, Mettensibus proprium Abbatem constituit *D. Joannem Christophorum* Virum præclarum & maximum. Ipse autem de omnibus optime meritus finem vivendi fecit Ratisbonæ in suo Monasterio anno MDCXXXIX.

Mettensium, & Monasterij ad S. Emeramum Abbas eligitur.

Num: CXL.

Reverendiss. D. MAURUS Abbas Andecensis.

ASSISTENS Anno MDCXLIII.

MAurus hujus Nominis Primus cœli lucem aspexit in vicino Diessensium Oppido, famosa olim

Lycatiorum Urbe & Jllustrissimorum Comitum de Andechs & Diessen sede. Monasticen an: MDCXIV Cal. Novembris in Monte Sancto, ut facilius ab alto mundum despiceret, amplexus, a profanarum Literarum doctrina, quam per decennium in Monasterio discipulis tradidit, ad ascesin se contulit. Eo in munere non solum Novitios primis sanctioris vitæ rudimentis instituendos diu admodum & frequenter habuit, verum etiam annis sedecim vicinarum Ecclesiarum Parochus non una vice animam pro ovibus exposuit, dum lue pestifera infectis diu noctuque verbo, annona, & charitate præsens adesset. Vocatus inde ad Prioratum, anno MDCXL D. Michaëli in Abbatis dignitate successit. Librorum, & quod adhæret, doctorum Virorum fautor quam maximus plerosq; vitæ dies aut scribendo aut legendo consumpsit, nuspiam magis inveniendus, quam inter psallentium choros, & librorum delitias. Adijt æternitatem anno MDCLV ultima Maij, postquam varias morborum ærumnas spectanda & viro digna patientia tolerasset. Et licet anno MDCLXIX cœlo delapsum fulgur lapidem ejus sepulchralem, ac pene omne Monasterium disruperit, consumpseritque, gratissima tamen Ejus memoria perstat in annalibus Andecensibus, quæ inter alia hæc pauca, sed magni sensus consignant: *Nemo Maurum novit, quin in mortui tumulum plus lacrymarum quam aquæ lustralis sparserit. Receperunt siquidem in morte mæstissimi filij, quod imitarentur, Successores quod æmularentur*; nam disciplinæ regularis tenacissimus, in alios facillimus, sui vero censor rigidissimus extitit, prout ex setosis pilis contextus, ;que ab humeris ad talos usque defluus, nec ante obitum inventus saccus, quo carnem in servitutem redegerat, patefecit. Scripsit doctissimus Præsul

Ejus pro instruendis Novitiis, & ægrotis.

Elogium domesticum.

Veste cilicina utitur.

Histo-

Ejus scripta. *Historiam sui temporis*, & Monasterij duobus Libris comprehensam, ab anno nimirum MDCXXVII usque ad annum MDCL. Item Tractatum de Viris religiosis *in Monte Sancto Andechs a pietate & doctrina illustrioribus*. At hunc vel a flammis perijsse, vel in alienas pervenisse manus merito lugent Andecenses.

Num: CXLI.

Reverendiss. D. CORBINIANUS Abbas Schyr. PRÆSES Anno 1651. ASSISTENS Anno 1643. & 1653.

ANno MDCXXXIV Regimen suscepit curis ærumnisque plenum ob Martem Suecicum. Literarum nihilominus dignus æstimator, magnam auri vim profudit, ut suos omni scientiarum genere perfunderet; unde Schyra passim *Schola Doctorum* (*) audiebat; cum, uti rotulæ mortuales loquuntur, plures in Theologia & Jure Laureatos in suo Monasterio reliquerit, quam ante centum annos totis Patriæ claustris numerarentur. Præses Universitatis XII. Cal. Julij anno MDCLI electus. Eandem solenniter renovari vidit, submissis jam antea pro Universitatis augmento celeberrimis illis Viris *Mariano Swab*, *Ægidio Rambeck*, & *Gregorio Kimpfler* Monachis Schyrensibus. Obijt Corbinianus anno MDCLVIII nonis Martij. Pietati ejusdem in exornanda Domo Dei sequens encomium tribuunt citatæ rotulæ mortuales. *Corbinianus noster vix a turbine Suecico modicum respirarat, arcam postliminio exonerat, situm & annos sacris ædibus detrahit, tholum, parietes gypso induit, aras erigit, Sanctorum simulacris ornat, bene gnarus, oleum & operam non perdere, qui Superos inungit.* Cætera loquitur Epitaphium apud P.

b Literas egregie promovet.

Universitati vero præclaros viros submittit.

Templi decor ab eo restitutus.

[b] *Acta Schyrensia nobiscum communicata.*

c *P. Ottonem Aicher* (*) quod eidem fieri curavit Successor *Gregorius* anno MDCLXI.

Ad has aras ipse Antistes victima mortis heu! procubuit,
CORBINIANUS RIEGGIUS
Meritissimus Schyræ ABBAS.
In hoc uno, ut multis præesset, virtus & sapientia multorum
Fecerunt compendium. Vixit plus Suis quam SIBI.
Multos exemplo religiose, literarum impensis docte,
Pauperes liberalitate congrue vivere fecit,
Vere cor & principium vitæ!
Tandem decima ætatis olympiade,
Ut ad Olympum iret, morti prius decimas dedit;
Et post religionem sanctimonia, œconomiam utilitate;
Academiam scientijs, Ecclesiam novo & augusto splendore;
Optime illustratas
Jllustrior virtute & meritis lucem perpetuam accessit,
Jam non Religiosorum sed Vermium Pastor.
ROSARIJ,
Cujus Zelosus Plantator erat, in Sacello sepultus jacet;
Ne MORTUUS floreret minus quam VIVUS.
Obijt CIↃ IↃC LIIX. Annis XXIV. Laudabilis Præsul,
Cujus mœsti & grati Filij, Æmuli Ducis Trajani pietatis,
Si non flamis & busto parentem, famam ab interitu vindicarunt
MDCLXI.

Num: CXLII.

Reverendiss. D. UDALRICUS Abbas Tegernseeš.
PRÆSES Anno 1653. ASSISTENS 1637. 1651 & 1656.

Professor EX Professore Rhetorices Salisburgi in resignantis *Quirini III.* Abbatis locum subrogatur v. Nonas Martij anno MDCXXXVI. Ob spectatas animi dotes non solum Principibus Bavariæ, præsertim Serenis-

[c] *In theatri funebris supplemento ad Partis I. Scenam III.*

Rhetoric: Abbas eligitur. renissimo Electori *Ferdinando Mariæ*, sed etiam *Sigismundo*, *Ferdinando*, & *Carolo* Archi-Ducibus Austriæ & Comitibus Tyrolensibus acceptissimus fuit, a quibus proinde multas gratias obtinuit. Inter eas præcipue memoranda venit illa confirmatio, quam Archidux Austriæ super indulta suorum Antecessorum, vineas, & bona Tyrolensia ad Athesin, necnon imunitatem a Telonijs clementissime elargitus est anno MDCXLVII. Vitam absolvit *Udalricus* Monachij in Aula Serenissimi Electoris *Ferdinandi Mariæ*, cui ab intimis Consilijs erat, anno MDCLXXIII pridie Idus Martij. Corpus ad Monasterium advectum in Sacello S. Andreæ terræ mandatur, unde anno MDCLXXXIV sub *Bernhardo* Abbate refossum, atque in nova Ecclesia aptiori loco repositum, incorruptum inventum est. De eo Necrologium Tegurinum apud *P. Bernhardum Pez* Mellicensem (*) hæc habet. *Reverendissimus & Amplissimus Dominus Udalricus hujus Nominis Tertius Abbas nostræ Congregationis laudabilissimus, cujus virtus nullos titulos ambivit omnes promerita. Præfuit annis triginta septem Fratribus ut mitis Pater, dominio in servos benignus, in subditos clemens, in pauperes largus, pietate erga Deum & Divos posteritati in exemplum.*

Ab Archiducibus Austriæ Privilegia quædam obtinet.

Ejus corpus tumulo erutum incorruptū invenitur d

Num: CXLIII.

Reverendiss. D. GREGORIUS Abbas Schyrens.

PRÆSES An: 1660. & 1678. ASSISTENS An: 1663. 1672. & 1681.

J. U. & Ss. Theologiæ Doctor tradito Salisburgi per integrum lustrum Jure Pontificio ad Prioratum, & ab eo ad Abbatiam assumitur an: MDCLVIII. Præsedit Schyræ XXXVI añis maxima cum laude & utilitate;

[d] *Tom. III. Thes. anec. novis.* p. 111. *in monum: Hist: Monasterij Tegernseensis.*

tate; nam æs alienum, quod diuturna bella contraxerant, expunxit, Cœnobium muris alijsque ædificijs pulchre & religiose instruxit, quodque laudis caput est, mores suorum ad pristinam disciplinam revocavit. In deputatum Statuum Provinciæ Bavariæ Commissarium electus Provinciam isthanc ita præclare gessit, ut ob singularia merita Patris Patriæ suave tulerit elogium. Clausit diem supremum pridie Nonas Novemb: an: MDCXCIII, ætatis LXVI. magno sui apud Posteros relicto desiderio. *Vide Cap. VII.*

Disciplinam reformat.

Num: CXLIV.

Reverendissimus D. CÆLESTINUS Abbas ad S. Emeramum.

ASSISTENS Anno MDCLX. & MDCLXXVIII.

PRæsulem hunc optimis naturæ donis excultum, quæ Wassenbergio (*) divinæ & humanæ sapientiæ disciplinis mirum in modum Religiosus optimus perfecit, Acta S. Emmeramensia Ejusdem Jmperialis Monasterij, quod e ruinis in modernum splendorem eduxit, maximisque beneficijs sua vigilantia & authoritate cumulavit, alterum Fundatorem; Prioratus vero Reichenbacensis in superiori Palatinatu Recuperatorem & Restauratorem nominant. Fuit primus Præses Congregationis Benedictino-Bavaricæ sub invocatione Ss. Angelorum Custodum erectæ anno MDCLXXXIV. Fatis cessit anno MDCXCI Idibus Octobris.

e

Alter Monasterij sui Fundator

Num: CXLV.

Reverendiss. D. VIRGILIUS Abbas Ettalensis.

ASSISTENS Anno MDCLXVI.

ABsolutis non sine profectu in Universitate Salisburgensi severioribus studijs anno MDCXLVI Ab-

[e] *In descriptione Abbatum Monasterij S. Emmerami.*

Abbas Ettalensis salutari meruit. D. Virginis Ettalensis, cujus historiam nuper texuit *P. Ludovicus Babenstueber*, cultor eximius Bojariæ Ducum munificentia eandem multum locupletavit, Sanctorumque Christi Martyrum *Epiphanij & Marcellini* Corpora Roma allata illic collocavit, ut unacum D. Virgine Ettalensis Monasterij sacratam curam & tutelam agerent. Obijt IX. Cal. Aprilis anno MDCLXVIII, Præsul summis Principibus notus & in pretio, quos etiam in se suumque Monasterium liberales habuit.

Eximius cultor D. V. Ettalensis.

Num: CXLVI.

Reverendiss. D. MAURUS Abbas Andecensis.

ASSISTENS Anno MDCLXIX.

HUjus Nominis Secundus Weilhemij in lucem prodijt anno MDCXXXVI. Monachum Benedictinum apud Andecenses professus Dominica Ss. Trinitati sacra, scientias altiores, quas Viennæ & Salisburgi acceperat, domesticos magna utilitate docuit. Consul postea de Rhetore & Philosopho factus, Abbatiæ summo omnium consensu præficitur XIX. Cal. Februarij anno MDCLXVI. Nec præfecisse pænituit, adeo in omni virtutum genere excelluit, ut universorum sibi amorem & venerationem occuparit; præsertim in curia Romana, ubi res difficillimas sæpius pertractavit feliciter; nihil tamen exinde in eo tumidum, nihil arrogans, nihil in rebus novis novum fuit præter Monasterium Andecense, quod v. Nonas Majas anno MDCLXIX cœlo delapso fulmine totum in cineres redactum majori splendore restituit. Latine quoque, gallice, italice, hispanice, græce, hebraice doctus Bibliothecam Andecensem non solum pretiosis, ijsque plurimis libris instruxit, verum etiam proprijs lucubrationibus illustra-

Monasterium in cineres redactum restaurat.

lustravit: ex Jtalico transtulit in vernaculam linguam typisque commisit *Vitam venerabilis Mariæ Joannæ Bonhomi de Vicenza Monialis Ord: S. Benedicti Bassani in Monasterio S. Hieronymi.* Item Tractatum alium cui titulus: *Filiatio spiritualis*, ex Jtalico latinitate donatum Venetijs edidit anno MDCLXXXVI. Extinctus est Præsul optimus Monachij anno MDCLXXXVI (*) in die Omnium Animarum, sepultus in Ecclesia Andecensi ante Capellam S. Josephi.

Ejus scripta.

f

Num: CXLVII.

Reverendiss. D. BERNARDUS Abbas in Tegernss. ASSISTENS Anno MDCLXXV.

BErnardus anno MDCLXXIII Idibus Maij Abbas declaratus fabricam Monasterij, necnon Ecclesias, domos, aliaque ædificia sumptuose domi forisque excitavit, inter quæ Basilica Tegernseensis Monasterij principem locum meretur. Quos porro labores, quantasque difficultates pro Congregatione Benedictino-Bavarica, ac restituendis in superiori Palatinatu Monasterijs tulerit, fusius perstringunt monumenta Tegernseensia apud *P. Bernardum Pez.* (*) Plurimis proin pro Deo, Monasterio, Ordine, & Patria exantlatis sudoribus Abbatialem dignitatem non sine in-

Varia ædificia ab Eo erecta.

g

Resignat Abbatiã.

[f] *Annum hunc ponunt* MSS. *Andecensia*; *quamquam historia Montis S. Andechs* p. IV. *Cap.* I. *annum* 1685. *ponat. Consentit Eidem P. Corbinianus Khamm* Hierarch: August: pag: 111. reg: cap. IX. *Nos secuti sumus documenta, quæ anno* 1724. *nobiscum communicavit P. Benedictus Friepeis ejusdem Monasterij Prior dignissimus.*

[g] *Tom. III. Thes. anec: noviss:* p. 111. *in monumentis Hist: Monasterij Tegernseensis Cap.* XIX.

ingenti totius Conventus,ac Statuum Provincialium, quibus in graviſſimis negotijs prudentiam ſuam patefecerat, gemitu reſignavit anno MDCC Menſe Julio. Soli jam ſibi Deoque in dilecta ſolitudine procul a terrenis tumultibus cœleſtem vitam agens, XIII. Cal. Septembris anno MDCCXIII ſecundas Primitias peregit, tribus Monaſterij ſui religioſis Filijs *D. Quirino* Abbate Tegernſeenſi, *D. Bonaventura* Abbate Reichenbacenſi, & *D. Wolfgango* Abbate Michlfeldenſi Eidem ad Aras Aſſiſtentibus. Adijt æternitatem III. Cal. Martij anno MDCCXIV. Ætatis ſeptuageſimo ſexto. Plura recurrent *Cap. VII*, ubi eundem bis in cathedra Philoſophica Salisburgi proponemus.

Num: CXLVIII.

Reverendiſs. D. ROMANUS Abbas Ettalenſis.

PRÆSES Anno 1688. ASSISTENS Anno 1685. & 1691.

Officia Provincialia.

NAtione Bavarus, ac olim prima Magiſterij Laurea Salisburgi decoratus, Abbas electus eſt XII. Cal. Martij, anno MDCLXXV. Vix clavum tenere cœpit, & continuo ob egregias animi prudentiæque dotes inter ſummos Bavariæ Superioris Proceres ſedit Commiſſarius deputatus, quod etiam muneris ad totius Patriæ & Subditorum emolumentum præclare geſſit diutius. Literarum amantiſſimus nulli pecuniæ pepercit, ut Religioſos ſuos vario ſcientiarum apparatu excoleret, quos inter Salisburgenſi Univerſitati educavit *P. Ludovicum Babenſtueber*, Virum inter noſtros nominatum. Diem ſupremum habuit Romanus anno MDCXCVII. Ætatis LIII. Sacerdotij XXIV. Regiminis XXIII.

Num: CXLIX.

Reverendissimus D. ADALBERTUS Abbas ad Inferiorem Quercum.

ASSISTENS Anno MDCLXXXVIII.

PAtria Landspergensis vota Deo nuncupavit anno MDCLX, Cal. Novembris. Post defensas Salisburgi ex universa Theologia Theses sub *P. Desiderio Schapperger* Seonensi Monacho, traditamque domi junioribus Fratribus Philosophiam ac Theologiam, designatus jam in Universitate Salisburgensi Philosophiæ Professor, ipso S. Laurentij Festo die in Abbatem evehitur anno MDCLXXII. Cœnobium, quod exustum reperit, denuo VI. Idus Maij anno MDCLXXXV maxima parte conflagrasse indoluit; illud tamen utraque vice e ruderibus in meliorem formam restituere summopere adlaboravit. Obijt IV. Nonas Novembris anno MDCXCIV.

Restaurat Monasterium.

Num: CL.

Reverendiss. D. WOLFGANGUS Abbas Fornb.

PRÆSES Anno 1700. ASSISTENS Anno 1694. & 1703.

WOlfgangus in paterna domo Musica, in Universitate nostra literis enutritus singulari tum pietate tum prudentia adminiculante Abbas creatur XV. Cal. Februarij anno MDCLXXXVIII. Finem vivendi fecit anno, ni fallimur, MDCCXXIII. Plura de hoc Præsule repetitis etiam literis intelligere haud potuimus, quamquam non dubitamus, Eundem optimi Patris numeros absolvisse relicto non minori sui desiderio quam encomio.

Num:

CLI.

Reverendiſs. D.BENEDICTUS Abbas Mettenſ

ASSISTENS Anno MDCXCVII.

In Mettenſi Cœnobio Literis operam navat.

BUchovia ad Lacum Plumarium, vulgo Federſee, ſita Civitas Viro huic vitam & primam lucem, natura vero minime noverca indolem dedit optimam. Mortuis parentibus innocens adhucdum puerulus Mettenſi Cœnobio erudiendus ab amicis traditur. Hic prima muſarum ac pietatis ſtipendia ſub optimis Præceptoribus mereri juſſus, brevi haud communia adultæ virtutis ſpecimina dedit, atque adeo in divinarum rerum cognitione profecit, ut ſola in amore, in deſiderio cœperit eſſe ſalus æterna: unde, cum inſtitutum Benedictinum juveni arrideret, ſacrum habitum Mettenſes eidem detulerunt. Annis plurimis Prior, Oeconomus, ac Parochus an: MDCLXXXVI unanimi voce Abbas eligitur, honoratus ab omnibus ut amabilis Pater, niſi in hoc ſolo violentum velimus,quod cunctorum animos benignitate rapuerit,

Elogium. *hoſpitalitate Abraham,affabilitate Jonathas,prudentia Janus, ſinceritate Barjona, pietate Iſraëlita, patientia Job, benignitate Vir ſecundum Cor Dei David.* (*) Obijt VI. Cal. Februarij anno MDCCVI in ipſa pervigilia B. Caroli Magni Fundatoris Monaſterij Mettenſis. *b*

Num: CLII.

Reverendiſs.D.ROMUALDUS Abbas Ettalenſ.

ASSISTENS Anno MDCC.

WFilheimenſis Bojus Salisburgi ſuprema Doctoratus Laurea tam ex Theologia, quam utroq; Jure inſignitus ibidem officium Regentis Religioſi

ff 2 Con-

[*b*] *Ita Literæ mortuales.*

Convictus sustinuit ab anno MDCXCIII, usq; MDCXCV. Inde S. R. J. Principi & Episcopo Frisingensi *Joanni Francisco Ecker* de Käpfing & Liechtenau ab Ecclesiasticis consilijs stetit usq; ad annum MDCXCVII, quo vigesima quarta Septembris in Abbatem cooptatus fuit. Ea in dignitate verbo non minus quam exemplo Abbatem & Patrem se præbuit, donec præmature nimis finem vivendi fecit, anno MDCCVIII ultima Decembris die, ætatis XLVIII. Scripsit lingua vernacula *Historiam D. V. Ettalensis.*

Ejus scripta.

Num: CLIII.

Reverendiss. D. JOSCIO Abbas ad Querc: Infer.

ASSISTENS Anno MDCCVI.

IN Matriculam Universitatis & Albũ Religiosi convictus Salisburgensis relatus an: MDCLXXXVII, canonica Fratrum Electione Abbas designatur anno MDCC, Vir seu œconomica, seu spiritualia spectemus, immortali Cedro dignissimus. Vivat diutius perenni Monasterij sui flore; nec nisi post seros annos æternam in cœlis coronam a Deo accipiat.

Num: CLIV.

Reverendiss. D. CORBINIANUS Abbas Aspac.

ASSISTENS Anno MDCCIX.

MOdernus Celeberrimi Aspacensis Monasterij Abbas Pedum capessijt anno MDCCVII. Sanctissimos ejus labores boni Superi, ad quorum præprimis gloriam tendunt, confortent, & in Nestoris annos perducant! Hoc votum nostrum, subditorum vero quotidianæ ad cœlum preces.

Num:

Num: CLV.

Reverendiſſimus D. PLACIDUS Abbas Ettalenſ.

PRÆSES Anno 1712, ASSISTENS Anno 1715.

LAndſpergenſis Bojus in Univerſitate Salisburgenſi prima Magiſterij, nec non Ss. Theologiæ Laurea inclaruit, ubi etiam per aliquot annos Profeſſorem egit. Abbas conſtituitur XI. Calend. Februarij anno MDCCIX. in ſolatium & ſpem maximam vallis Partheniæ, utpote quem documenta Ettalenſia meritorum ordine primum, & jure *ſecundum* Monaſterij *Fundatorem* nominant. Opera ejus veniunt totius Monaſterij fabrica, ac inſigne illud e fundamentis extructum Collegium illuſtrium ſub invocatione *Ss. Joſephi & Catharinæ*, in quo primus Germanicæ nobilitatis flos, tum ſcientijs tum alijs exercitijs, quæ illuſtrem animum decent, in reipublicæ maxima commoda excreſcit. Adſint proin boni Cœlites ulterioribus tanti Præſulis conatibus, quibus nec metas nec tempora ponunt boni omnes.

Collegium illuſtrium inſtituit.

Num: CLVI.

Reverendiſſimns D. THASSILO Abbas Weſſof.

ASSISTENS Anno MDCCXII.

FIt Abbas anno MDCCVI, Vir ob regularis diſciplinæ conſervationem, & literarum propagationem laudatiſſimus, ob animi vero pietatem, Dei & Deiparæ immaculatæ zelum quam maxime memorandus: unde ad multiplicandum utriuſque cultum & rerum divinarum ac humanarum ſtudium plura præclara edidit monumenta. Nos, cum Opuſculum ſub titulo: *Clavis Aurea*, quam typis mandavit *P. Thomas*

mus Erhardt Wessofontanus Monachus, satis *Tassilonem* deprædicet, manum de tabula movemus, atq; unice
i cum *P. Corbiniano Kham* (*) Eidem apprecamur.

Duret immenso velut arbor ævo,
Præsulis virtus, vigeat, perennet!
Candida ac semper faciles sorores
Stamina ducant.

Num: CLVII.

Reverendiss. D. PETRUS Abbas Tegernseensis.

PRÆSES Anno 1724. ASSISTENS Anno 1718.

SAlisburgi e nobili Familia *Guetratheriorum* oriundus monasticam Professionem emisit anno MDCLXXXIX Idibus Novembris. Obtenta J. U. Laurea in Universitate Salisburgensi communi studio Benedictino-Bavarico per quatuordecim años Jus Pontificum tradidit, ubi insignem suam Jurisperitiam per varios tractatus & theses luci publicæ datas abunde patefecit. E Priore Abbas pronuntiatus XIII. Cal. Septembris anno MDCCXV, Interfuit seculari celebritati ab Universitate nostra, anno MDCCXVIII peractæ. Electus postea ejusdem Universitatis Præses nedum exacto Triennio, an: videlicet MDCCXXV, die vigesima prima in Domino obdormivit, ob incredibilem, quo in rem nostram literariam ferebatur, zelum, amorem, ac vigilantiam perennatura memoria dilaudandus.

Jus pontificium docet.

Num: CLVIII.

Reverendissimus. D. JLDEPHONSUS Abbas Weichenstephanensis.

ASSISTENS Anno MDCCXXI.

ANnum, quo optimus hic Præsul abbatiales curas suscepit, nec datæ a nobis ad celeberrimum Weichen-

[i] *Hierarch. August. p.* III. *Regul. Partit. I.*

chenſtephanenſe Aſceterium Epiſtolæ, nec ſedulus noſter labor inveſtigare potuit; illud tamen ab amicis, qui eundem coram venerati ſunt, accepimus, *Ildephonſum* Antiſtitem agere, a quo ſumma omnia Viri Religioſi Monaſterio polliceantur.

Num: CLIX.

Reverendiſs. D. MAXIMILIANUS Abbas Schyr. ASSISTENS Anno MDCCXXIV.

SUſceptis anno MDCCXXII Abbatialibus curis, altero mox anno Aſſiſtentis Provinciæ Bavaricæ munus admiſit, Præſul ob ſpectatas animi dotes & expertam in rebus gerendis prudentiam nemini non acceptus hodiedum muneris ſuis menſuram communi applauſu adimplet; Ei proin una mecum ſeram omnes canitiem exoptant.

Num: CLX.

Reverendiſs. D. GREGORIUS Abbas Tegernſeēſ. ASSISTENS Anno MDCCXXVII.

VIr ſcientijs apprime eruditus anno MDCCXII in Lycæo Friſingenſi Philoſophiæ præcepta diſcipulis explanavit. Aňo poſtea MDCCXXV Abbas ſalutatus, ut domi foriſque prodeſſe poſſet, in Univerſitatis noſtræ Aſſiſtentem electus eſt anno MDCCXXVII, utraque dignitate virtutum ac meritorum ſuffragio digniſſimus.

CAPUT

CAPUT IV.

De Reverendissimis, Perillustribus, Prænobilibus, & Amplissimis DD. Assistentibus perpetuis; nec non reliquis DD. Præsidibus, & Assistentibus ex Archi-Diœcesi Salisburgensi.

CUm quotidie enascentia Universitatis negotia præsentaneam subin opem exposcant, visum fuit tam Celsissimo Fundatori quam DD. Confœderatis, ut D. Abbas ad D. Petrum Salisburgi munus Assistentis peepetui obiret, tanto majori Universitatis adjutorio, quanto magis ubique Eidem præsens. Unde etiam Leges fundamentales Universitatis nostræ [tit:de Assist: n: 1.] *hæc habent :* adjungantur ei(*intellige Reverendiss: D. Præsidi*)præter Assistentem perpetuum, qui semper est Reverendiss: D. Abbas S. Petri quasi Vice-Præses, & in casibus præsertim subitis ejus officium supplens, quatuor alij &c. *Præsidet hic Reverendissimus D.*

D. Assistens perpetuus scrutinio in electione novi Præsidis & Assistentis, unam clavem ad Archivum Academicum depositam habet, ac cæteros omnes Assistentes dignitate & pracedentia antecedit. Jam eosdem breviter perstringamus.

Num: CLXI.

Reverendiss. D. JOACHIMUS Abbas S. Petri.

ASSISTENS perpetuus ab anno 1617. usque ad annum 1626.

Ex Monasterio Wessofontano ad Abbatiã vocatur.

JOachimus ex Priore Monasterij Wessofontani, ubi Monachum professus erat, a Celsissimo Principe *Marco Sittico* Monasterio D.Petri Administrator constituitur. Displicuit ea res vehementer loci illius Monachis, qui peregrinum hominem sibi præponi indignius ferebant; verum viri præclaræ dotes brevi singulos eo permoverunt, ut unanimi calculo Joachimum sibi Abbatem exposcerent anno MDCXV. Labores ejus pro incunabulis Salisburgensium scholarum deprædicat *Libri I. Cap. I. II.* & *III.* nec unquam satis grata posteritas extollet, utpote cujus industria antiquissimum illud scholarum Benedictino-Monasticarum institutum, quibus olim doctissimi quique & probatissimi Monachi præficiebantur, quæque non solum Religiosis erudiendis dicatæ erant, verum etiam in eis Seculares, Procerumque & Nobilium liberi instituebantur, postliminio revocatum est. (*) Obijt Joachimus MDCXXVI in ipso S. P. N. Benedicti

Labores pro Universitate.

b

Gg

[b] *Carolus Stengelius; postea Abbas Anhusanus in Monasteriologia de Monasterio S. Petri.*

dicti Festò sub horis vespertinis, dum Fratres in choro Antiphonam illam cantarent, *Hodie S. Benedictus per viam orientis recto tramite cælum ascendit.* Corpus ante summum Altare quiescit hoc Epitaphio.

Epitaphium. *JOACHIMUS ad D. Petri Abbas Ascetices: Restaurator sacræ Ædis: turriti præsertim fornicis, Aræ summæ Conditor: Academiæ Juvaviensis Promotor: Oeconumus perutilis: Quum per annos* X. *Menses* III. *dies* XXI. *comune bonum strenue curasset, Anno* XXVI. *Seculi* XVI (*) *Christiani, sub æquinoctium Vernum pie vitam absolvit; subter hoc marmor Judicis magni Sententiâ operturus. Quam, ne Viator occupere, prospice.* *c*

Num: CLXII.

Reverendissimus D. ALBERTUS Abbas S. Petri.

ASSISTENS perpetuus ab anno 1626. usque ad annum 1657.

Primus Univers: Rector Magnif: Abbas postulatur ex Monast: Ottoburano. *d*

ANno MDCVIII per solennia vota Ottoburanis adlectus continuo eximia probitatis & scientiæ documenta dedit. Anno dein MDCXVII in Gymnasio Salisburgensi Theologiæ moralis Professor, ac anno MDCXXII primus Universitatis Rector Magnificus, tandem anno MDCXXVI Monasterij S. Petri habenas capessijt. Quantum divorum cultui, Monasterio S. Petri, ac Universitati profuerit, abunde loquuntur quotidiana pietatis exempla, promotus D. Vitalis (*) cultus, instituta pia sodalitia, atque singularis œconomia, quibus naturæ donis id promeruit, ut

[c] *P. Mezger Hist: Salisb: Lib.* V. *Cap.* XIII. *& P. Otto Aicher in theatro funebri p.* I. *scen:* III. *ita habent: quamquam consueta & acuratior Chronologia Seculum* XVII. *numerasset.*

[d] *Invento D. Vitalis corpore Albertus Abbas Celsissimum Archi-Episcopum Paridem eo permovit, ut facultatem, quam Leo X. P. M. anno 1519. soli Monasterio S. Petri de celebrando S. Vitalis Festo sub ritu duplici concesserat, ad universam Archidiœcesin extenderet; quod etiam ab Urbano VIII. P. M. anno 1682. 12. Junij obtinuit.*

ut disciplinæ monasticæ Restaurator, commune exulantium tempore belli Suecici auxilium, Universitatis vita & anima diceretur. Æternitatem adijt III. Nonas Januarij anno MDCLVII. Marmori sepulchrali hæc incisa memoria.

Ejus Epitaphium.

STA VIATOR ET LEGE,
Sub Hoc Marmore quiescit
ALBERTUS TERTIUS,
Hujus Asceterij ABBAS
LXX.
xxx. Annis & VIII. Mensibus
Communi Bono præfuit & profuit,
Suorum Columen,
Literarum Mæcenas,
Pauperum Pater.
Deposuit onus fessus Atlas
III. Jan. Anno MDCLVII. Ætatis suæ fere LXVI.
Animam Deo, Sui memoriam Posteris,
Corpus hic terræ commendavit.
Tam bene merito quam emerito Præsuli
Bene precare.

Num: CLXIII.

Reverendissimus D. AMANDUS Abbas S. Petri.
ASSISTENS perpetuus ab anno 1657. usque ad annum 1673.

AMandus Monasticen in D. Petri Cœnobio professus Cathedram Theologiæ moralis, quam anno MDCLVI conscenderat, cum mitra Abbatiali commutavit VI. Idus Februarij anni insequentis. Vir fuit prorsus eximius, hospitalis & benignus, ac magnus literatorum cultor, quorum congressu, alloquio, & doctis cumprimis lucubrationibus delectabatur;

Publicis disputa-

tionibus frequens interest. In publicis disputationibus non tantum Spectator, sed & Actor apparebat, cum praesentia sua publicarum concertationum fervorem accenderet, easque doctissimis argumentis proveheret. Animam Creatori reddidit v. Idus Septembris an: MDCLXXIII. Monumenta ingenij *Cap. VII.* reservamus, modo sepulchralem inscriptionem apposuisse sufficiat,

Epitaph.

Viator heic pedem,
Simul genua in preces fige.
AD
JESU, MARIÆ, JOSEPHI
Amator *Pedes* en! jacet
Hujus Monasterij CAPUT & PRÆSUL LXXI
AMANDUS.
Jllius S. TRIADIS & Fraternæ Unitatis
Amator singularis, amatus omnibus.
Vi'n tesseram amoris?
Hanc & alias aras Superis,
Cellas novas Religiosis Filijs,
SIBI hic ultimam struxit,
In qua olor undique candidus,
A dolorum gemitu & amoris lessu,
Inter lilia coronandus quiesceret.
Præfuit Annis fere XVII
Bonus Paterfamilias & Pater optimus.
Vixit anno MDCLXXIII. IX. Septembris
Monumentum pijssimis manibus P.
Amans Amandi Successor
Edmundus.

Num: CLXIV.

Reverendissimus D. EDMUNDUS Abbas S. Petri.

ASSISTENS perpetuus ab anno 1673. usque ad annum 1702.

MOnasticis votis se Deo & Ordini S. Benedicti obstrinxit IX. Cal. Decembris anno MDCLIII,

In

In officio œconomi rei domesticæ curis, in munere vero Prioris puriori disciplinæ assuetus & enutritus v. Nonas Octobris anno MDCLXXIII Abbatiale pedum obtinuit. Interfuit Dedicationi Ecclesiæ Plainensis, annoque MDCXCVI primum lapidem Templo Academico posuit. Obijt XIV. Cal. Junij anno MDCCII sepultus in Ecclesia S. Petri, ubi inter alia hoc Ei elogium ponit lapis sepulchralis: *In Monasterio San-Petrensi, quod vetustum invenit, nihil reliquit vetustum præter sanctitatem & germanum candorem; nam cætera illius sic innovavit ædificijs, ut recens condidisse potius, quam antiquum restaurasse videatur.* Scripsit præterea anno MDCLXXXI Historiam Ecclesiæ Plainensis, cujus authographum nuper ad manus habuimus. *Lib. 1. c. 9.*

Primum lapidem ponit Ecclesiæ academicæ.

Ejus scripta.

Num: CLXV.

Reverendissimus D. CAROLUS Abbas S. Petri.

ASSISTENS perpetuus ab anno 1702. usque ad annum 1704.

ILlustri stemmate L. B. Schrenck a Nozing in lucem prognatus brevi generis splendorem religiosæ humilitati postponere didicit. Exin undecim prope annis Professor Academicus e primaria Theologiæ cathedra ad Præsulatus honorem omnium Confratrum suorum votis est evocatus anno MDCCII. Ea in dignitate plura desideravit agere, quam egit morte præventus immatura XIII. Cal. Augusti anno MDCCIV, ætatis quadragesimo quinto. Monumenta ingenij vide *Cap. VII.*

Illustres natales.

mors immatura.

Num: CLXVI.

Reverendissimus D. PLACIDUS Abbas S. Petri.

ASSISTENS perpetuus ab anno MDCCIV.

PLACIDUS, quod prudentia & industria valeret plurimum, in defuncti Abbatis Caroli locum subroga-

rogatus est anno MDCCIV, a quo etiam tempore tum Monasterij sibi concrediti, tum Universitatis nostræ augmentum & gloriam provehere adlaboravit. Vos Superi ulteriores de omnibus bene merendi vires, annosque canos tanto viro suppeditate.

Num: CLXVII.

Reverendiss. D. SIGISMUNDUS Abbas Seonens.

PRÆSES Anno 1626. ASSISTENS Anno 1630.

e Sigismundus, *P. Mezgero* (*) vir honoribus provincialibus magnus, doctrina & ingenio clarus, in Mariano & Monastico cultu eximius, patientiæ rarum
f exemplum; *P. Stengelio* (*) Abbas doctissimus, qui totum illum optimarum disciplinarum chorum in divinæ sapientiæ famulatum deduxit, vitam absolvit v. Cal. Nov: an: MDCXXXIV, cum Seonensi Cœnobio ab an: MDCIX laudabiliter præfuisset. Inter cætera scripta, quibus æternitati nomen suum commendavit, illud eminet, quo *Trithemij* nostri Abbatis Spanheimensis, viri de Ecclesia tot lucubrationibus optime meriti, Steganographiam a malevolorum dentibus, & magiæ nota liberavit, eaque omnia, quæ ibidem adducuntur, physicis & naturalibus principijs subnixa, ac proinde vetitæ magiæ nomine minime damnanda esse, luculenter demonstravit. En catalogum scriptorum hujus Abbatis', quem nobis submisit Reverendissimus *D. Columbanus* Seonensium dignissimus Præsul.

Vindex Trithemij.

SCRIPTA.

Vindiciæ Trithemij, seu defensio apologetica Steganographiæ a quibusdam male interpretatæ. in Quarto.

Tracta-

[e] *Hist. Salisb. Lib.* VI. *fol.* 1179.
[f] *In Præfat: ad descriptionem Monasterij Seonensis.*

Tractatus germanicus contra roseas cruces, vulgo Rosen-Creützer. in Quarto.

Tractatus II. sive refutatio contra easdem cruces sub titulo Roseæ Crucis. F. Drasonius mendax. in Quarto.

Tractatus III. contra easdem sub titulo, Nos poma natamus. MS.

Tractatus, quem nominavit: Triumphum RodoStauroticum. in fol. MS.

Tractatus von der wahren Kirchen GOttes. MS.

Tractatus de Monocerote an detur? MS.

Astrologia sacra. MS.

Sacra Exercitia & Meditationes. MS.

Autographum descriptionis Monasterij Seonensis prelo commissum opera & studio *P. Stengelij*, ubi cum sæpius legatur: *hanc inscriptionem D. Abbas sic legit*: nemo alius intelligendus nisi *Sigismundus* noster, qui etiam in serie Abbatum se Fratrem nominat.

Num: CLXVIII:

Reverendiss. D. HONORATUS Abbas Seonens. PRÆSES Anno 1637. ASSISTENS Anno 1643.

POstquam, e vivis sublato *D. Andrea* Abbate Ottoburano, ab anno MDCXXXIII officium Præsidis viduatum stetisset, rebus aliquantulum pacatis id muneris ad D. Honoratum Abbatem Seonensem devolutum est anno MDCXXXVII. Constitutus is anno MDCXXXIV, Idibus Decembris Seonensium Antistes tam artium liberalium peritia quam utili œconomia, auctis literis, varijsque ædificijs summe commendatur. Resignata III. Cal. Junij anno MDCLIII Abbatia, reliquum vitæ consumpsit in Alpibus Marianis prope Traunstein, ubi proximorum saluti in excipiendis pænitentium confessionibus, & ter admirabilis Deiparentis, cujus sacram Capellam am-

Resignata Abbatia animarum cura invigilat.

ampliarat, filiali cultui ad extremum usq; spiritum invigilans inter S. Nomina animam efflavit III. Idus Maij anno MDCLXX.

Num: CLXIX.

Reverendiss. D. MICHAEL Abbas Monasterij Michaël- Burani.

ASSISTENS Anno 1651. 1653. 1660. & 1672.

XXXII *annis Visitator Congreg: Bened: Salisb.*

PHilosophiæ Salisburgi Professor, & Archiepiscopalium Alumnorum regens Abbas eligitur anno MDCXXXVII pridie Idus Majas. Quatuor vicibus Universitatis nostræ Assistens, Congregationis autem Benedictino-Salisburgensis XXXII annis Visitator, cum ad solennes Bojcæ Electricis Exequias anno MDCLXXVI abiret, ad suas & proprias abijt apoplexia extinctus Salisburgi in Monasterio S. Petri VI. Cal. Aprilis.

Num: CLXX.

Reverendiss. D. COLUMBANUS Abbas Seonens.

ASSISTENS Anno MDCLVI.

Mon: ædificijs & novis proventibus auget.

COlumbanus hujus Nominis Primus in resignantis *Honorati* locum, suffragante parium virtutum industria, successit anno MDCLIII, confirmatus & benedictus Salisburgi XVII. Cal. Septembris. Hic ædificavit pro Conventu unam partem dormitorij, & Marianis Alpibus pro peregrinantibus peramplum hospitium; emit quoque Hoffmarchiam Obingensem. Ipso consecrationis anniversario die, quo pedum accepit, iterum deposuit anno MDCLXV, morte præmatura nimium; tanta namque pietate in sa-

cris,

cris, tanta prudentia in Oeconomicis, tanta charitate in subditos eminebat, ut omnis hominum conditio ejus Senium exposceret. Sed consummatus in brevi explevit tempora multa.

Num: CLXXI.

Reverendissimus D. PHILIPPUS Abbas ad S. Paulum in Carinthia.

ASSISTENS Anno MDCLXIII.

OChsenhusij in Suevia anno MDCVII prognatus, solenni votorum nuncupatione se constrinxit in Monasterio S. Pauli anno MDCXXII sub *Hieronymo* Abbate, electus & ipse Abbas anno MDCLXI, ut qui non nisi subesse desideraverat, invitus licet alijs præesset & prodesset: id quod aucto tam in spiritualibus quam temporalibus Monasterio feliciter præstitit. Relictis exin rebus mortalibus ad immortalitatem, quam animo semper contulit, alijsque, ut pijs meditationibus ibidem affixi hærerent, sedulus auctor & norma, demum discessit an: MDCLXXVII. Monumenta ingenij, quæ post se reliquit, hæc sunt.

Viri pietas,

SCRIPTA.

Varia Praxis exercitiorum spiritualium. MS.
Tractatus de contemplatione in genere, & specialiter de Ss. Trinitate. MS.
Exercitia annua Hominis Religiosi. MS.
Liber de regularibus disciplinis. MS.

Num: CLXXII.

Reverendiss. D. RAYMUNDUS Abbas Admont.

PRÆSES Anno 1666. ASSISTENS 1669.

RAymundus ex Perillustri Familia de Rehlingen anno MDCXVII in lucem datus generis splendorem in Monasterio Admontensi abscondit VIII.

Stemma illustre

Cal. Julij anno MDCXXXIII. Inde a teneris annis in literarijs disciplinis omnique fere liberali doctrina enutritus brevi inter præclaros sui Monasterij viros evasit: eminebat siquidem in eo præter generis gloriam, multarumque insignium virtutum cumulum optima rerum gerendarum notitia & ingenij perspicacitas. In Universitate Salisburgensi Philosophiæ & Casuum conscientiæ Professor gradatim per officium Prioris ad Abbatiam pervenit IV. Nonas Februarij anno MDCLIX. Mirum quo fervore, quantaque pietate regimen cœperit, sæpius dicere auditus *pro servanda disciplina religiosa se paratum mori*. Archi-Diaconus in Superiori Styria & iteratas Synodos ingenti zelo convocavit, & Styriæ Procerum votum de jejunando in pervigilio Immaculatæ Conceptionis B. M. V. in suas Ipse excepit manus. Præses demum Congregationis Benedictino-Salisburgensis anno MDCLXI, Deputatus Styriæ anno MDCLXII, celebri fama cunctis notissimus ad æterna evolavit anno MDCLXXV Idibus Julij.

Styriæ Proceres in pervigilio Immac: Concept: B.V. jejunium vovent.

Num: CLXXIII.

Reverendiss. D. ROMANUS Abbas Seonensis.

PRÆSES Anno 1669. ASSISTENS Anno 1666.

ROMANUS ab anno MDCXXVI usque ad annum MDCLXV in Universitatis Salisburgensis cathedris continenter versatus sexagenario jam major Abbas dicitur XIV. Cal. Novembris anno MDCLXV, benedictus in Festo S. Martini a Celsissimo Archi-Episcopo *Guidobaldo*, cui & *Maximiliano Gandolpho* Successori, S. R. E. Cardinalibus ab intimis consilijs fuit. Obijt XIV. Cal. Augusti anno reparatæ Salutis MDCLXXI, Vir de Monasterio, Ordine, ac præsertim Universitate optime meritus. Uberiora *Cap. VII.* reservamus.

LX fere añis Professorem egit.

Num:

Num: CLXXIV.

Reverendiſs. .D ADALBERTUS Abbas Seonenſ.

ASSISTENS Anno 1675. & Anno 1688.

ADalbertus ex Priore zeloſiſſimo *Romani* Succeſſor & meritorum hæres pronuntiatur an: MDCLXXI Calendis Septembris. Electus an: MDCLXXII in Viſitatorem Congregationis Benedictino-Salisburgenſis, anno vero MDCLXXIV ſacrarum Ordinis Benedictini Parthenonum per univerſam Archi-Diœceſin Saliſburgenſem; a Celſiſſimo Archi-Epiſcopo *Maximiliano Gandolpho* conſtitutus avitum pro Religione fervorem varijs exemplis probavit. Vixit anno MDCCI. pacis, charitatisque religioſæ ſemper amantiſſimus. Docuit olim Salisburgi Inferiora.

Viſitaor Ord: S. Bened.

Num: CLXXV.

Reverendiſſimus D. FRANCISCUS Abbas ad S. Lambertum.

ASSISTENS Annō MDCLXXVIII.

EX Nobiliſſima Familia de Koltenhauſen primam lucem Græcij vidit, in cujus celebri Schola accreſcente non nihil ætate a parentibus, nobilitate & virtute præſtantiſſimis, inſtitutioni liberaliori commiſſus in literis moribuſque eo contendit, ut jam tum ex puero, qui poſtea vir futurus eſſet, facile homines conjectarent. Monachum, ne quid noxæ mundana affricarent, Juvenis profeſſus, mortuo Benedicto Abbati etiamnum pene Juvenis ſuccedere jubetur anno MDCLXII. Sapiebat nihilominus in ea ætate plus veteranis, in calamitatibus imperterritus, in

Juvenis pene Abbas eligitur.

ſubditos clemens, in victu & veſtitu humilis, in conſilijs antiquæ prudentiæ, in doloribus denique, quibus cum diutius conflictabatur, rarum patientiæ documentum. Dedit Univerſitati Salisburgenſi Profeſſores plurimos, Archi-Monaſterio S. Martini in Hungaria Archi-Abbates *D. Martinum*, cultui mariano Patriæque curas, & vigilias innumeras. Sacerdos jubilæus, cum diem ſupremum ſibi imminere cerneret, Oleo exeuntium ac Ss. Eychariſtiæ Epulo ſeſe præmuniens poſt illa verba: *O Deus ego vere amo Te, & ſcio, quia etiam Tu me amas*, animam efflavit VII. Nonas Februarij anno MDCCVII, Regiminis quadrageſimo quinto. Ante obitum porro religioſis Filijs Benedictionem ultimam daturus erectis in cœlum manibus oculiſve illam orationem pronuntiavit: *Reſpice quæſumus Domine ſuper hanc Familiam tuam &c.* Cumque mœſtiſſimi Filij offenſarum veniam peterent, inter lacrymas & ſuſpiria exclamavit: *Ego debeo deprecari, & deprecor omnes defectus, exceſſus, negligentias meas, & utinam omnes Fratres mei adeſſent, ut omnibus deprecari poſſem, in quibus eos offendi*; & identidem Crucifixi Imaginem diſſuavians hæc pauca, at ſanctiſſima verba repetebat: *O unicum ſolatium meum, nihil deſidero in hoc mundo, niſi Te Deum meum!* Ecce mortem Juſtorum.

Mors pijſſima.

Num: CLXXVI.

Reverendiſſimus D. ALBERTUS Abbas S. Pauli. ASSISTENS Anno 1681. & 1691.

CLagenfurti in lucem editus quamprimum annum ætatis vigeſimum attigit, ut ſibi alijſq; cumulatius prodeſſet, ſuam caſtitatem, arbitrij, rerumque terrenarum abdicationem Deo ſolennibus votis dedicavit, anno MDCLX, a quo tempore etiam ceu ſpecu-

Speculum virtutis.

ſpeculum conſumatæ probitatis inter ſuos luxit. In literis & ſcriptionibus aſſiduus, poſt officia Subprioris, Parochi ad S. Martinum, & Præfecti in Dominio Lembacenſi, ubi ſimul Theologiam ſpeculativam diſcipulis tradidit, Abbas eligitur an: MDCLXXVII. Egit anno MDCCXVI annum Sacerdotij quinquageſimum, cui hoc ipſo anno, quo hæc ſcribimus, etiamnum ad clavum ſedenti non ſolum Abbatiæ Jubilæum, ſed etiam ulteriora tempora animitus apprecamur. Ejus lucubrationes &

Sacerdos jubilæus.

Monumenta ingenij.

SCRIPTA.

Breviarium ſeu compendium Hiſtoriæ Carinthiacæ. in Octavo.
Concordantia Regulæ S. P. Benedicti. in Octavo.
Scena Dominicæ Paſſionis, ſeu celebratio Sacrificij Miſſæ. in Duodec.
Junior Tobias Viator, ſeu Filius Dei in terram deſcendens. in Folio.
Siſtema ſeu tabula de virtute Juſtitiæ.
Pugna ſpiritualis V. P. Antonij Mariæ de Cortivo *in Latinum verſa.* in Octavo.

Num: CLXXVII.

Reverendiſs. D. EDMUNDUS Abbas Oſſiacenſ.

PRÆSES, Anno 1697. ASSISTENS Anno 1685. 1694. & 1700.

IN Matriculam Univerſitatis & religioſi Convictus relatus anno MDCLXII Abbatiam adijt an: MDCLXXXII. Præſulis hujus merita ſub primis ſtatim initijs effulſerunt, ac in dies novis incrementis adaucta ſunt, prout fuſius perſtringit *P. Paulus Mezger in Dedicat: ad Part: III. ſuccinct: Meditat:* Poſtquam igitur Monaſterium varijs ædificijs, Bibliothecam Libris, Eccleſiam pretioſis veſtibus exornaſſet, Spiritum Deo reddidit Nonis Februarij an: MDCCXXV, Abbatiæ quadrageſimo tertio. Typis vulgavit *Tractatum de Deo Uno & Trino.*

Profuit dum Præfuit 43. An:

Scripta.

Num:

Num: CLXXVIII.

Reverendiss. D. MARIANUS Abbas ad S. Vitum.

ASSISTENS Anno MDCXCVII.

VIR fortis & intrepidus, quemque ob singularem divini cultus zelum, ac indefessum plane studium, quo Monasterij sibi concrediti proventus augere satagebat, literæ mortuales primis ejusdem loci Fundatoribus comparant, Abbas salutatus est, anno elapsi Seculi nonagesimo quinto. Eo in munere, licet varia subin urgerent negotia, nihil unquam a primævo Monasticæ vitæ fervore sibi relaxabat, sed ut id, quod verbis docebat, factis comprobaret, recte vivendi normam vita moribusque præfetulit, nec facile diem præterlabi sinebat, quin matutinis quoque horis psallentium choro interesset. Monasterium, quod anno MDCCVIII subitaneum incendium misere devastarat, magna ex parte restituit. Viribus demum fractus, ubi Abbatiales curas Successori suo *D. Gregorio*, Viro undequaque laudatissimo, resignasset, in Domino feliciter obdormivit octavo Idus Februarij anno MDCCXXIII. Plura vide *Cap. VII.*

Comparatur primis Fundatoribus.

Monasterium restaurat.

Resignat & moritur.

Num: CLXXIX.

Reverendiss. D. MARIANUS Abbas Admontens.

ASSISTENS Anno MDCCIII.

MArianus, Lyncensis Styrus, a teneris unguiculis solidiori literarum culturæ admotus progressus in ijs neutiquam pœnitendos habuit: Præprimis vero vitam omnem instituit cum singulari pietate conjunctam, ex qua similitudinem ducerent alij. Perspectæ tanti Viri prudentiæ ac virtuti Abbatialis dignitas delata quidem fuit anno MDCCII, Mors tamen invidit, & ad tumulum rapuit an: MDCCVII. Plura vide *Cap. VII.*

Abbas electus brevi moritur.

Num:

Num: CLXXX.

Reverendiſs. D. COLUMBANUS Abb: Seonenſ.
ASSISTENS Anno MDCCVI.

COlumbanus hujus Nominis Secundus, an: MDCXC Nonis Aprilis Promotore *P. Paulo Mezger* J. U. Licentiatus Salisburgi creatus ibidem Religioſi Convictus Regentem egit anno MDCLXXXVIII. E Priore poſtmodum Abbas dictus an: MDCCI, a Celſiſſimo Archi-Epiſcopo *Joanne Erneſto* Benedictinarum Parthenonum per Archidiœceſin Salisburgenſem Viſitator deſtinatur. Neque unquam ab eo tempore de alijs bene mereri deſijt, ſed potius novis in dies meritis & laboribus pro Monaſterio & Ordine ſuſceptis adauxit, donec mors finem indixit anno MDCCXXVII.

Viſitator Ordinis.

Num: CLXXXI.

Reverendiſs. D. ANSELMUS Abbas Admontenſ.
PRÆSES Anno 1709. ASSISTENS Anno 1712.

EX Nobili Familia *DD. Lürzer* a Zechenthal ortus Monaſterium ingreditur anno MDCLXXXI, expletoque probationis anno ſe vitam ad Benedictinæ Regulæ præcepta attemperaturum ſpopondit anno MDCLXXXII menſe Novembris, in Feſto D. Virginis in templo præſentatæ. Neque unquam a ſemel cœpto vivendi inſtituto ceſſavit *Anſelmus*, ſed in dies novis incrementis adeo adauxit, ut omnium oculi eum ſibi Abbatem expeterent IV. Nonas Maij anno MDCCVII. Obitis varijs Legationibus, pie, ut ſemper vixerat, moritur VIII. Idus Maij, anno MDCCXVIII.

Natales.

Obitus.

Num:

Num: CLXXXII.

Reverendiss. D. JOSEPHUS Abbas Michaël-B.

ASSISTENS Anno MDCCIX.

Animam sortitus bonam & docilem, ut eam servaret & excoleret, sanctæ obedientiæ jugo subdidit in Monasterio Michaël-Burano. Domi Professor, Novitiorum Magister, & Prior, Vindobonæ causam Obersulzensem, totius Seculi hucusque negotium, novennio feliciter expedivit; unde in laboris pretium Abbatiam reportavit an: MDCXCVI. Vir a natura mansuetissimus, ita regularem discretionem, quam toties Præsulibus & Præpositis commendat S. P. Benedictus in sacrata sua Regula, sibi sociavit, ut ab universis plus amaretur quam timeretur. Calida tandem febri correptus tertio die inter suspirantes & precantes Filios placidissime summum diem, & annum supra Millesimum Septingentesimum decimum tertium clausit, ætatis LX.

Vir discretus

Num: CLXXXIII.

Reverendiss. D. PLACIDUS Abbas Michaël-B.

PRÆSES Anno 1721. ASSISTENS Anno 1715. 1718. & 1724.

Scientias, quas Salisburgi in Convictu Religiosorum hauserat, ibidem iterum discipulis elargitus est. Abbas anno MDCCXIV, ut omnibus prodesset, electus cunctorum animos & vota promeretur, pius, sapiens, hospitalis; Ei proin longævam regiminis canitiem Supremum Numen largiri dignetur.

Num: CLXXXIV.

Reverendiss. D. ANTONIUS Abbas ad S. Lamb.

ASSISTENS Anno MDCCXXI.

Græcium inter Styriæ Civitates præcipua Antonium genuit VIII. Idus Decembris anno MDCLVI, Monasterium vero S. Lamberti a puero in scho-

lis

lis suis educavit, ubi infans adhuc excelsæ indolis argumenta quotidie præbere, ac ætatem dotibus supergredi cœperat. Deo itaque ac Religioni maturus sacram Professionem, quam tantis votis concupierat, VI. Idus Decembris anno MDCLXXVII emisit. Specimina ejus scientiæ Salisburgum ac Monasterium B. V. ad Scotos Viennæ vidit: hoc in Theologiæ, illud in Philosophiæ prælectionibus. Abbas electus anno MDCCVII, postquam pari encomio S. Lamberti Asceterio præfuisset, hoc, quod mortale est, posuit anno MDCCXXV.

Theologiam ac Philosophiam docet.

Num: CLXXXV.

Reverendiss. D. GREGORIUS Abb: ad S. Vitum.

ASSISTENS Anno MDCCXXVII.

DEfuncto *D. Mariano* Abbate S. Viti cis Rhotam, anno MDCCXXIII in ejus locum subrogatus est D. Gregorius, Vir varijs animi ornamentis praeditus, nec minori scientiarum apparatu in Universitate nostra excultus. Ne proin in aliquo, quo viri de re literaria bene meriti honorari solent, Antecessori suo cederet, in academicis comitijs VII. Calendas Junij anno MDCCXXVII de more celebratis Provinciæ Salisburgensi Assistens datus est, hodieque hac prærogativa fruitur. Vivat!

Tempore plura suo.



Pijs Manibus
Reverendissimi DD. GREGORIJ REUBIJ ABBATIS
Ottoburani XLVI.
Ob vindicatam Monasterij Libertatem,
Restitutum disciplinæ rigorem,
Ob posita Universitatis Salisburgensis fundamenta,
Et alia magna opera meritissimo
Posuerunt grata posteritas,
Benedictus Abbas & Conventus Ottoburanus
ANNO MDCLXXXII.

Num: CLXXXVII.

Reverendissimus D. MARTINUS Abbas Congregationis S. Blasij in Nigra Sylva.

ASSISTENS Anno MDCXIX.

Ejus Elogium. *Primus Confœderationem academicam init.*

MARTINUS Vir cum cura nobis dicendus, & in quo nemo unquam vel in rebus gerendis solertiam, vel in dando consilio fidem, vel in vitæ instituto innocentiam desiderare potuit, a suis Confratribus Abbas eligitur VI. Cal. Octobris anno MDXCVI: vere *ornamentum, gloria, flos, gemma & oculus Congregationis San-Blasianæ.* (*) Primus ex Provincia Suevica qui Confœderationis instrumentum *Vid. fol.* 31. subscripserat, gliscentem in bonas artes animum ab eo die vehementius prodere cœpit, dum Universitatem tanta sedulitate adjutam voluit, ac si universæ propemodum Patriæ negotium & salus ageretur. Quadraginta Sanctorum Corporibus Roma asportatis, plurimis ædificijs, ac coëmptis diversis bonis, Congregationis & Monasterij S. Blasij si ullus alius, quem-

i i 2 que

[a] *P. Beringerus Kofer e S. Blasio in corona gloriæ & serto exultationis, seu Chronico San-Blasiano.* MS. *in fol.*

que Antecessorum superavit nullus, ampliator mirificus, ita de universis suæ curæ & muneri commissis promeritus est, ut facilius sit ejus laudes admirari quam verbis exprimere, adeo in eo omnia fuere maxima, sive oris facundiam, morum integritatem, solertem œconomiam & liberalitatem, postremo & cum admirabili comitate incredibilem auctoritatem intueare. Ejus proinde apud S. Blasianos suos gratissima & gloriosissima memoria etiam post tristia funera, quæ XVIII. Calendas Octobris anno MDCXXV, magno animo subijt, semper perdurat.

In ampliandis bonis Præsul maximus.

Num: CLXXXVIII.

Reverendissimus D. BLASIUS Abbas Congregationis S. Blasij in Sylva Nigra.

ASSISTENS Anno MDCXXVI.

ANno MDLXXII ab honestis parentibus procreatus, XV. Cal. Octobris anno MDXCII solennia vota in D. Blasio emisit. Absolutis dein in Universitate Dilingana studijs, Domi per *Præpositi in Bürglen & Prioris* officia tandem abbatialem mitram promeruit, quam illi morum amabilis gravitas, exquisita doctrina, ac ardentissimum monasticæ observantiæ studium imposuit XV. Cal. Octobris anno MDCXXV. Maximæ Dei Matris cultor singularis Templum cidem Todtmosianum (*) nec non monialibus in *Beravv* (*) Ecclesiam regularem extruxit; ab Augustissimo

Virgini Todtmosianę Templum extruxit.
b
c

[b] *Todtmoos peregrinatio celebris D. Virginis in Sylva Nigra anno 1319. a Luipoldo Archiduce Austriæ Monasterio S. Blasij incorporatur; de qua Stengelius* in Hodæporico Ben: Mariano. *Et Buzelinus* in Chronologia Mariano-Benedictina *pluribus mentionem ingerunt.*

[c] *Berovium Sanctimonialium Ord: S. Bened: Monasterium Congregationis Sancti Blasij, Seculo XII sub Rusteno Abbate S. Blasij originem habuit.*

ſimo vero Jmperatore *Ferdinando II.* Monaſterium

d Ferdin: Jmpera: Laureacenſe cœnobiū ei comittit.

(*) Laureacenſe in Wirtenbergia ſitum certis legibus & conditionibus ſuo Monaſterio obtinuit. Peſtiferam luem bis inter filios & ſubditos, extremam autem belli ſævitiam in ſe ſuisq; expertus illud infortunij auctuarium habuit, quod nec in Aſceterio ſuo mortem obire, nec pro voto tumulari potuerit. Obijt in Præpoſitura Clignovienſi VIII. Idus Septembris anno MDCXXXVIII ſepultus in vicina Cella regulari Wiſlighofienſi ante ſummum Altare, ubi in cornu Evangelij hæc inſcriptio extat.

Obit in exilio.

Anno MDCXXXVIII. quo Alſatiam, Briſgojam, Herçyniam Suecici fœderis Weinmarius miles Auſtriacis eripuit, Reverendiſſimus DD. Blaſius II. Abbas S. *Blaſij XXXVII. Ætatis ſuæ* LXVI. *Regiminis* XIII. *exul S. Mauritij acidulas in Rhætia bibit. In reditu actis D. Virgini in ſacra ejus Eremo gratijs,* XXI. *Auguſti febri corripitur, Clignovium defertur, &* VI. *Septembris moritur. Hic plenus virtute dormit, ac te exſpectat.* In cornu vero Epiſtolæ ſequentia leguntur. *Reverendiſſimus DD. Franciſcus Abbas S. Blaſij* XXXVIII. *exuli Anteceſſori Blaſio exul Succeſſor hanc aram, ut vides, novam poſuit. Cauſam audi. Ultimum morientis mandatum fuit: in* S. *Blaſio me Blaſium tumulate veſtrum. Heu! quod omnes voluerunt nemo poteſt, luditur omnis conatus. Cur? rogas. Hoſtis noſtram habet Patriam. Ergo hic poſitus. Tu tria da verba: Requieſcat in pace.*

Inſcriptio Loco Epitaphij duplex.

Num: CLXXXIX.

Reverendiſs. D. ANDREAS Abbas Ottoburanus.

PRÆSES Anno MDCXXX.

CUm prima colonia Benedictina anno MDCXVII Salisburgum venit Rhetorices Profeſſor. Primus

[d] *Laureacum Ord:S.Ben: Monaſterium fundatum an:* 1102. *an:* 1556. *occupatur a Chriſtoph: Duce Wirtenbergiæ: e cujus manibus a Ferdinando II. Jmperat. ereptum Monaſterio S. Blaſij committitur anno* 1630. *Venit hoc Monaſt: denuo ad Manus Acatholicorum an:* 1648.

doctorali Laurea ex utroque Jure in Universitate Salisburgensi Promotore *P. Thoma Mariano* donatus, mox ibidem Juris canonici cathedram, in Monasterio D. Petri Prioratum, anno demum MDCXXVIII Regimen Jmperialis Ottoburani Cœnobij impetravit.

Exul moritur. Ob Suecorum turbines exul Lindavij vitam posuit III. Nonas Martij anno MDCXXXIII, tumulo illatus in Monasterio Augiæ Majoris Ord: S. Benedicti, in quo videtur cippus grandis cum statua Andreæ Abbatis, hoc annexo Epitaphio.

Epitaphium. *Reverendissimo & Amplissimo DD. Andreæ Vogt, Lib: & Jmper: Monasterij Ottoburani Abbati* XXXXVII, *sed uno tantum lustro Abbati, qui a Suecico bello exul anno MDCXXXIII Lindavij mortuus in pace requiescit. Hic tumulato hoc monumentum L. L. M. posuit grata & pia posteritas,* Benedictus *Abbas*, Jacobus *Prior*, & Conventus *Ottoburanus anno MDCLXXX.*

Num: cxc.

Revmus D. JOANNES Abb: ad S. Udal: & Afram.

ASSISTENS Anno MDCXXX.

JOannes hujus Nominis Octavus, Cal. Martij anno MDC Abbas constituitur. Pius in Superos, & eisdem novas aras posuit, & S. Symberti (*) festum, ut sub

[e] *Symbertus, Zimbrectus, & Ximbertus ex Ordine D. Benedicti Episcopus Augustanus* XI. *eligitur anno* 779. *al.* 781. *al.* 788. *al.* 803. *Obijt anno* 809. *al.* 818. *al.* 827. & 832. *die* 13. *Octobris. Fuit is juxta P. Corbinianum Kham,* in Hierarch: Aug: p. I. Cath: cap. VI. class. II. sect. I. *ex Abbate Murbacensi ad Episcopatum Augustanum assumptus; in catalogo tamen Abbatum Murbacensium apud P. Buzelinum in* Germ: sacr: p. altera *nullum Symbertum ante annum* 1190. *invenimus, nisi dicere velimus Hasibertum cum Symberto confundi; sed & huic jam anno* 774 *successit Amicus Abbas.*

Festum S. Symberti ab eo promotum. Hujus loci Abbates sunt Sacellani perpetui Imperatorum.

ſub ritu duplici per univerſam Diœceſin celebrari poſſet, *a Gregorio XV. S. P.* anno MDCXXIV obtinuit. Acceptus quoque ſummis Principibus a *Mathia* Imperatore omnium Privilegiorum confirmationem anno MDCXIII, a *Ferdinando II.* Imperatore Cæſarei Conſiliarij Actualis, & Sacellani perpetui titulum etiam in Succeſſores derivandum, ampliſſimo diplomate accepit IV. Nonas Februarij anno MDCXXIX. Aſſiſtens præterea Univerſitatis noſtræ plurimis Conventibus, quos DD. Confœderati ibidem indixerant, præſens interfuit, ſuaque authoritate ut plurimum promovit fœdus inter quoſdam DD. Abbates ſtabilitum. Obijt Swazij in Tyroli, cum hoſtem quidem Suecicum, minime autem mortem effugeret, XII. Cal. Auguſti anno MDCXXXII, ſepultus ibidem in Eccleſia PP. Franciſcanorum. (*) Dedit e ſuis Conventualibus Abbates ad Monaſterium Svvarzachienſe *D. Caſſianum*; ad Monaſterium vero Anhuſanum *D. Carolum Stengelium* Virum literis clariſſimum.

Obit Svvazij.

f

Num: CXCI:

Revmus D. BERNARDUS Abb:ad S.Udal: & Afr.

PRÆSES Anno 1643. ASSISTENS Anno 1637. 1651.& 1660.

Nobilibus parentibus natus.

EX Nobili Familia *D. Hertfelder* de Hettingen anno MDLXXXVII progenitus virtute ac rebus geſtis nobilitatem ſuperavit. Abſolutis Romæ in Collegio Germanico S. Apollinaris ſeverioribus literis, domi per ſeptendecim annos Priorem egit: Quo in munere tanta ſibi cumulavit merita, ut *Joanne* Abbate

[*f*] *Epitaphium vide apud P. Ottonem Aicher* in ſuppl. ad Theat: Funeb: Scen. III.

bate anno MDCXXXII vita exuto, v. Idus Augusti ejusdem anni, turbulentissimo licet tempore ob Lutheranorum impios furores, Monasterij S. Udalrici Administrator, & tandem XII. Calend. Junij anno MDCXXXV omnium suffragijs Abbas decerneretur, relicto universis dubio, an plura fecerit, an majora tulerit. Hostium sane persecutiones fortitudine, iniqua tempora patientia, omnium animos amore & humanitate vicit ac devinxit, unica fere Religionis Catholicæ anchora; pulso siquidem XIV. Cal. Junij an: MDCXXXIII universo clero sex Civitatis Augustanæ Parochias in quatuor redegit, ac per suos Monachos providit; cumq; insana Lutheranorum Rabies III. Idus Aprilis anno MDCXXXIV S. Udalricianos quoque Monachos e suo Monasterio expulisset, in deserto Societatis Jesu Collegio statis diebus divina officia peregit ad usque annum MDCXXXV, quo a Cæsareo milite occupata Urbs Augustana, Cleroque suæ Ecclesiæ restitutæ sunt VIII. Idus Aprilis. (*) Ordini quoque Benedictino Liezheimense sanctimonialium Cœnobium (*) quod a Serenissimo Duce Palatino Neoburgico año MDCLV receperat, vindicavit, suoque Monasterio adunivit. Tot tantisque meritis cumulatus transijt ad vitam immortalem anno MDCLXIV pridie Idus Maij, ætatis septuagesimo septimo. Ejus encomia fusius deprædicat Epitaphium, quod Lectori hic communicamus.

Abbas eligitur.

Pulso Augusta Clero solus cum suis Sacramẽta administrat.

g b

Caute

[g] *P. Corbinianus Kham. Hierarch: Aug: p.* III. *regul. cap.* I. *sect.* XXXVIII

[h] *Liezheimium in Palatinatu situm primitus fundatum fuit anno MCLV a Gutta de Werdenberg Alberti Comitis de Dilingen conjuge pro undecim Monialibus nobilibus.*

CAUTE VIATOR PEDEM FIGE,
HIC JACET
GEMMA Ordinis, Disciplinæ *SPECULUM*,
BERNARDUS ABBAS
Jmp. hujus Monasterij *Undequinquagesimus*:
At inter Primos numerandus,
Si Virtutem & Merita censes.
S. Cæsareæ Majestatis Consiliarius & Sacellanus;
Utroque Se dignum Titulo
Prudentia & pietate probavit;
Honores tamen, cum nullos quæreret, passim inveniret;
Rarum honoratæ humilitatis exemplum fulsit.
Prælatum mansuetudo, Virum patientia ostendit,
Mobili ad Dei nutum animo, ad fortunæ casus immoto,
Nec inter prospera elato, nec inter adversa dejecto.
Nactus inter maximos bellorum turbines clavum,
Cum varia fortuna, constanti virtute, perenni laude,
XXXII Annos tenuisset,
Tandem ad portum æternitatis in pace quievit:
Mortuus pridie Idus Majas A. D. MDCLXIV.
Ætatis suæ LXXVII. Profess: LX. Sacerdotij LII.
Cujus virtus ut ad exemplum,
Merita ad famam posthumam perennarent,
Eidem
Meritissimo Antecessori, optimo Patri
Hoc Monumentum
Gregorius Abbas, Successor gratus
Memor posuit.

Monumenta porro ingenij a Bernardo edita ne intacta relinquamus: eorum catalogum annectimus.

Basilica Ss. Udalrici & Afræ, historice delineata, ac figuris æneis illustris, edita anno MDCLIII.

Chronicon Templi & Abbatum Monasterij Ss. Udalrici & Afræ, nec

non *exegesis rerum Sueco- Augustanarum*: utrumque opus orbi vulgavit anno eodem.

Scala cœli meditationibus pijs & utilibus instructa, typis excusa an: 1655.

Num: CXCII.

Reverendiss: D. MAURUS Abbas Ursinensis.

ASSISTENS Anno MDCLIII.

MAurus an: MDCXXVII ad clavũ sedere cœpit, si tamen sedit, qui tot periculis & ærumnis exagitatus fuit. Decies Monasterium suum a Suecico milite expilari, Religiosos plerosque in exilio mortem oppetere, ac denique quod irreparabile malorum caput, pretiosa quæque & archivi documenta, quæ in Monasterio Creüzlingano Canonicorum Regularium S. Augustini prope Constantiam, ceu tuto asylo, reposuerat, anno MDCXXXIII injectis ab *Hornio* flammis penitus absumi, postquam fortiter & constanter tulisset, conclusa tandem anno MDCXLVIII Monasterij-Westphalorum pace respirare cœpit; nec respiravit solum, sed quassata ædificia, Monasteriumque ita restituit, ut ab *Ursinio* secundus quasi Fundator merito suspiciatur. Ad cœlos abijt anno MDCLXVI.

Afflicta Monasterij sui res, quas tamen iterum restaurat.

Num: CXCIII.

Reverendiss. D. PETRUS Abbas Ottoburanus.

ASSISTENS Anno 1656. & 1663.

NAtus Landspergij non ignobili Superioris Bavariæ Oppido anno MDCIX iterum terrenis se abdicavit in Cœnobio Ottoburano IV. Nonas Februarij anno MDCXXVI. Accepta dein anno MDCLV Abbatiali Mitra plurimas curas eo contulit, ut ædificia, quæ diuturna bella labefactaverant, denuo restauraret, pristinamque disciplinæ monasticæ obser-

Ædificia & disci-

plinarum restaurat. vantiam stabiliret, donec plura meditantem mors avocavit anno MDCLXXII Idibus Martij. Sepultus est ante Altare D. Virginis unacum hoc Epitaphio.

PETRUS sub petra hac olim Dignissimus *ABBAS*
Utilis is claustro per tria lustra fuit.
Debita diminuit, proventus pervigil auxit,
Rexit & insigni dexteritate Suos.
Laudes hinc summas, Titulos, Nomenque jubentur
Saxa loqui, tanti non moritura Viri.

Num: CXCIV.

Rev.mus D. GREGORIUS Abb. ad S. Udal. & Af. ASSISTENS Anno 1666. & 1672.

AUgustæ XVI. Cal. Maij anno MDCXVI in lucem datus, S. Religionem vovit IV. Cal. Novembris anno MDCXXXIX. Functus est in Universitate nostra officio subregentis in Religioso convictu anno MDCXLV, Regentis anno MDCXLVIII, Oeconomi Collegij anno MDCLII. Salisburgo Augustam redux ex Priore Abbas renuntiatur IV. Idus Junij anno MDCLXIV. Visitator Ordinis Benedictini per Dioecesin Augustanã alicubi Religionem languentem novis incitamentis animavit, alibi florentem fovit & auxit; hic conservator, illic restaurator: Erat enim *Gregorius*, ut domestici Scriptoris verbis utamur (*) *Vir omnino magnificus, judicio præstantissimus, in rebus agendis providus, celer, animosus, severiorum doctrinarum apprime peritus, architecturæ aliarumque scientiarum expertissimus*; *insignis Organœdus*, *cantus Gregoriani accuratus Phonascus*; *disciplinæ monasticæ Observator*, *Reformator*, *ac Promotor*; *incomparabilis Jurium Monasterij Conservator & acerrimus Defensor*. Obijt v. Idus Novembris anno MDCLXXIV. Ejus Epitaphium in domo capitulari est tale.

Ubique disciplinam restaurare satagit.

[i] Elogium ab Authore domestico.

kk2 *VIA-*

[i] *P. Corbin: Kham Hierarch: Aug: p.* II. *Colleg: cap.* X. *Class.* III.

VIATOR
Lege & Luge.
Hic Jacet
GREGORIUS ABBAS L.
Virtute, Prudentia, Pietate,
Clarissimus,
Præfuit & profuit annis x.
Tandem
Post novam Cœnobij structuram
Resque præclare gestas
Quievit in Pace
IX. Novemb: anno MDCLXXIV.
Ætatis LIX.
SVI
Ad famam posthumam
Hoc Monumentum
Romanus Abbas
S. M. P.

Num: CXCV.

Reverendissimus D. ODDO Abbas Congregationis S. Blasij in Sylva Nigra.

ASSISTENS Anno MDCLXIX.

Obitæ ab Eo Legationes.

PAtria Elvacensis Romæ in Collegio Germanico sub cura PP. Societatis Jesu a primis jam annis majoribus aptam indolem ita excoluit, ut per diversa munia, ac varias Romam, Viennam, Pragam, Oenipontum, diversosque tum Ecclesiasticos tum Seculares Viros Principes obitas Legationes unus omnium Congregationis San-Blasianæ animos & vota in se converterit anno MDCLXIV, quo x. Cal. Julij tot lacrymis recusatum Abbatiale pedum invitus suscepit.

ſcepit. Divini honoris & exactioris diſciplinæ Zelotes ſuaviſſimus, æris multum, curarum plurimum in utriuſque incrementum impendit; reſtitutus itaque ab eo Templi decor, Altaria recens erecta, ſacra ſupellex ſumptuoſe comparata, ac inchoata nova Conventus ſtructura ordinatiori rerum agendarum utilitati perquam accomoda. Verum, ut nunquam mortalibus diuturna in terris habitatio, necdum expleto regiminis octennio Congregationi San-Blaſianæ ereptus eſt IX. Cal. Martij anno MDCLXXII, etiam poſt fata virtutis & doctrinæ ſuffragio immortalis. Epitaphium Ei Succeſſor hoc breve poſuit. *Anno MDCLXXII.* XXI. *Februarij pie obijt Reverendiſſimus & Ampliſſimus DD. Oddo* XXXIX. *Antiſtes hujus Baſilicæ, quæ modernum ei decorem, ut S. Uttoni* (*) *Anteceſſori ſua primordia, debet. Hic ergo ſit dulcis quies corpori & animæ ſempiternum præmium cum Beatis.*

brevi moritur.

k

Num: CXCVI.

Reverendiſs. D. ALPHONSUS Abbas Weingart. PRÆSES Anno 1675. ASSISTENS Anno 1678.

Virum hic proponimus, cujus meritis nunquam ſat dignas laudes grata Univerſitas reddere poterit; electus enimvero anno MDCLII in Rectorem Magnificum illud *Octaviani Auguſti* encomium ſibi vendicavit, ſe in Univerſitatem, quam lateritiam invenerat, conſtructo anno MDCLV religioſo convictu, theatro academico, adornata bibliotheca, novo

Merita in Academiam.

[k] *Utto Comes a Kyburg anno* 1086. *Abbas S. Blaſij eligitur. Is, cum aureum filum in forma Crucis extenſum inveniſſet, eo divinitus novæ Eccleſiæ formam demonſtrari pie arbitratus, Eccleſiam Regularem, quæ hodiedum extat, eo loco abſolvit anno* 1108. *Dedicavit eandem Gebhardus Epiſcopus Conſtantienſis. Obijt autem Utto anno eodem* VIII. *Cal. Octobris.*

vo Collegij sacello, instituta militia angelica, nec non Ecclesiæ Plainensis accessione, marmoream reliquisse. Enarravimus hæc cuncta fusius *Lib.1.cap.*VI. VII. VIII.*&* IX.& redibit sermo Libri hujus *cap.*VII. Ut autem Jmperiale quoque Monasterium ad Vineas *Alphonsi* potenti umbra frueretur, eundem VII. Idus Septembris anno MDCLXXIII Abbatem delegit. Quanta is vigilantia, prudentiaque novam hanc Provinciam subjerit, non est, quod multis hic loci deprædicemus, cum ex anteactis præclare gestis facile quivis intelligat, *Alphonsum* omnes numeros *providi, prudentis*, & *zelosi* Præsulis implevisse. Quod & feliciter præstitit ad annum usq; MDCLXXXIII, quo pijssime mortalem hanc vitam deseruit, XIV Cal. Aug.

Abbas eligitur.

Num: CXCVII.

Reverendiss. D. BENEDICTUS Abbas Ottobur. ASSISTENS Anno 1675. & 1681.

Benedictus ob singularem modestiam, animi moderationem & solitudinis amorem laudatus multum, Ottoburani Cœnobij Præsul designatur anno MDCLXXII Nonis Aprilis. Ejus pietas in Virginem Deiparam extitit prorsus eximia. Hinc, ut Patronæ suæ cultum promoveret, prope Ecclesiam Elderensem, in qua jam ab anno MCCCCLXVI miraculosa B. V. Imago magno peregrinantium accursu coli cœpit, parvum Cœnobium exstrui curavit, quin & ipse aliquot annis ibidem habitavit, nunc vero quidam ex Ottoburanis Patribus ibidem divina peragunt. Par fuit monasticæ disciplinæ zelus in Eo, major tamen solitudinis amor. Hac ut eo securius frui, solique Deo servire posset, rerum mundanarum curis & Abbatia se abdicavit III. Cal. Octobris anno MDCLXXXVIII, defunctus XIII. Cal. Martij anno MDCCXI.

Pietas erga D. Virginem.

Resignat Abbatiam.

Num:

Num: CXCVIII.

Reverendiſs. D. ÆMILIANUS Abbas Urſinenſ. ASSISTENS Anno MDCLXXXV.

COncordibus eligentium votis velut per inſpirationem Abbas decernitur VI. Cal. Julij an: MDCLXXVII ætate quidem infimus, moribus tamen & pietate ſenior ac grandævus: cumque eſſet vir ex aſſe mitis, modeſtus, vigilans, & egregie in negotijs imperialibus verſatus, anno MDCLXXXVI in Jmperialis Collegij Reverendiſſimorum DD. Prælatorum Circuli Suevici Condirectorem aſſumptus eſt. Recoluit anno MDCLXXXII annum quinquies Secularem (*) ab ortu Monaſterij Urſinenſis. At, cum vitam contemplativam omnibus præhaberet, atque infirmum corpus circumferre videretur, Abbatiam depoſuit anno MDCXCII. Exin ſolitariæ vitæ addictus mundana deſpicere, atque ſola cœleſtia auhelare tanto liberius cœpit, quanto majori ſenſu in ſuperna ferebatur, magisque ab hominum conſortio, a quo plerumque minores redimus, alienus. Superfuit etiamnum, ni fallimur, anno MDCCXIX inter pſallentium choros diu noctuque præſens: an vero hodiedum in vivis agat, vel quo obierit anno, ignoramus;

[1] Annus quinquies ſecularis Monaſt: Urſinenſ.

Abbatiam deponit.

Num: CXCIX.

Reverendiſs. D. WILLIBALDUS Abb: Weingart. PRÆSES Anno 1685. ASSISTENS Anno 1688.

EX Nobili Familia *DD. Koboldt* a Thambach anno MDCXLI Lindavij in lucem productus, cucullum

Nobili-

[1] *Urſinum; Urſinium, Irſen, & Irſe Fundatur anno* 1182. *ab Henrico Marchione de Ronſperg ſeu Rumſperg, poſtulato anno* 1185. *primo Abbate Chunone ex Monaſterio Ottoburano.*

bus parentibus natus, lum perpetuo voto induit VIII. Idus Maij an: MDCLVIII. In Monasterio Philosophiæ & Ss. Canonum Professor, Salisburgi munus Regentis religiosi convictus subijt ab anno MDCLXXV usque ad annum MDCLXXXI. Vocatus ad idem officium an: MDCLXXXIII, dum se itineri accingit, *Abbas eligitur.* Abbas præesse jubetur die S. Magdalenæ sacro. Monasterium non exigui operis granario, Prioratum Hofensem (*) [m] Ecclesia, quam tamen ad finem non perduxit, augere sedulus adlaboravit, condidissetque plura, si Conditor longiorem vitam dedisset. Moritur XV. Cal. Julij anno MDCXCVII.

Num: CC.

Rev.mus D. ROMANUS Abbas ad S. Udal. & Af. ASSISTENS Anno MDCXI.

Romanus hortulani civis Augustani Filius ab ineunte ætate, quam anno MDCXXXIII pridie Idus Martij auspicatus fuerat, internum mentis ingenijque hortum varijs doctrinæ, musices, ac probatæ vitæ floribus excolere studuit, bene gnarus, id, quod humiles natales denegarunt, virtutibus facile suppleri. *Humiles natales scientia supplere satagit.* Monachum professus anno MDCXLIX ætatis decimo sexto tum Dilingæ tum Salisburgi viro dignis scientijs animum induit. Ex Parocho postmodum Prior, ex Priore Abbas salutatus VI. Cal. Decembris anno MDCLXXIV, *Fit Abbas.* postquam ædificia aliqua excitasset, pias sodalitates ac devotiones varias instituisset, perpetuamque patientiam in podagræ

[m] *Hofen, olim Sanctimonialium Ord: S. Bened: Monasterium fundatur* 1090. *a Bertha Guelphonis IV. Ducis sorore. Substituti sunt postea in eodem loco Anno* 1420. *Viri ex Monasterio Weingartens.* Buz: Germ: sac: p. 11.

græ doloribus prodijsset, naturæ debitum solvit anno MDCXCIV. Corpus exanime in peristylio sepultum sequenti Epitaphio honoratum est.

Sta, Lege, Luge
VIATOR.
Hic in Pace quiescit
REVERENDISSIMUS DD. ROMANUS DANIEL
Hujus Monasterij ABBAS LI.
PATER inter Filios,
PASTOR inter Oves,
Constans Fratrum AMATOR
Ab Iisdem
Nec in vita nec in morte
Separari voluit.
Vixit Annos LX. *Menses* XI. *Dies* XVI.
Rexit Annos XIX. *Menses* III. *Dies* VI.
Et mortuus est
Anno Christi MDCXCIV. V. *Nonas Martij.*
J modo Viator
Animæ bene precare,
Et quo præivit, sequere.

N' m: CCI.

Reverendiss. D. FRA[illegible]CISCUS Abbas Ochsenh.

PRÆSES Anno 1694. ASSISTENS Anno 1697.

ANno MDCXLIII, IX. Cal. Decembris Veldkirchij non ignobili Austriacæ ditionis Oppido vivere occœpit. Abbas electus MDCLXXXIX pridie Idus Maij, Celsissimum Archi-Episcopum *Ernestum* ut plurimum eo permovit, ut magnificam adeo Universitati Basilicam extrueret. Scholasticis quoque stu- *Studijs delectatur.*

dijs optime imbutus olim Philosophiam in Athenæo Rotwilano tradidit, tanto deinceps in scholasticas exercitationes amore, ut gravissimis licet curis & negotijs detentus summas delitias otiumque reputarit, disputantium cætui adesse, conferre, explicare. Hisce tamen omnibus rem divinam prætulit in choro perdius & pernox: unde de eodem *P. Anselmus Fischer* (*) [n] contestabatur, cum *præ reliquis nihil ita æstimare, nihil ita colore, & gratum habere, ac omne illud, quod sapit ascesin, quod sapit spiritum.* Testimonium ferunt utilissimæ

Ejus Scripta.

Conciones populares MSS. ab eodem relictæ, & ascetica quædam informandis in religione tyronibus peropportuna: Hæc multus in instruendis Novitijs, illa quondam curio animarum flagrantissimus composuerat.

Proventus Monasterij auget.

Proventus insuper Monasterij, ne solum pius doctusve videri posset, coëmpto Pago Simertingano, Præposituram in Thanheimb sat splendida Arce, decorem Templi sacra suppellectili atque argenteis simulacris *SS. MM. Innocentij, Maximi, & Emerentianæ V. & M.* & *S. Justinæ*, quorum sacræ exuviæ in Monasterio Ochsenhusano requiescunt, locupletavit. Vixit IV. Idus Julij anno MDCCVIII. *Præsul plus cœlo quam mundo notus, cujus operibus tam secundum Deum quam secundum Seculum benedixit Deus.* (*) [o]

Num: CCII.

Rev^mus D. UDALRICUS Abbas Zvvifaltensis.

ASSISTENS Anno MDCXCIV.

ALtorffium natales cunas dedit anno MDCLIII, natura vero ingenium omnibus aptum. Ob inusita-

[n] *Ansel: Fischer Ochsenhus:, ac an: 1672. in matriculam Univ: Salisb: & album relig: convict: relatus, in Dedicat: ad tract: ascet: de tribus votis religiosis. Aug: Vind: Anno 1706.*

[o] *Monumenta Ochsenhusana nobiscum communicata.*

usitatiorem in enodandis difficilioribus quæstionibus claritatem per annos plurimos discipulis Ss. Theologiæ dogmata explanavit, donec ab officio Prioris ad abbatiale regimen evocatus est XVI. Cal. Aprilis anno MDCXCII. Ea in dignitate præter expertam in rebus publicis dexteritatem, & agendi solertiam, admirabili quadam comitate in sui amorem & desiderium rapiebat, quotquot ejus alloquio & consuetudine uti volebant. Dignus proin, qui non solum in Congregationis Benedictino-Suevicæ Visitatorem eligeretur, verum etiam S. Cæsareæ Majestatis Consiliarij titulo decoraretur. Debet eidem Zwifaltense Monasterium Grofs-Engstinganam ditionem magno pretio comparatam, nec non Jus Gladij Dominio Zwifaltensi recens adjectum. Pietatem porro in Fundatores testatur eiusdem ad cornu Evangelij gypsato opere erectum mausoleum hac inscriptione,

S. C. M. Consiliarius declaratur.

Fundatorum sepulchra exornavit

Heic
Sta Viator
Et respice,
Nitido in hoc Sepulchrali
Speculo non speculo;
Lapide non lapide;
Marmore non Marmore
Quid vides?
Certe non obscuras Manium umbras;
Sed
Gloriosam Jllustrissimorum Heroum,
Duorum Fratrum
Hujus Cœnobij Fundatorum;
CUNONIS & LUITHOLDI
Comitum Achalmensium Memoriam:

Quorum
Decineratas fatis nobiles exuvias
In splendoribus Sanctorum
Fulgure dignas,
Antiquo e monumento eruit,
Et
Ne unquam oblivione sepelirentur
Indelebili Gratitudinis
Charactere
Huc transcribi
Curavit
UDALRICUS V.
ABBAS
MDCXCIV.

Ex altera parte, scilicet cornu Epistolæ, ipse sibi tumulum paraverat Udalricus, quorsum etiam exanime corpus intulerunt Mœsti Zwifaltenses VI. Cal. Majas anno MDCXCIX.

Num: CCIII.

Rev.mus D. WILIBALDUS Abb: S. Udal. & Af. ASSISTENS Anno MDCC.

ANno MDCLIII, VIII. Cal. Augusti Rhainæ in Bavaria natus crescente ætate ita literis & pietate erevit, ut jam tum coævis & condiscipulis suis fuerit exemplo. Absolutis Augustæ humanioribus literis Dilingam se contulit, ubi biennio versatus Philosophiam non sine laurea absolvit. Sed cum Juvenem mundi tæderet, anno MDCLXXIV pridie Nonas Novembris in Monasterio Ss. Udalrici & Afræ Monachatum D.Benedicti soleñi voto amplexus est. Romam inde inCollegiumGermanicum a Superioribus dimissus, sub doctissimis PP. Societatis Jesu Theo-

Roma Primitias agit.

Theologiæ curſum emetiebatur, Primumque Deo Sacrificium obtulit anno MDCLXXVIII. Auguſtam itaque redux, cum Eundem omnes ob placidiſſimos mores ac integerrimam vitam adamarent, x. Cal. Aprilis anno MDCXCIV, in vacantem Abbatialem Sedem Eundem ſublimarunt. Egit anno MDCC Univerſitatis Aſſiſtentem, ſimulque Collegio Academico pro Concionatore Quadrageſimali ſubmiſit *P. Leonhardum Feſenmayr* Priorem Ss. Udalrici & Afræ, Virum omnibus æſtimatum, qui etiam anno eodem x. Cal. Aprilis, Salisburgi vitam depoſuit. Plura de *Wilibaldo* etiamnum *integerrimo* non addimus, niſi ut cum *P. Corbiniano Kham*, qui ejuſdem præclara geſta docto calamo (*) deſcripſit, fauſta omnia apprecemur & *Miſſam tertio Primam* ominemur.

Obitus P. Leonardi Feſenmayr.

p

Num: CCIV.

Reverendiſs. D. SEBASTIANUS Abbas Weingar.

PRÆSES Anno 1706. ASSISTENS Anno 1703. & 1709.

IN lucem prodijt anno MDCLXVII Nonis Februarij; Monaſterio vero ad Vineas Benedictina votorum nuncupatione ſociatus anno MDCLXXXV, Cal. Septembris, abbatialem Mitram ſuſcepit XII. Calend. Julij anno MDCXCVII. Excitavit incredibili induſtria, pietate & religione Prioratum ad *S. Pantaleonem* in Hofen, nec non Eccleſiam Regularem Weingartenſem, opus magnificum arteque rarum. Unde non immerito & abſque palpo nonnemo cecinit (*)

Magnificam Baſilicam extruit.

q

Laudibus humanis multum celebrabere, nondum
Sed ſatis! Eſt, ut te ſaxa loquantur, opus.

Præeſt hodiedum Sebaſtianus, dignus omnium votis & ſuſpirijs longiſſimo æque ac feliciſſimo regimine.

[p] *Hierarch: Aug: p.* III. *Regul. cap.* I. *ſect.* XLI.

[q] *P. Alanus Pfeiffer Admontenſis in dedicat: tract: Theol. de Verbo Incarnato & Ss. Sanguine Chriſti.*

Num: ccv.

Reverendissimus D. AUGUSTINUS Abbas Congregationis S. Blasij in Sylva Nigra.

ASSISTENS Anno MDCCVI.

Roma literis operam navat.

AUgustinus puer admodum a parentibus Literariæ institutioni in Monasterio S. Blasij traditus brevi terrena despicere, ac sola cœlestia anhelare didicit. Hinc, cum optima Juvenis indoles placeret omnibus, Congregationi S. Blasij adscribitur XII. Cal. Aprilis anno MDCLXIX: utque eo facilius capacem animum literis excoleret, Romam in Collegium Germanicum amandatur. Quantum hic profecerit, norunt plurimi, qui tunc temporis in memorato Collegio versabantur, quique quotidie deinceps ejus conversationi & familiaribus colloquijs, pietate ac doctrina conditis, interfuerunt. Domum igitur redux per varia munia feliciter obita eam moderationis, industriæ, atque prudentiæ laudem sibi comparavit, ut inter complures mitra dignissimos Ipse a quadraginta sex Sacerdotibus, nemine præter Ipsum reclamante, dignissimus judicaretur, cui post Romani Præsulis maximi fata rerum summa & abbatialis Infula XIII. Cal. Decembris anno MDCXCV committeretur. Totis XXV annis, quibus ad clavum sedit, insigni humilitate, mansuetudine, mortificatione, alijsque religiosi Viri virtutibus commendatissimus, mira præsertim in universos (egenos afflictosque præprimis) munificentia, comitate & modestia omnium tum suorum, tum exterorum, imo & inimicorum occupavit Amores, *Dux virtutis, morum Magister, vivum integritatis Exemplar, exactaque regularis* ob-

Ejus virtutes.

r *observantiæ Idea.* (*) Non semel ob vicinum Gallum domo aufugere coactus, multum tamen æris impendit in augendas scientias, Bibliothecam, Ecclesiam Regularem, ac Monasterium Sanctimonialium Beroviense, quod an: MDCCXI Idibus Julij unacum adjacente Præpositura in cineres redactũ, majori splendore restituit, ac an: MDCCXV perficiens Nonis Decembris ferreis cancellis perpetuo clausit. Obijt placidissime in Domino meritorum suorum Remuneratore amplissimo III. Cal. Decemb: an: MDCCXX, tumulo inter singulorum lacrymas & singultus illatus ante Altare S. Blasij, ubi Eidem hoc breve Epitaphium fieri curavit Successor Blasius III, IV. Nonas Decembris a LXIV Patribus Capitularibus, absens licet, in Supremum Congregationis San-Blasianæ Caput electus.

Monast: Berovieñse ædificat.

REVERENDISSIMUS DD. AUGUSTINUS
Monasterij Hujus ABBAS XLI.
A pietate & prudentia
Qua XXV. Annis
Rexit SUOS optime
Laudatissimus.
Veræ Virtutis Exemplar
Meritis Plenus
Obdormivit in Domino
Anno MDCCXX. Die XXIX. Novembris.
Cui merito
Ceu Restauratori Suo
Hujus Ecclesiæ Splendor
In Mausoleum,
Requies Æterna
Cedat in Præmium.

Num:

[r] Clar: D. Eggs *in dedicat: ad Lib. V. & VI. Purpura Docta.*

Num: CCVI.

Reverendiss. D. RUPERTUS Abbas Ottoburan.

PRÆSES Anno 1718. ASSISTENS Anno 1712. & 1721.

PRimam auram & lucem aspexit in Jmperiali Civitate Wangensi VIII. Cal. Decembris an: MDCLXX; Ordinem autem Benedictinum mundo præhabuit anno MDCLXXXVII, eumque dictis votis perpetuo colendum sumpsit V. Idus Julij anno MDCLXXXVIII. Varijs postmodum Ottoburæ officijs, Magistri Novitiorum, Parochi, Philosophiæ, Ss. Theologiæ, ac Ss. Canonum Professoris, œconomi &c. optime functus, tandem anno MDCCX Abbas, ac anno MDCCXII S. Cæsareæ Regiæque Catholicæ Majestatis Consiliarius Actualis, atque Capellanus perpetuus designatur. *Novum Monasterium construit.* Monasterium, quod ædificiorum splendore nulli in Germania cedit, novum e fundamentis erexit, amplum æque ac ornatum, & præprimis tum disciplinæ regulari intra claustrum conservandæ, tum suetæ Benedictinis hospitalitati accomodum. Idem Monasterium Ottoburanum a *Impetrat Privileg: Cæsarea.* Sub-Advocatiæ onere, quod aliquot retroactis Seculis penes Episcopos Augustanos erat, liberum reddidit & munivit, impetrata ab Augustissimo Jmperatore Carolo VI. antiquorum Privilegiorum atque immunitatum non tam confirmatione, quam nova protectione, ut sub Aquila Jmperiali immediate Cæsareum ac Exemptum agnoscatur. *Promovet fœdus cũ scholis Frisingensibus.* Promovit quoque confœderationem Congregationis Augustano-Benedictinæ cum Congregatione Bavarica ad majus stabiliusque Lycei Frisingani incrementum, cujus etiam primus post confœderationem Assistens deligebatur. Denique Universitatis Salisburgensis Præses anno

MDCC-

MDCCXVIII primum ab introductis illuc Musis Seculum recoluit, in promovendis literis verus *Gregorij Abbatis* æmulus & heres, vivat diutius Præsul optimus, cujus ingenij monumenta extant: *Vindiciæ de existentia Dei & immortalitate animæ contra Atheos.*

Scripta.

Num: CCVII.

Reverendiss. D. WILIBALDUS Abbas Ursinens.

ASSISTENS Anno MDCCXV.

PAtria Salisburgensis ibidem plurima profundæ scientiæ & ad majora nati ingenij specimina cum juvenis tum Convictor dedit. Per viam inspirationis, non scrutinij (*) Abbas salutatur IV. Nonas Junij anno MDCCIV. Nec mireris, si Virum nosti, & coram veneratus es. Anno proin MDCCIX Imperialis Collegij Reverendissimorum DD. Prælatorum Circuli Suevici Con-Director, anno MDCCXIV, & MDCCXVII inclytæ Congregationis Benedictino-Suevicæ Præses expetitur, ut omnes ejus industria & suavitate fruerentur: Floret sub ejus regimine Monasterium Ursinense Viris non minus doctissimis, quam pijssimis; Hinc ut Deus T. O. M. ulterioribus ejus progressibus faveat, & post præclara jam gesta & etiamnum gerenda opera demum in senectute bona Antistitem dignissimum ad cœlestia regna evehat, animitus exoptamus.

[ʃ] Abbas eligitur per inspirationem.

Num: CCVIII.

Rev.mus D. HIERONYMUS Abbas Ochsenhus.

ASSISTENS Anno MDCCXVIII.

ANno MDCLVII, III. Idus Nov: honestis parentibus in Imperiali Urbe Rottwilana prognatus,

Mm

[ʃ] *P. Corbin: Kham. Hierarch: Aug: p.* III, *Regul: parti.* I. *cap.* XIII. *sect.* I. *Num.* XXXVII.

tus, Monachum solenniter induit v. Idus Junij anno MDCLXXX. Convictoribus dein & Academicis Salisburgensibus adnumeratus anno MDCLXXXIV, ibidem theses de poenitentia sub præsidio *P. Mauri Liechtenheim's* publico applausu propugnavit. Major fuit omnium plausus & lætitia, cum eidem ceu meritissimo Infulam decernerent Capitulares Ochsenhusani III. Cal. Augusti anno MDCCVIII. Cultor eximius & juratus D. Virginis sine labe conceptæ, votum hoc suum solidissime firmavit columna marmorea affabre elaborata, in cujus apice statuit Immaculatæ Virginis simulacrum æneum & inauratum. In fundamento suum omniumque Conventualium nomina laminæ æneæ incisa posuit, instituitque, ut in præcipuis Ejusdem solennitatibus Litaniæ Lauretanæ ad istud Marianum Palladium decantarentur. Devixit VI. Idus Decembris an: MDCCXIX ipsa gloriosissimæ suæ Patronæ sine labe conceptæ festa die, sepulturam nactus in Capella S. Antonij, quam ædificavit. Cæterum ultima morientis voluntas ea erat, ut nullum aliud encomium rotulæ funebri insereretur, nisi hoc: *Hieronymus Abbas mortuus est, & petit pro se Vivorum preces,* Obedimus & nos tantæ humilitati, nec in ampliora encomia excurrimus.

Eximius D. Virg. Cultor.

Ejus humilitas.

Num: CCIX.

Rev.mus D. COELESTINUS Abbas Elching. ASSISTENS Anno MDCCXXIV.

VIr profundæ non minus scientiæ & humilitatis, quam munificæ liberalitatis & hospitalitatis Abbatiam adijt anno MDCCVI. Quas usas vigiliasque pro Monasterij incremento hucusque susceperit, procul

cul dubio meritis laudum encomiis extollet Chronicon Elchingense, quod ejusdem loci Cœnobita doctissimus *P. Magnus Schleyer*, anno MDCCXXVIII sexies Seculari (*) in publicum emittere cogitat, ut igitur ſecularis memoriæ celebritatem pluresque annos incolumis supervivat Cœlestinus, animitus exoptamus.

Num: ccx.

Rev.mus D. AMANDUS Abbas Neresheimensis ASSISTENS Anno MDCCXXVII.

MOdernus Provinciæ Suevicæ Assistens Primus omnium est, qui inter Neresheimenses Præsules Assistentis prærogativam in Universitate nostra obtinuit. Is post *Magni Abbatis* funera, quæ anno MDCCXV singulari omnium luctu peracta fuerant, Præsulari dignitati admotus verbis & præclare gestis se Patrem probat, qualem S. Regula præscribit. Faveant tanto Viro diutius Superi, utque in dies nominis sui famam augere possit, longævas corporis vires concedant!

[*] *Fundatum est Elchingense Cœnobium a Conrado Saxoniæ Duce Anno* 1128.



CAPUT VI.

De Rectore Magnifico, Procancellario, ac reliquo Senatu Academico.

Num: CCXI.

UNIVERSIS Germaniæ Academiis hodie Rector Magnificus præest, cui S. Pontifices, Jmperatores, ac Principes, Scholarum Fundatores, summam rerum potestatem commiserunt tantis posthac prærogativis exornatam, ut eandem maximus literarum favor fecerit plane conspicuam, quamque hodie nec illustrissimo sanguine prognati in se suscipere dedignantur. *Electio,* In nostra Universitate Salisburgensi Rector Magnificus ex Ordine S. Benedicti perpetuo assumitur. Eum omnes Professores, qui tunc temporis cathedris academicis præsunt, eligere solent, vota colligentibus *Reverendissimo* D. Præside, & D. Assistente perpetuo: Soli tamen PP. Benedictini votum activum & passivum habent; reliqui DD. Professores seculares ex facultate Juridica & Medica voto tantum activo gaudent. *& potestas Rectoris Magnifici.* Potestas autem, præeminentia, & jurisdictio, qua fruitur, amplissima est, seque extendit in totius Universitatis res & personas, in Professores ac Studiosos, & hos regulares, Clericos, aut Seculares. Cumque merum imperium Ei competat, in reos academicos & scholares Jus Gladij exercet, alijsque pœnis in delinquentes ani-

animadvertit, ita tamen, ut si causa capitalis oriatur, cui Rector tanquam Clericus absque irregularitate interesse non potest, Juridicæ Facultatis Decanus, aut si is etiam Clericus sit, ejus Antecessor ex eadem Facultate Universitatis nomine judicio criminali præsit. (*) Curam præterea gerit œconomicam Collegij PP. Professorum ejusdemque proventuum, ut & convictus Religiosorum, qui eundem omnes ceu Superiorem, & Caput venerantur. Id officij singulari hucusque encomio, literarumque profectu sustinuerunt sequentes:

a Curam gerit Collegij & Convictus

Syllabus Rectorum Magnificorum.

Ab anno MDCXXII usque ad annum MDCXXVI

I. P. Albertus Keüslin Ottoburanus.

Ab anno MDCXXVI usque ad annum MDCXXXVIII

II. P. Matthæus Weis Andecensis.

Ab anno MDCXXXVIII usque ad annum MDCLII

III. P. Romanus Müller Seonensis.

Ab anno MDCLII usque ad annum MDCLXXIII

IV. P. Alphonsus Stadelmayr Weingartensis.

Ab anno MDCLXXIII usque ad annum MDCLXXXI

V. P. Benedictus Pettschacher e S. Lamberto.

Ab anno MDCLXXXI usque ad annum MDCCV

VI. P. Gregorius Wimperger Cremisanensis.

Ab anno MDCCV usque ad annum MDCCVIII

VII. P. Robertus König Garstensis.

Ab anno MDCCVIII usque ad annum MDCCXI

VIII. P. Cœlestinus Romoser Admontensis.

Ab anno MDCCXI usque ad annum MDCCXIII

IX. P. Robertus König Garstensis.

Ab anni MDCCXIII. VIII. *Idus Novembris*

X. P. Franciscus Schmier Ottoburanus, Modernus Rector Magnificus.

[a] *Hermes in Fasc. Jur: publ. cap.* XXXVII. *num.* 145.

Num: CCXII.

De Procancellario. Primum a Rectore Magnifico locum occupat Procancellarius, de cujus officio sequentia ex Universitatis Salisburgensis Legibus fundamentalibus Lectori hic consignare necessarium duximus. Num.I. tit. de Procanc: *Procancellarius constituitur a Præside & Assistentibus &c. ejus officium continuatur, quamdiu in Universitate degit, nisi revocetur.* Num: II. *Muneris illius est gradum impertiri Licentiatus, in Theologia, Jure, Medicina, & Philosophia præmissa oratione: Licentiam ac Facultatem concedere candidatis, ut possint rite examinari ante collationem gradus.* Et num: III. *Cum Privilegiorum & Jurium academicorum ad ipsum quoque pertineat ratio, tertiam clavem ad Archivum servat. Primam namque clavem custodit Reverendissimus D. Assistens perpetuus; secundam Rector Magnificus; tertiam Procancellarius.* Quinam autem hucusque eo munere functi sint, imminens dabit

Eorum Syllabus.

Ab anno MDCXXII usq; ad annum MDCXXVII

I. *P. Thomas Marianus Siculus Congregationis Cassinensis.*

Ab anno MDCXXVII usq; ad annum MDCXXVIII

II. *P. Andreas Vogt Ottoburanus.*

Ab anno MDCXXIX usq; ad annum MDCXXXIII

III. *P. Sebastianus Rottmayr Garstensis.*

Ab anno MDCXXXIII usq; ad annum MDCXXXVII

IV. *P. Romanus Müller Seonensis.*

Ab anno MDCXXXVII usq; ad annum MDCLVI

V. *P. Carolus Jacobi Andecensis.*

Ab anno MDCLVI usq; ad annum MDCLXV

VI. *P. Romanus Müller Seonensis.*

Ab anno MDCLXV usq; ad annum MDCLXVII

VII. *P. Bernardus Waibl Einsidlensis.*

Ab

Ab anno MDCLXVII usque ad annum MDCLXIX

VIII. *P. Adalbertus Heüffler Admontensis.*

Ab anno MDCLXIX usq; ad annum MDCLXXIV

IX. *P. Ludovicus Engel Mellicensis.*

Ab anno MDCLXXIV usq; ad annum MDCLXXXIII

X. *P. Josephus Mezger e S. Petro.*

Ab anno MDCLXXXIII usque ad annum MDCCII

XI. *P. Paulus Mezger professus ibidem.*

Ab anno MDCCII

XII. *P. Marianus Lendelmayr Admontensis.*

Ab anno MDCCIII usq; ad annum MDCCVI

XIII. *P. Joannes Baptista Ebberth Garstensis.*

Ab anno MDCCVI usque ad annum MDCCIX

XIV. *P. Sebastianus Textor Ooburanus.*

Ab anno MDCCIX usq; ad annum MDCCXVI

XV. *P. Ludovicus Babenstuber Ettalensis.*

Ab anno MDCCXVI usque ad annum MDCCXIX

XVI. *P. Alanus Pfeiffer Admontensis*

Ab anno MDCCXIX

XVII. *P. Calestinus Mayr e Ss. Udalrico & Afra Augusta.*

Num: CCXIII.

De Decanis Facultatum. Cæterum inter quatuor Facultates prima est *Theologica*, secunda *Juridica*, tertia *Medica*, quarta *Philosophica*, cui adnumeratur Rhetorices Professor. Singulæ harum Facultatum ad annuam studiorum renovationem Decanum sibi eligunt, vota colligentibus Reverendissimo D. Assistente perpetuo & P. Rectore Magnifico. *Eorum officium,* Electo proin novo Decano in signum officij *Primo*, Sigillum ejusdem Facultatis una cum libris Actorum & Statutorum traditur, tenetur que ijsdem omnia & singula, quæ Decanatus sui tempore gesta

gesta fuerunt, inserere. *Secundo* præcedentia in publicis actibus & conventibus suæ Facultatis gaudet, eamque ad proprias deliberationes convocat. *Tertio* Examinibus ejusdem Facultatis præest, ac Libros typis evulgandos approbat. Juramentum autem, quo adstringitur, hujusmodi est.

& Juramentum. *Ego N. electus Decanus Facultatis N. juro me officium meum fideliter præstiturum ad Facultatis nostræ bonum, utilitatem, & incrementum, pacemque & concordiam omnium ejus membrorum, quantum in me erit, conservaturum, neque permissurum, ut hæresis ulla aut error contra fidem Romanæ Ecclesiæ in Facultatem irrepat. Sic me Deus adjuvet, & hæc S. Dei Evangelia.*

Num: CCXIV.

Concilia academica quomodo peragenda? *Consilio* porro *Academico pleno*, quod in majoribus negotijs Rector Magnificus indicere solet, omnes Professores Academici tam Regulares quam Seculares intersunt: si vero minoris momenti negotia occurrunt, ea Rectoris, Procancellarij & Decanorum discussioni relinquuntur, præsente quoque Universitatis Secretario, qui ex Patribus Benedictinis a consilio Academico eligitur Vir prudens, boni consilij, fidelis, quique tuto ad omnia consilia Universitatis admitti, in ejus causis & loqui possit & scribere. (*) Atque hoc commune Academiæ Regimen est: singulæ interim Facultates certis legibus suos regunt, & studiũ magna sedulitate & diligentia dirigunt. Quod dum juventus intuetur & sentit, erga Professores reverentiam, erga optimos Archi-Episcopalis Metropolis cives perpetuam pacem, ubique legibus conformem modestiam servat, semper assidua, sedula, in lectionibus frequens, in literis indefessa.

Secretarius Universitatis qualis esse debeat. *b*

Num:

[*b*] *Leges fundament: Univ: Salisb: tit.* de Secretario Univ.

Num: ccxv.

Cathedra *CATHEDRÆ* autem, quibus PP. Benedictini Salisburgi præsunt, istæ numerantur: nimirum, in Facultate *Theologica* cathedra S. Scripturæ, Theologiæ speculativæ, Theologiæ moralis, controversiarum: in Facultate *Juridica* cathedra Juris Canonici; in Facultate *Philosophica* cathedra Philosophiæ, quæ intra biennium absolvitur, Ethicæ, Historiæ, Mathematicæ, Rhetoricæ, quibus etiam extra Senatum Academicum accedunt, Poëta, Syntaxista, Grammatista, Rudimentista. *& officia, quibus Patres Benedictini præsunt.* Præter hæc & alia sunt officia partim ad Universitatis regimen, partim ad spiritualem studiosæ juventutis aliorumque profectum spectantia, quibus Patres nostri vigiles curas impendunt. Primus inter eos numeratur *Rector Magnificus*. II. *Vice-Rector*, qui in absentia Rectoris ejusdem munere & præcedentia fungitur. III. *Procancellarius*. IV. *Secretarius* Universitatis. V. *Præses* Congregationis majoris. VI. *Præses* Congregationis religiosi Convictus. VII. *Præses* minoris Congregationis. VIII. *Præses* Cœtus angelici. IX. *Præses* Congregationis teutonicæ. X. *Præses* Archifraternitatis Ss. Rosarij. XI. *Catechista* in tyrocinio. XII. *Regens* Convictus Religiosorum. XIII. Ejusdem *Sub-Regens*. XIV. *Præfectus* Scholarum. XV. *Comicus*. XVI. *Bibliothecarius* Academicus. XVII. *Confessarius* Monialium Loretanarum. XVIII. *Duo Confessarij* religiosi Convictus. XIX. *Concionator* in Dominicis menstruis. XX. *Concionator* Quadragesimalis in Ecclesia Metropolitana. XXI. *Concionator* Quadragesimalis in Ecclesia Academica. XXII. *Inspector* Seminarij Alumnorum S. Caroli. En quantis occupationibus reliquum a Lectionibus publicis & scholasticis functionibus tempus Patres nostri consumant, varijs nihilominus lucubrationibus orbi

literario proficui. Hinc etiam novis in dies incrementis, & exteros quoque propagata fama, efflorescit Parnassus Salisburgensis. Sive etenim DD. Professorum præstantiam & lucubrationes academicas, sive copiosum illustris præcipue Juventutis affluxum, Disputationum frequentiam, publica haustæ doctrinæ specimina vel leviter tantum consideremus, citra jactantiam fateri cogimur, Universitatem Salisburgensem inter præcipuas Germaniæ Academias numerandam esse. Qua ergo ratione Auctores aliqui etiam viciniores, dum universas Germaniæ Academias se enarraturos profitentur, solam Salisburgensem Universitatem prætermiserunt? an eam in tanta luce, tantaque vicinia ignorare potuerunt? judicent alij. Nos malumus errorem ignorantiæ quam invidiæ tribuere. Antiqua sane hæc est Benedictini nominis gloria, ut gentes, quas majores nostri ad fidem perduxerunt, sive in scholis monasterialibus sive in publicis Academijs erudire pergant, licet contra ringantur aliqui, quos tamen patienter adeo & modeste ferunt nostri. Verum scholarum rationem a Viris Benedictinis susceptam jam satis superque in Præfatione nostra dilucidare adlaboravimus, nunc ipsos Professores Salisburgenses inspiciamus.



CAPUT VII.

Professores Academici qua virtute, qua doctrina, qua stemmate illustres.

VEnerari hic eos liceat, qui quondam non solum sudore & vigilijs Academiam Salisburgensem plantarunt, verum etiam doctrina & literis illustraverunt, hodieque immortalis nominis fama augere non cessant. Parce nihilominus in eorum præclara gesta atque encomia excurrimus, contenti, si eorum natales, obita in Universitate munia, annum mortis, ac scripta, quantum nobis constare potuit, enarraverimus; neque enim universa ingenij monumenta nos attigisse credimus, partim quod plurima Monasteria vix suorum nomina nobiscum communicarint, partim quod speremus, P. Bernardum Pezium Monachum Mellicensem in sua Bibliotheca Benedictina *ea, quæ nos ignoranter & inviti prætermisi-*

mus, Lectori daturum. Addidimus etiam subinde, at raro, Theses, *ut schola vocat,* Menstruas,*quæ, licet uno alterove tantum quaternione circumscribantur, nec nisi unicam quæstionem ex Logica aut Physica elucident, magno tamen plerumque labore conscriptæ, argumentorumque pondere sunt fœcundæ, eaque omnia, quæ a probatissimis Auctoribus dici possunt, hic in unum collecta conspiciuntur. Ordinem porro in enarrandis tum Religiosis tum Secularibus DD. Professoribus Academicis eum non observavimus, quo quis corpori Academico sociatus est, sed alphabeti serie cunctos proponimus, neq; alios, quam qui Epomide gaudent. De Professoribus inferiorum scholarum* Cap. VIII. *oratio redibit. Sit igitur primus*

Num: CCXVI.

P. ADALBERTUS Heüffler Admontensis.

Natales illustres. EX illustri Familia Dominorum Heüffler a Rasen in lucem prodijt Adalbertus VII. Cal. Decembris anno MDCXXXI. Monasticen in ipso ætatis flore an: MDCXLVIII. Calendis Novembris in celeberrimo Monasterio Admontensi amplexus Romæ tanto profectu Theologiæ operam navavit, ut ibidem Docto-

Roma Doctor creatur. toratus lauream obtinuerit. Domum inde redux docuit Salisburgi *Philosophiam* anno MDCLVIII, *Controversias Fidei* anno MDCLXV, creatis Philosophiæ *Baccalaureis* año MDCLIX VII.Cal. Julij *viginti septem*, *Magistris* anno MDCLX III. Idus Octobris *viginti & uno*. Eminentissimi quoque S. R. E. Cardinalis *Bernardi Gustavi* e Marchionibus Badensibus, Campidonensis & Fuldensis Abbatis, Campidonæ Locumtenens *Abbas electus* ab Admontensibus suis Abbas eligitur an: MDCLXXV Pridie Idus Augusti. Eo in munere, postquam integris viginti annis non sine excelsa animi patientia *Caprifodinas Kailvvängenses auget.* & constantia pestiferam luem, belliq; turcici pericula superasset, seque in ampliandis Kailwangensibus Cuprifodinis œconomum solertissimum probasset omnibus, viam universæ carnis ingressus est XVI. Cal. Julij anno MDCXCVI.

Num CCXVII.

P. ÆGIDIUS Rambeck Schyrensis.

Vindex Ord: Benedictini. Ægidius Benedictini nominis vindex acerrimus, (*) Vir fuit ingenio haud vulgari præditus, ardens & intrepidus, maxime ubi a vita Ordinis sui decora & ornamenta in discrimen adduci animadverteret. *a* A Poësi in Universitate nostra docere exorsus, *Rhetorices* professionem anno MDCXXXVII subjunxit. Sed cum præclara juris Pontificij peritia, ex qua XVIII.Cal. Octobris MDCXLIII Promotore *P. Christophoro Törring* Gottvvicensi publica doctoratus insignia Salisburgi acceperat, altioribus eum cathedris destinaret, *Ss. Canones* magno Auditorum accursu ab anno MDCXLIII usque ad annum MDCLI est interpre-

[a] P.Felix Egger *in Id.Ord:Hierarch.Bened.Lib.*III. *p.*III. *differt.*II.

pretatus, editisque libris non modice illustravit. Neque unquam posthac doctis literarum otijs valedixit, donec in senectute bona, quam extremis temporibus formandis in ascesi junioribus inter continuas pias exercitationes impenderat, finem vivendi fecit v. Idus Octobris anno MDCXCII ætatis octuagesimo quinto.

SCRIPTA.

Tabulæ testamentariæ ex utroque jure noviter excisæ. Quarto. 1644.
Juris universi duæ Tabulæ bimembres. Quarto. 1646.
Bivium fori contentiosi ex Jure tam Cæsareo, quam Canonico litigantibus apertum. Quarto. 1647.
Tertia fori contentiosi via tam ex Jure Cæsareo quam Canonico læsis in judicio reclusa. Quarto. 1648.
Disputatio de Solutionibus. Quarto. 1648.
Epitome possessionum ac remediorum pro eisdē competentium. 4to. 1648.
Sylva beneficiorum feudalium. Quarto. 1648.
Pentecolon successionis ab intestato. Quarto. 1649.
Asylon fori Ecclesiastici. Quarto. 1651.
Ternio quartarum, Legitimæ Trebellianæ, & Falcidiæ, qua nimia ultimarum voluntatum libertas ad Juris lancem accurate temperatur. Quarto. 1651.
Panoplia immunitatis & libertatis Ecclesiasticæ. Quarto. 1666.
Calendarium Benedictinum, seu Vita Ss. Ord: S. Bened. Tom. IV. cum figuris æneis. Quarto. 1675.
Didascalia sive manuductio ad amorem divinum.
Parasceve mortalitatis, sive præparatio ad mortem. & alia quædam.

Num: CCXVIII.

P. ÆMILIANUS Pirck e S. Petro.

Docuit *Poësin* annò MDCXXX, *Rhetoricam* anno MDCXXXVI. Plura nobis incomperta sunt.

Num:

Num: CCXIX.

P. ALANUS Pfeiffer Admontensis.

A Mbstöttensis Austriacus natus est die xx. Decembris anno MDCLXIX. Suscepto postmodum in Admontensi Asceterio D. Benedicti instituto, Salisburgi *Poëseos* Professuræ admovetur anno MDCXCVIII, *Rhetoricæ* anno MDCC, *Philosophiæ* anno MDCCIII, *Theologiæ scholasticæ* anno MDCCX. Encomiastes eximius nunc in Parochia Laurentingana commissum sibi gregem verbo & exemplo pascit. promovit AA.LL. *Baccalaureos* anno MDCCIV VIII. Idus Julij *quadraginta & unum, Magistros* anno MDCCV IV. Cal. Augusti *viginti octo, Doctores* Theologiæ, aliquot.

SCRIPTA.

Quinque talenta seu tractatus de quinque sensibus cum miscellaneis curiosis. Octavo. 1705.

Tractatus de charactere sacramentali Christi Domini, & satanici Antichristi, nec non utriusque sequacium. Octavo. 1713.

Rubus Moysis spinosus & luminosus, seu tractatus de Sacramento Pœnitentiæ. Octavo. 1714.

Tractatus de virtute Religionis. Quarto. 1716.

Tractatus de vitijs virtuti Religionis oppositis. Quarto. 1716.

Verbum incarnatum. Quarto. 1716.

De Ss. Sanguine Christi cum duodecim ejusdem elogijs. Quarto. 1716.

Quodlibetum Theologico-Thomisticum continens primarias quæstiones ex universa Theologia. Quarto. 1717.

De restitutione. Quarto. 1718.

Mantissa Ss. Precum continens officia de S. Scholastica, Mauro, Placido &c. Dec.sexto.

Conciones funebres aliquot.

Theses menstrua Philosophica in Octavo septies.

Num:

Num: ccxx.

P. ALANUS Ritter Wessofontanus.

VIr in comicis & tragœdijs felix tradidit *Rhetoricam* ab anno MDCCXIII usq; ad annum MDCCXVII, *Philosophiam* anno MDCCXVIII, creatis anno insequente IV Idus Julij *Baccalaureis quinquaginta novem*, *Magistris* anno MDCCXX VI. Cal. Septembris *quadraginta duobus*. *Ethica* dein & *Historia* cathedris admotus anno MDCCXX, *Theologiæ Moralis*, prælectiones anno MCCXXV suscepit, nec diu tamen eas tenuit, sed altero mox autumno ad *Theologiam Scholasticam* gradum fecit, hodieque singulari fama id muneris strenue exequitur.

SCRIPTA.

Discursus Philo- Metaphysici. Quarto. 1720.
Theses menstrua aliquot. Octavo.

Num: ccxxI.

P. ALBERTUS Keüslin Ottoburanus.

EA Ottoburæ gloria, Albertum S. Professione sibi associasse: ea Universitatis superbia, Doctorem illum ac Rectorem habuisse: ea denique Monasterij ad S. Petrum felicitas, Eundem Abbatem suscepisse. Ubique grata ejus memoria in benedictione perdurat, nec ulla unquam ætas oblitterabit. Primus *flagyraa dogmata* biennali doctrina evolvit anno MDCXVII. Inde *Theologiæ moralis* telam exorsus ad añum usque MDCXXII perduxit, quo suffragante virtutis & prudentiæ merito Universitatis recens erectæ *Rector Magnificus* est renuntiatus. Tenuit magnificam hanc

Primus Rector Magnificus.

hanc ſpartam integro quadriennio, donec poſt piiſſimum obitum Joachimi Abbatis anno MDCXXVI. Monaſterij S. Petri Abbas poſtularetur, ut nova auctus dignitate propenſum in Muſas animum novis quotidie argumentis proderet: Tranſlato ſiquidem in Collegium Religioſo Convictu omnem ſuppellectilem liberaliter addidit; in aulæ quoque Academicæ, Scholarum & Convictus, uti & Bibliothecæ fabricam aliquot florenorum millia contulit. Plura dedimus ſuperius *Cap. V.* ſufficiat hic illud *P. Bucelini* (*) elogium. *Albertus Vir religioſiſſimus non minus quam eruditus, cui nemo non convenire conſenſerat: Ecce verus Iſraëlita, in quo dolus inventus non eſt!*

eligitur Abbas S. Petri.

b

SCRIPTA.

De interpretatione, ſeu de natura & affectionibus enuntiationis categoricæ tam abſolutæ quam modalis. 4to. 1619.

De Univerſalibus & Prædicamentis. 4to. 1619.

Diſputatio de iis, quæ potiſſimum in octo Phyſicorum libris continentur. 4to. 1620.

De Materia & forma, intentione & miniſtro Sacramentorum. 4to. 1618.

Catalogus cum Hiſtoria compendio Abbatum Monaſterij S. Petri Salisburgi. 4to. 1646.

Num: CCXXII.

P. ALEXANDER Hueber Andecenſis.

AD fontes Weſſonis celeberrimo Ordinis Benedictini in Superiore Bavaria Aſceterio ſacro regenerationis lavacro ablutus, Divi Benedicti ſigna ſecuturus VI. Nonas Martij anno MDCXXXII Monti Sancto Andecenſi nomen dedit. Primis Sacræ militiæ & ſcientiarum, quas Salisburgenſi Convictui debet, rudimentis approbatus Tyro inter loci Præſidiarios cenſeri meruit, Profeſſor *Rhetorices* anno MDC-

[b] *Germania Sacra. p. alt.*

MDCXXXVIII & MDCLXVII, *Ethices* ab anno MDCLXVIII usque ad annum MDCLXXI. Obijt Vir invictæ in adversis ac podagræ doloribus patientiæ VIII. Idus Februarij anno MDCLXXXV.

Num: CCXXIII.

P. ALPHONSUS Stadelmayr Weingartensis.

HIc est ille Vir, quo nihil modestius, nihil utilius unquam habuit Universitas; & in quo summa comitas & rerum agendarum peritia enituit. Natus Oeniponti anno MDCX in Monasterio Weingartensi tyrocinium fecit anno MDCXXV, illique solenni voto sese obstrinxit año insequente IV. Cal. Novembris. Salisburgi postea Professor *Theologiæ Speculativæ* anno MDCXLVII, *Sacræ Scripturæ* anno MDCLII. *Controversiarum Fidei* anno MDCLV, *Rectoratum* gessit ab anno MDCLII usque ad annum MDCLXXIII, quo ei abbatiale pedum delatum fuit. Quantis beneficijs Universitatem sibi devinxerit, dum nos silemus, saxa loquuntur. Nemo eam magis dilexit, nemo magis adauxit: Quidquid enim decoris olim habuit, aut Alphonsi vigilantia accepit, aut sedulitate restauratum fuit. *Plura vide Cap. V.*

Fit Abbas.

Merita in Academiam.

SCRIPTA.

Disputatio de Legibus. Quarto. 1650.
Disputatio de Visione Beatifica. Octavo. 1655.
De Deo & attributis Deo proprijs. Octavo. 1660.

Num: CCXXIV.

P. AMANDUS Pachler e S. Petro.

BIs *Philosophiam* tradidit, utraque vice summo cum encomio munere suo functus. Et quoniam ad singularem eruditionem vitæ integritas ac prudentia acce-

accedebat, e cathedra *Theologiæ Moralis*, quam anno MDCLVI conſcenderat, ad Abbatiale regimen evocatur anno MDCLVII. Eruditionis ſtudio & cultu, quo juvenis delectabatur, poſthac nec inter varias corporis infirmitates ſe abdicavit, in lecto Muſæum erigere, libros volvere, ſcribere, aut ſi chiragra digitos implicuiſſet, dictare ſolitus. Dixit *Baccalaureos* anno MDCLII *viginti quatuor*, & anno MDCLV *triginta octo*, *Magiſtros* anno MDCLIII *viginti*, & anno MDCLVI *viginti tres*. *Vide Cap. IV.*

Abbas electus

ſtudia dimiſit nunquam.

SCRIPTA.

Trias operationum mentis. Octavo. 1652.

Reſolutiones Phyſicæ corporis naturalis, ſimplicis & mixti. Octavo. 1653.

Reſolutiones corporis naturalis animati. Octavo. 1653.

Diſcurſus inter Ariſtotelem & Heraclitum dubioſum, in quo pleræque difficultates circa demonſtrationem ab Ariſtotele explicantur. 4. 1655.

Diſcurſus, ut ſupra, *de Motore & mobili, in quo ſubordinatio moventium & mobilium in univerſo explicatur*. Octavo. 1656.

Rationes, in quibus per meras rationes naturales explicantur, & probantur ſelectiores difficultates philoſophicæ. Octavo. 1656.

Hiſtoria S. Vitalis ſecundi Epiſcopi & Abbatis Salisburgenſis.

Hiſtoria Eremi in Monte Monachorum.

Diſquiſitio de S. Amando Epiſcopo Wormatienſi, deque S. Martini Epiſcopi Turonenſis Salisburgum facta tranſlatione.

Vita & geſta Alberti Abbatis Ottobura ad S. Petrum poſtulati. MS.

Faſti Monaſterij Admontenſis. MS.

Liber in laudem S. Joſephi, quem morte interceptus imperfectum reliquit.

Num: CCXXV.

P. AMBROSIUS Freyenbichl Garſtenſis.

Oberndorffij in Styria vivere occœpit Ambroſius VII. Idus Februarij anno MDCLXXIX. Juris utriuſque Laurea Salisburgi redimitus ibidem Philo-

sophica dogmata prælegit anno MDCCVI. Superior inde ad Infantulum Jesum, supremo Garstensium regimini admovetur VII. Cal. Julij anno MDCCXV, abbatialibus insignijs ornatus IV. Idus Augusti a Celsissimo Principe & Episcopo Passaviensi *D. Raymundo* Comite de Rabatta. Vix pedo præesse cœpit, mox inter se concertare visi amor & honor: Ille subditorum non modo sed & exterorum corda tenerrimos in affectus provocando; Hic Ambrosij merita coronando. Quapropter Statuum Provincialium cum Ordinarius tum Extraordinarius Deputatus tantum dexteritate sua promeruit, ut Invictissimo Cæsari *CAROLO VI* dignus sit habitus, quem transmissa augustissima effigie honoraret. Vos Superi concedite, ut hocce Monasterij Garstensis decus, quod suspiciunt, miranturque omnes, in seram usque senectam perduret.

Fit Abbas.

Laboris præmium.

SCRIPTA.

Usus Theorico-Practicus distinctionum Philosophicarum. Octavo. 1707.
Integra Philosophia Thomistica secundum causas in tabulis compendiose depicta. Quarto. 1708.
Vita & mors. Fol. 1711.
Theses menstruæ aliquot. Octavo.

Num: CCXXVI.

P. AMBROSIUS Ziegler Cremifanensis.

IN lucem prognatus IX. Calend. Junij anno MDCLXXXIV, Cremifanij inter mansuetiores Musas, Salisburgi vero inter Philosophicas spinas adolevit. Ut autem mature se Deo manciparet, monasticum institutum perpetuo colendum sumpsit Idibus Novembris anno MDCCII. Anno igitur MDCCIV a Supe-

Superioribus Salisburgum abire jussus tum Theologiæ sedulam operam impendit, tum in religioso convictu Philosophiæ Repetitor extitit, dignus proin, cui Universitas *Philosophiæ* prælectiones anno MDCCXII, *Theologiæ moralis* anno MDCCXIV, *Speculativæ* demum anno MDCCXIX commiserit, promotis Philosophiæ *Baccalaureis* anno MDCCXIII xv. Cal. Augusti *octoginta & uno*, *Magistris* anno MDCCXIV IV. Cal. Septembris *triginta*. Valedixit Theologicis laboribus anno MDCCXXVI, perennemq; doctrinæ suæ memoriam Universitati reliquit.

SCRIPTA.

Nosce te ipsum, seu anima vegetativa, sensitiva & rationalis. 4to. 1714.
De contractibus in genere & specie. Quarto. 1719.
De Incarnatione. Quarto. 1720.
De Sacramentis in genere, nec non Baptismo & Confirmatione in specie. Quarto. 1721.
De Deo Uno. 1723.
De Deo Trino. 1723.
De Angelis. 1725.
Theses menstruæ Philosophicæ aliquot. Octavo.

Num: CCXXVII.

P. ANASTASIUS Schreitter San-Blasianus.

Parentibus Lutheri secta infectis Weissenfelsæ in Saxonia natus III. Idus Martij anno MDCI, teneros annos in patrijs Scholis transegit, cumque Germaniæ Academias amplioris scientiæ hauriendæ gratia visitare statueret, lumen Catholicæ Fidei, quod Patria sua exularat, hic loci recepit, utque eo uberius meliora charismata a mundi tumultibus jam securus sectaretur, spreto neglectoque mundo mona-

Fidem Catholicam amplectitur.

sticam

sticam vitam in D. Blasij Congregatione suscepit III. Idus Maij anno MDCXXVI. Servavit conceptum semel conversionis ardorem illæsum ad ultimum usque spiritum, quem in manus sui Creatoris placidissime emisit in Præpositura Clingnoviensi IV. Nonas Maij anno MDCL, sepultus in Vicino Monasterio *Sionensi* Ord: S. Guilielmi, quod anno MDCCXXV authoritate Pontificia, Cæsarea, ac Episcopali Constantiensi, unacum Monasterio *Oberriedtensi* & *Mengensi* ejusdem Ordinis Guilielmitici, Congregationi San-Blasianæ unitum in Regulam D. Benedicti solenniter juravit. Græce præterea & Hebraice doctus non solum in Monasterio Garstensi & Fabariensi Philosophus audijt, sed etiam Salisburgi *Ethices* Professorem egit anno MDCXXXI, *Matheseos* anno MDCXXXII, *Philosophiæ* anno MDCXXXIII, creatis *Baccalaureis* anno MDCXXXIV IV. Nonas Julij *sexaginta novem Magistris* anno MDCXXXV Idibus Octobris *triginta octo*.

Tria Monasteria S. Guilielmi Ordinem S. Bened: suscipiunt.

Linguarum peritus.

SCRIPTA.

Theses Logicæ. Quarto. 1634.
De Principijs corporis naturalis. Quarto. 1634.
De Proprietatibus corporis naturalis. Quarto. 1635.
Miscellanea quædam Mathematica. MS.
Commentationes in Cap. I. Genesis. In Epistolam I. & II. S. Pauli ad Corinthios. In Evangelium S. Joannis. Octavo. *MS.*

Num CCXVII.

P. ANDREAS Vogt Ottoburanus.

MArchdorffensis Ottoburanis Monachis adnumeratus est XI. Cal. Decemb: an: MDCX. Præfuit *Rhetoricæ* anno MDCXVII, *Theologiæ morali* anno

MDC-

MDCXXII, *Juri canonico* an. MDXXXVI, *Procancellarium* ab an: MDCXXVII usq; MDCXXVIII, resignatam a Gregorio Abbate Infulam Ottoburanam suo imponi Capiti invitus tulit. *Vide Cap. V. Libri hujus.* In lucem emisit nihil, contentus laudem suam juventutis fructu metiri.

fit Abbas.

Num: CCXXIX.

D. ANDREAS Weick JCtus.

NAtales, suscepta munia ac obitus tanti Viri nos quidem latent, ex documentis tamen Academicis intelleximus eundem IV. Idus Februarij anno MDCXLIII præmisso de more solenni initio *Institutionum Jmperialium* prælectiones aggressum esse præsente Celsissimo Archi-Episcopo *Paride Lodronio.* Cæterum singulari jurisprudentiæ junctam habebat *raram eloquentiam ac memoriam prope Divinam* (*) quarum adminiculo Facultati juridicæ non modicum lumen advexit usque ad annum MDCXLIX, quo cum Salisburgi obijsse accepimus. b

rara eloquentia ac memoria pollet.

SCRIPTA.

De Tutelis. Quarto. 1647.

Num: CCXXX.

P. ANSELMUS Ambling Schvvarzacensis.

DOlemus sane tot literis ad Jmperiale Monasterium Schwarzacense datis Anselmi vitæ seriem scriptorumque catalogum nunquam ad nostras devenisse manus. Sed hæc meritis tanti Viri laudibus non derogent. Optimum non minus Philosophum quam

[b] *Ephemerides Academicæ.*

quam Religiosum sese Salisburgo probavit Anselmus, vita & moribus candidissimis genuinus Benedicti filius, exquisita vero rerum *Philosophicarum* peritia, quam in publica cathedra anno MDCLXXI profiteri cœpit, clarissimus Stagyreæ doctrinæ explanator. Impertijt *Baccalaureatus* lauream anno MDCLXXII v. Cal. Julij *viginti septem*, *Magisterij* anno MDCLXXIII v. Idus Octobris *octodecim*. Obitus nobis ignotus.

SCRIPTA.

Theses ex universo Philosophia. Fol. 1673.
De causis corporis naturalis. Octavo. 1673.

Num: CCXXXI.

P. ANSELMUS Erb Ottoburanus.

NAtus Ravenspurgi anno MDCLXXXVIII, Ottoburæ monasticorum votorum Professionem fecit anno MDCCVI, annum agens ætatis decimum octavum. Ss. Theologiæ & Juris Utriusque Candidatus examinatus & approbatus Superiorum jussu in Monasterio Rhetoricam, Philosophiam, ac Theologiam aliquamdiu docuit; cathedræ proin Academicæ maturus Salisburgi *Philosophiæ* Professor salutatur anno MDCCXX, promotis ex ea Facultate *Baccalaureis* anno MDCCXXI *septuaginta duobus*, *Magistris* anno MDCCXXIII *triginta & octo*. Agit nunc Lycæi Frisingensis Regentem, & Ss. Canonum Professorem adepta prius in Universitate nostra Doctorali Laurea ex utroque Jure anno MDCCXXV.

Ss. Canon. Profess. Frisingæ.

SCRIPTA.

Scientiarum Prodromus, seu selectæ quæstiones ex Prolegomenis. 8vo. 1722.
Forum sacrum casuum reservatorum. 8vo. 1726.

Num:

Num: CCXXXII.

P. ANSELMUS Schlager Andecensis.

PAtria Salisburgensis cætui Benedictino in Monte Sancto adscribitur Cal. Januarij anno MDCXLII. Confecto dein feliciter in eadem Universitate studiorum curriculo, primos post adeptum Sacerdotium annos animarum saluti in Parœcia; medios bono literario Salisburgi impendit, *Rudimentorum* Professor anno MDCLI, *Grammatices* anno MDCLII, *Philosophiæ* anno MDCLIII. A scholasticis hisce sudoribus liber ultimos vitæ dies animarum saluti in Palatinatu iterato contulit ea morum & literarum existimatione, ut Acatholicis quoque, quibuscum sæpius pro avita religione decertarat, venerationi & admirationi fuerit, futurus proculdubio etiam fructui, ni dura cervice veritati restitissent. Consumptus itaque in vinea Domini, fractusque susceptis laboribus, ut a supremo Patrefamilias denarium acciperet, e Monte Sancto ad Montem qui Christus est, migravit IX. Cal. Februarij an: MDCLXXVIII. Promoti sunt ab eo *Baccalaurei* anno MDCLIV *viginti septem*, *Magistri* anno MDCLV *quatuordecim*.

Animarum saluti in Palatinatu invigilat.

SCRIPTA.

De prima & secunda mentis operatione. 8vo. 1654.
De Generatione. 8vo. 1655.

Num: CCXXXIII.

D. ANTONIUS Cola Medicus.

NAtione Italus clarum inter Medicos nomen obtinuit, vel ideo potissimum, quod nemo magis herbarum cognitione excelleret, nemo me-

Celebris Medicus.

lius anatomen exhiberet, humanique corporis fabricam explicaret. Unde ex Italia Salisburgum evocatus primus ibidem *Medicinam* aperuit anno MDCXXXII. Verum, cum minorem expectatione sua discipulorum accursum cerneret, Virique peritia peramplum auditorium exoptaret, iterum Salisburgo valedixit anno MDCXXXV. Obitus incertus.

Num: CCXXXIV.

D. ANTONIUS Hermes JCtus

SI poma non procul a stipite cadunt, & filius sapiens gloria Patris; optimi profecto parentis Hermanni optimus filius fuit Antonius, paternarum virtutum & laudis Hæres. Infans admodum cum parente Colonia Salisburgum venit, ut, ubi celebri nominis sui fama cathedras implebat Pater, filius literarum rudimenta poneret, disceretque a bove majore arare minor. Et brevi quidem emensis sub cura Patrum Benedictinorum inferioribus scholis, Patris ductu inter Juristas stetit Juris Utriusque Doctor Salisburgi renuntiatus VI. Cal. Maij, an: MDCLXXVII. Defuncto postea optimo Parente an: MDCLXXX, ut in filio gratam Hermanni memoriam resuscitaret Universitas, cathedram *Institutionum Imperialium* anno eodem, *Pandectarum* anno MDCLXXXVIII Antonio detulit. Archiepiscopalis denique Legatus ad Comitia Ratisbonensia ibidem vitam posuit.

Legatus ad Comitia Ratisbonensia.

Num: CCXXXV.

P. ANTONIUS Stroz e S. Lamberto.

TRadita in celebri Benedictini Instituti Asceterio ad Scotos Viennæ Ss. Theologia, in Salisburgensi Universitate *Philosophiæ* cursum adorsus est anno MDC-

Fit Abbas. MDCXCIV, promotis anno insequente *Baccalaureis quadraginta novem*, *Magistris* anno MDCXCVI *viginti novem.* Abbas eligitur anno MDCCVII. *Vide Cap. IV. Libri hujus.*

SCRIPTA.

Quæstiones speculativo-morales in Logicam & Metaphysicam 4to. 1696.
Compendium super universam Physicam. 4to. 1696.
Discursus speculativo-practico-Theologici de efficacia meritorum Christi & Sanctorum, suffragijs & indulgentijs.
Theses Menstruæ aliquæ. 8vo.

Num: CCXXXVI.

P. AUGUSTINUS Kendlinger e S. Petro.

FUit Professor *Rudimentorum* an: MDCLXXI, *Grammatices* anno MDCLXXII, *Poëseos* anno MDCLXXXV, *Rhetorices* anno MDCXXXVI, *Matheseos* ab anno MDCXCI usq; ad annum MDCXCVIII.

Num: CCXXXVII.

P. AUGUSTINUS Magg Weingartensis.

OEniponti XIV. Cal. Novembris anno MDCLXV progenitus in Monasterio ad Vineas anno MDCLXXXV, Calendis Aprilis sacram Professionem emisit. Salisburgi Professor *Philosophiæ* anno MDCXCIX, *Controversiarum Fidei* anno MDCCII, *Casuum Conscientiæ* anno MDCCIII, *Theologiæ Scholasticæ* anno MDCCX, modo Confessarij munus obtinet apud Eminentissimum S. R. E. Cardinalem de Schrottenbach, Episcopum Olomucensem. *Baccalaurei* ab eo dicti sunt an: MDCC, III. Idus Julij *sexaginta quatuor*, *Magistri* an-

Confessarius Card: de Schrottenbach.

no MDCCI, xvi. Cal. Septembris *viginti octo*, *Doctores* Theologiæ aliquot.

SCRIPTA.

Organum Aristotelicum, *seu Logica Aristotelico-Thomistica Quæstiones potiores.* 4to. 1701.
Auditus Physicus. 4to. 1701.
Præceptor Legalis, *seu Tractatus de Legibus.* 4to. 1712.
Unum omnia, *seu Tractatus de Deo.* 4to. 1712.
Amussis boni & mali interna. 4to. 1713.

Num: CCXXXVIII.

P. AUGUSTINUS Rheding Einsidlensis.

CElebres Theologos Scholasticos ignorat, quisquis Augustinum nescit: *jurasses in ejus cerebro Hyponensium Antistitem revixisse.* (*) Aut enim viva virtus & doctrina fuit Augustinus, aut ex virtute & doctrina totus. Patria illi erat *Suitia* in Helvetia Cantonis *Suitiensis* princeps Civitas; Familia DD. Rhedingiorum a Biberegg, qua tamen mature neglecta suavi Christi jugo colla subdidit in Cœnobio Einsidlensi anno MDCXLI, die xxi. Decembris. Adepta postmodum in Academia Friburgensi Doctorali Laurea, Salisburgi *Ss. Theologiæ* cathedram conscendit anno MDCLV, tanta scientiæ opinione, ut ad eum velut oraculum omnes confugerint, virique scientia alias clari in difficilioribus quæstionibus ejus sententiam expetierint. Anno vero MDCLVIII ab Einsidlensi Principe D. Placido ad Eremum D. Virginis remeare jussus ægre ab Universitatis Patribus dimissus fuit: sed obedientia ac Superiorum mandata cunctorum votis prævaluerunt, seu potius gloria, ut altiori eum loco

e *Nobiles natales.* *Celebris Theologus.*

[c] *P. Felix Egger Id: Ord. Hierarch. Bened. Lib. III. Dissert. II.*

Electus in Principē Einsidlensem, loco collocaret. Decanus ab eodem Jllustrissimo Principe anno MDCLIX constitutus anno sequente in dignitate abbatiali eidem successit, mitra omnium ore & calculo dignissimus, utpote in cujus pectore sapientia & pietas sedem fixerant. Cultui divino præprimis deditus ornatam illam omni lapide pretioso, ut vocant, Monstrantiam, seu ostensorium nullis parcendo sumptibus consumavit: Chorum quoque Monasterij & Sacellum S. Magdalenæ funditus erexit, Sanctorumque Reliquias non paucas Roma asportavit. A sacris ad œconomica & literas conversus S. Nuntiaturæ Lucernensis, ac aliorum Catholicorum Helvetiæ Procerum impulsu & hortatu Dynastiam Sonnenbergensem, ne Acatholicorum usui serviret, suo Monasterio magno ære adscivit anno MDCLXXX, nec non Gymnasium Bellizonense anno MDCLXXV a Patribus Societatis Jesu derelictum per suos Monachos restauravit III. Nonas Septembris anni ejusdem. Obijt III. Idus Martij anno MDCXCII. Princeps ob singularem zelum tum propagandæ Catholicæ Fidei, tum defendendæ Summæ Sedis Authoritatis ab Ipso Ss. D. N. D. Innocentio XI. ter amatus.

coëmit Dynastiam Sonnenbergensem.

Schola Bellizonensis.

SCRIPTA.

De Dominio Clericorum & Religiosorum. 8vo. 1656.
De injurijs & restitutione pro ijs debita. 8vo. 1657.
Controversiæ Scholasticæ ex universa Theologia selectæ. 4to. 1657.
Theologia Scholastica universa. Fol. 1687. Tom: XIII.
Vindex Annalium Ecclesiasticorum Baronij. Fol. 1680.
Veritas inextincta Concilij Tridentini. Fol. 1684. Tom: V.
Dissertationes controversisticæ contra Heideggerum. 4to. 1684.
Dissertationes contra Vidrosium. 4to. 1684.
Oecumenicæ cathedræ Apostolicæ authoritas. Fol. 1689.
Explanationes & exhortationes in S. Regulam S. P. Bened. MS. Fol. Tom: III.

Num:

Num: CCXXXIX.

P. BASILIUS Finckeneis e S. Lamberto.

Wildonij, quod Oppidum est Styriæ, nobilibus parentibus procreatus Græcij primas literas & Philosophiam hausit ea ingenij facilitate, ut alijs sibi coævis incitamento & exemplo esset. Qua proin laude omnibus commendatus ad Monasterium S. Lamberti venit anno MDCLXVIII, absolutoque de more tyrocinio ad S. votorum nuncupationem admissus est VI. Idus Decembris anni insequentis. Novitiorum sui Monasterij Magister Salisburgum ad docendam *Philosophiam* abijt anno MDCLXXXVII, ibique non tantum doctrinæ fama præclare audijt, sed maxime modesta affabilitate animos adeo attraxit, ut multi Viri celebres conscientiæ suæ arbitrum eundem selegerint. Monasterio post absoluta stagyræa dogmata iterum redditus continuo pro doctione a Monasterijs S. Georgij in Tyroli, & Scotorum Vindobonæ expetitur, in quorum ultimo, cum in tertium jam annum discipulis Theologiam explanasset, mors præpropera dictanti calamum excussit pridie Idus Decembris año: MDCXCIII. Dixit *Baccalaureos* anno MDCLXXXVIII *Quadraginta novem*, *Magistros* anno MDCLXXXIX *triginta duos*.

varijs in locis Professorem agit.

SCRIPTA.

Conclusiones ex universa Philosophia. 8vo. 1689.

Problemata & Theoremata Philosophico-Logica, Physica & Metaphysica. 4to. 1689.

Theologia Controversistica.

Theologia supernaturalis & naturalis.

Theologia divina & humana.

Problemata Theologica.

Problemata de Angelis.

Theo-

Theologia polemyco-mystica, & Atheo-controversistica.
Commentarius in instrumenta bonorum operum S. P. Benedicti. & alia.

Num: CCXL.

P. BENEDICTUS Abelzhauser Seittenstettensis.

Optanda hic esset eloquentia, ut Præsulem hunc omnium ore laudatissimum vel eminus adumbrare possemus: nec enim unquam sacratum monasticæ disciplinæ zelum sterilis penna describit. *Abbas eligitur.* Nobis proin sufficiat, si eundem prævio cœlesti signo pedum Abbatiale accepisse dicamus. Restat modo ut eundem Salisburgi *S. Scripturæ* ac simul *Theologiæ Polemicæ* Professorē añotemus. *Occidit hic sol libris asceticis clarissimus* (*) an: MDCCXVII. Vid. supra *Cap. II.*

SCRIPTA.

Alveare sive meditationes XV *dierum.* 8vo. 1697.
Annona animæ quotidiana, seu meditationes in singulos anni dies. Lib. II. Octavo. 1708. & alia.

Num: CCXLI.

P. BENEDICTUS Behamstein Garstensis.

Austriacus Garstensis VII. Calend Octobris annō MDCLXV nobilibus Parentibus in orbem datus, abjecta mundi pompa habitum monasticum suscepit anno MDCXXXXV die Ss. Placido & Socijs sacra. Salisburgi cathedra *Philosophica* potitus habuit *Baccalaureos* anno MDCXCIII, xv. Cal. Julij *quadraginta*, *Magistros* anno MDCXCIV Cal. Sept. *triginta & unum.* Obijt Vir bonus & prudens placidissime XII. Cal. Aprilis anno MDCCXV, ætatis quinquagesimo nondum completo.

SCRIPTA.

Decas Discursuum Philosophico- Juridicorum. 8vo. 1694.

Num:

[*] *In not. ad Epist. Apologet,* VIII. P. Pezij Mellicensis.

Num: CCXLII.

P. BENEDICTUS Höffter e Ss. Udalrico & Afra.

Benedictus nobilis Familiæ DD. Höffter ab Hochenburg nobilis surculus S. Udalriciano Horto per solennem votorum sponsionem IV. Idus Augusti anno MDCXXXIX insertus, ob raram cultioris literaturæ peritiam in Universitate Salisburgensi *Rhetoricæ* docendæ admovetur anno MDCL. E culina dein, cui a Superioribus præfectus fuerat, anno MDCLXV ad Abbatiam Fultenbacensem evocari meruit. Ea in dignitate quam amicam sibi habuerit religiosam modestiam humilitatemque vel ex hoc abunde liquet, quod neglectis amicorum consilijs & hortamentis nunquam permoveri potuerit, ut abbatialem mitram publico ritu sibi imponi permitteret, donec e Monasterio S. Udalrici *P. Dionysius Raderus*, & *P. Christophorus Weiler* in Abbates, ille Thierhauptani, hic Neresheimensis Asceterij coaptati, Pontificalia insignia a Celsissimo Principe *Joanne Christophoro* Episcopo Augustano susciperent: His ut se socium honoris jungeret, altiora coëgere mandata. Profuit & præfuit utilissime Fultenbacensibus usque ad annum MDCLXXXIII, quo viribus fractus Abbatiam deposuit, atque ad locum S. Professionis se recepit, ubi piæ & religiosæ vitæ indulgens animam Creatori suo reddidit anno MDCLXXXV, in Festo Ss. Trinitatis.

Ad Insulam Fuldenbacensem evocatus,

iterum deposuit.

Num: CCXLIII.

P. BENEDICTUS Pettschacher e S. Lamberto.

Benedictum Thambsvvegium in territorio Salisburgensi genuit, Monasterium vero S. Lamberti

a puero educavit, cui etiam per solennia vota adscriptus est VI. Idus Augusti anno MDCLIV. Absoluto pro more intra Cœnobij septa junioratus biennio Græcij animum studijs ita applicuit, ut a Professore suo in publica Thesium propugnatione eam laudem audire sit meritus: *Hic Vir dignus est, qui mox cathedram docturus ascendat.* Ne igitur festivum marcesceret ingenium, e Monasterio Admontensi, ubi Philosophiæ arcana discipulis instillarat, Salisburgum ad Cathedram *Theologicam* vocatus est anno MDCLXVII. Vix sexennio Theologiæ auditorium, promotis aliquot ex eadem Facultate *Doctoribus*, illustraverat, & jam omnium suffragijs Rector Magnificus deposcebatur anno MDCLXXIII. Excoluit Provinciam istam usque ad annum MDCLXXXI communi omnium Ordinum encomio, præcipue Austriæ, Bavariæ, Styriæ, Carinthiæ, Sueviæ & Helvetiæ Præsulum, quorum plerique ejusdem curæ & doctrinæ olim Salisburgi commissi erant; unde etiam, hortante maxime Eminentissimo S. R. E. Cardinale *Sfondrati* tunc temporis Ss. Canonum Professore, a S. R. J. Principe Campidonensi pro Consiliario & conscientiæ Arbitro expetitus est. Verum forti animo hunc aliosque honorum titulos recusavit, eligens potius in privata Monasterij cellula pro Deo laboribus fatigari, quam in publico orbis theatro favoribus extolli. Sed & hic fugientem honos (delatum Prioris officium intelligimus) insecutus est. Qualem utrobique sese exhibuerit Benedictus, pluribus loquuntur documenta S. Lambertina, quæ nobiscum communicavit *R. P. Anselmus Milpacher* ejusdem loci Prior meritissimus: ut enim scientia, ita & vita Viro Ecclesiastico digna eminebat pius, prudens, patiens & mansuetus. An plura petis? deprædicent illi,

Fit Rector Magnificus.

Honores recusat.

Ejus elogium

qui judicij maturitatem, cum responderet: acrimoniam, cum disputaret: sedulitatem, cum studeret: fervorem, cum oraret, coram spectarunt. Psallere, orare, legere, scribere Viri vita, delitiæ, & cura fuit. Ereptus est mundo VIII. Cal. Aprilis anno MDCCI, ipso Parasceves die, vivit tamen adhuc in operibus post se relictis.

SCRIPTA.

Tractatus de Sacramentis in genere, & de Baptismo, Confirmatione & Eucharistia in specie. 8vo. 1675.

Tractatus speculativo- practicus de restitutione. 8vo. 1676.

Opusculum de jure in commune & in specie. 8vo.

De Incarnatione. 8vo. 1673.

Continuatio Operis de Miraculis & Origine B. M. V. Cellensis. Primus Ejus Author fuit P. Christophorus Jäger S. Lambertinus.

De Deo Uno & Trino.

De Contractibus.

De Legibus in communi & specie, ac Privilegijs.

De Sacramento & virtute Pœnitentiæ.

Theses Menstruæ ex Theologia aliquot. 8vo.

Num: CCXLIV.

P. BENEDICTUS Schmier Ottoburanus.

IN hanc lucem emersit Grönenbachij anni elapsi Seculi LXXXII. Annum postea ætatis decimum octavum prætervectus consuetam monasticorum votorum professionem in Cœnobio Ottoburano edidit V. Idus Novembris anno MDCC. Docuit in Universitate Salisburgensi *Philosophiam* anno MDCCXIII, *Jus Canonicum* anno MDCCXV usque MDCCXXI, *Theologiam moralem* anno MDCCXXII, *Speculativam* ab anno MDCCXXV, creatis Philosophiæ *Baccalaureis* anno MDCCXIV, V. Nonas Julij *sexaginta quatuor, Magistris* anno

no MDCCXV, IV. Calend. Septembris *triginta*. Etiamnum cum germano Fratre *P. Francisco* Rectore Magnifico Universitatem illustrat; hinc in vivum debita laudum encomia haud congerimus.

SCRIPTA.

Primatus Finis ultimi. 4to. 1713.
Dialectica controversa. 4to. 1715.
Physica controversa. 4to. 1715.
Metaphysica controversa 4. 1715. *ex quibus in unum collectis surrexit Philosophia quadripartita*. 4to. 1716.
Fundamentum & vertex universi Juris Canonici. 4. 1716.
De sacrosanctis Ecclesijs. 4to. 1717.
De Ss. Ordine Episcoporum. 4to. 1718.
Liber I. Decretalium. 4to. 1719.
Liber II. Decretalium. 4to. 1720.
Liber III. Decretalium. 4. 1721.
Liber IV. Decretalium. 4to 1722.
Liber V. Decretalium. 4to. 1718.
De Potestate Clavium in distribuendis ex Thesauro Ecclesiæ indulgentijs. 4to. 1726.
Liturgia Sacrificij & Sacramenti Eucharistici. 4to. 1727.

Num: CCXLV.

P. BENEDICTUS Stollenmayr e S. Petro.

FUit *Matheseos* Professor ab anno MDCXLV usque ad annum MDCL.

Num: CCXLVI.

P. BENEDICTUS Widel e S. Emmeramo.

INsignis Poëta, Philosophus, & Theologus ter *Philosophiam* extra Monasterium discipulis prælegit. Primo in Collegio Canonicorum Regularium in

Rhor: secundo in Collegio Pernriedensi: tertio Salisburgi anno MDCLXXXII. Domi tandem Parochus Civitatis ac Prior meritissimus munere suo strenue functus est. An vero etiamnum aura hac mortali fruatur, ignoramus. *Baccalaureatus* honore donavit anno MDCLXXXIII, III. Idus Julij *quadraginta*, *Magisterij* anno MDCLXXXIV, VIII. Idus Septembris *totidem*.

SCRIPTA.

Caduceator disceptantium Philosophorum. 8vo. 1684.
Janus Philosophicus bifrons, Aristotelico-Thomisticus. 8vo. 1684.

Num: CCXLVII.

P. BENEDICTUS Wider Tegernseensis.

FRidberga non ignobile Bavariæ Oppidum Benedicto Patria fuit anno MDCXXV. Ab optimis Parentibus mature literariæ institutioni traditus acre ubique ingenium ac magnam diligentiam præsetulit. Ut igitur literis pietatem quoque sociaret, liberioris vitæ commodis nuntium remisit anno MDCXLIII, defunctus IV. Nonas Aprilis anno MDCLXXXII. Præfuit Salisburgi *Theologiæ morali* ab anno MDCLVII usque ad annum MDCLIX. De libris ab eodem editis nobis non constat, recenset nihilominus eundem inter Scriptores elapsi Seculi *P. Bernardus Pezius Mellicensis* (*) qui, proin illorum catalogum dabit in Bibliotheca Germanica.
f

Num: CCXLVIII.

P. BERNARDUS Heitersreiter e S. Lamberto.

BErnardus a Musica, ingenio, morum probitate, studio, indolisque amœnitate nominatus, Salisburgi sub *P. Mauro Liechtenheimb*, confratre suo, Mathe-

[f] *Epistol: Apologet.* X.

Matheseos arcana feliciter imbibit; unde etiam eodem ad Theologiæ cathedram evecto a Superioribus dignus judicatus fuit, qui eidem in *Matheseos* Professura succederet. Usus clarissimorum tunc temporis Mathematicorum amicitia, & literis mire istanc scientiam callebat, nobilis plerumque Juventutis, quæ eum Magistrum venerabatur, delitiæ & gaudium. Obijt hydrope in Parochia ad B. Virginem, vulgo *Marein* in Valle Martia, ubi animarum curæ per biennium insudaverat, VIII. Calend. Aprilis anno MDCXCVII.

Insignis Mathematicus.

Num: CCXLIX.

P. BERNARDUS Oberhauser Ettalensis.

NAtus in ditione Salisburgensi, post absolutas in Universitate nostra tum mansuetiores literas, tum altiores Facultates, *Philosophiam* publice profiteri cœpit anno MDCCXXIII, dixitque *Baccalaureos* anno MDCCIV *octoginta tres*, *Magistros* anno insequente III. Calendas Septembris *quadraginta tres*. Viro huic, quem nunc Frisingensis Lycæi Professoribus adscriptum ab amicis accepimus, ob insignes ingenij dotes, & exquisitam scientiam brevi altiores Salisburgi cathedras auguramur.

SCRIPTA.

Biennium Philosophiæ Thomisticæ. 8vo. 1725. *Part. IV.*

Num: CCL.

P. BERNARDUS Ruedorffer Seonensis.

ABsoluto an: MDCXLVIII *cursu Philosophico*, eundem iterato inijt an: eodem, creatis *Baccalaureis* anno

ginis professus est, VIII. Idus Januarij anno MDC-
Eximus D. Virg. cultor. XXXVIII. A Puero intemeratæ Dei Genitricis cultor præcipuus, Ejusdem Confraternitatis primus Promotor & Præses *Einsidlæ* exstitit. Fratrum quoque Instructor, ac Congregationis Benedictino-Helveticæ in Curia Romana Procurator generalis, clarissimum illud Universitatis nostræ Sydus, & Principem Einsidlensem *Augustinum Rhedingium*, quem supra proposuimus, in *cathedra Theologica* excepit ab an: MDCLVII usque MDCLIX. *Regens* postea religiosi *Convictus* bis *S. Scripturæ* professionem aggressus est, anno MDCLXV, & MDCLXXII, *Procancellarius* ab anno
ac primus Superior Plainensis. MDCLXV usque MDCLXVII. Primus denique Superior in Æde Plainensi exorientem D. Virginis cultum ardenter promovit, utque omnium saluti prodesset, nobilissimi Parthenonis *Nunbergensis* spiritualem a Confessionibus curam diutius egit. Obijt Salisburgi XIII. Calend. Maij anno MDCXCIX, ætatis octuagesimo secundo.

SCRIPTA:

Selecta difficultates de Jure & Justitia. 8vo. 1660.
De sacratissimo Missa Sacrificio. 12mo. 1662.
De natura Theologia, & de existentia & essentia Dei. 12mo. 1663.
Disputatio menstrua de jurisdictione pænitentiali. 8vo. 1669.

Num: CCLII.

P. BERNARDUS Wenzel Tegernseensis.

Abbas. BErnardo, quem in Abbatem electum ob luculenta tum de suo Monasterio, tum de universa Congregatione Benedictino-Bavarica collecta merita fusius collaudant monumenta historica Tegernseensia,

(*) par

g (*) par encomium tribuit Facultas *Philosophica*, nec unquam ejus obliviscetur: ut enim diutius & uberius exquisita ejus doctrina frueretur, bis cathedram dedit, Anno videlicet MDCLXV, & MDCLXVII. Dixit duabus Promotionibus Academicis *Baccalaureos sexaginta octo*, *Magistros quadraginta & unum*. Plura habes superius *Cap. III.*

SCRIPTA.

Disputatio de rerum naturalium causis. 4to. 1667.
Disputatio de motu in genere. 8vo. 1667.
Disputatio de motu in specie. 8vo. 1667.
Disputatio de Anima. 8vo. 1669.
Tabulæ de successione & vita DD. Abbatum Tegernseensium ad illius usq; tempora deductæ.

Num: CCLIII.

P. BONIFACIUS Dax Andecensis.

EX principe Tyroleos Urbe Oenipontana ad sanctiora a Deo vocatus, postquam religiosam suam conversionem, dicto prius in sacram D. Benedicti Regulam juramento, in Monte Sancto VIII. Idus Decembris anno MDCXXXI inchoasset, Salisburgi ad literarum studia animum adjecit, utque alios quoque eo perduceret, *Rhetorices* professionem in se suscepit anno MDCXLII, *Præfectus Scholarum* ab anno MDCXLIV usque MDCXLVII. Hoc in munere, cum omnes eundem longius adesse maluissent, abesse & domum redire necessum habuit, focis ibidem & aris præesse jussus, sedulus Archimagirus & Prior zelosissimus. Finem vivendi fecit anno MDCLXIII Nonis Aprilis.

Num:

[g] *Apud P. Bernar: Pezium in Thesaur: anecdot: novis: tom. III. p. III.*

Num: CCLIV.

P. BRUNO Schlibnigg e S. Paulo in Carinthia.

ET hic duabus vicibus Doctor in *flagyraa cathedra* sedit, dignus qui tertio eandem occuparet. Sed & ipsum D. Pauli Monasterium, cui se totum anno MDCLXX addixerat, eundem Theologicis prælectionibus tum domi, tum in Dominio Collegensi destinavit. Præses demum ad B. Virginem in Eremo Carinthiæ fatis cessit anno MDCCV. *Baccalaurei* ab eo promoti numerantur an: MDCLXXXV & MDCLXXXVII *septuaginta novem*, *Magistri* sequioribus Annis *quinquaginta tres*.

SCRIPTA.

Anima una & trina. 4to. 1686.
Controversia Philosophica. 8vo. 1686.
Tractatus Meteorologicus. 4to. 1688.

Num: CCLV.

P. CAROLUS Bader Ettalensis.

IN Gymnasio Frisingano per quinquennium Poëseos Professor, Salisburgi *eandem* ab anno MDCCII usque MDCCV, *Rhetoricam* ab anno MDCCV usque MDCCXIII summa cum laude professus est. Vir eruditus & ob suam Latinæ pariter ac Germanicæ Poëseos gratiam plurimum commendandus, hodiedum in nobili Jllustrium collegio Ettalensi Professorem Rhetorices agit.

Num: CCLVI.

P. CAROLUS Grueber Cremisanensis.

NAtus Salisburgi anno MDCXLII, Monasticem professus est anno MDCLXI. A moderamine

Num: CCLX.

D. CHRISTOPHORUS Bluemlacher J.Ctus.

VItam, quam Salisburgi hausit, ibidem quoq; singulari jurisprudentia, amore in Patriam, ac fide in Celsissimos Archi-Episcopos reddidit illustrem. *Institutionum Imperialium* anno MDCLVII, *Pandectarum* ab anno MDCLXXI Professor publicus varios ex auditoribus suis suprema Jurium Laurea donavit, Obijt Vir præclarus anno MDCLXXIV.

SCRIPTA.

De Jure Empiteutico, vitalitio, & precario. 12mo. 1715. editio 2da.
Ordo concurrentium Creditorum in bonis subhastati Debitoris. 12. 1672.
De servitutibus prædialibus & realibus. 8vo. 1673. & 1719.
Informatio contra Magos. 8vo.
De retractu gentilitio & conventionali. 8vo. 1673.
Commentarius in Caroli V. Imp: Hals-Gerichts-Ordnung. 4to. aliquoties jam recusus.
De tutelis. 8vo. 1667.

Num: CCLXI.

P. CHRISTOPHORUS Rassler Zvvifaltensis.

COnstantia Christophorum genuit e Nobili DD: Rasslerorum Familia, Roma vero Præceptore Eminentissimo Cardinale de Luca in omnem scientiam efformavit. Domi juniorum Fratrum studijs cum præfuisset, Salisburgum accitus *Theologiæ* cathedram ab an: MDCLII usq; MDCLVIII occupavit, Celsissimo Archi-Episcopo Salisburgensi *Guidobaldo* non minus a sacris consilijs, quã ipsius etiam Universitatis *Vice-Rector*, donec an: MDCLVIII die vigesima prima Decembris a suis Abbas electus Zvvifuldam se recepit.

Abbas elgitur.

pit. Fuit, ut annales Zvvifaltenses loquuntur; (*) *Vir corpore ad magnificentiam procero, elegantique, excelso animo, acri judicio, & inter temporis sui optimates prudentiæ, civilitatis & facundiæ laude nemini secundus, quibus non tam amorem sibi, quam & reverentiam & timorem apud suos exterosque conciliavit.* Aucto itaque Monasterio & disciplina, servato pene ab interitu Monasterio S. Trudperti, initis novis confraternitatibus cum Monasterio Marchtalensi, Ottoburano & Rhenoviensi, ac ædificata maxima parte aulæ abbatialis, Constantiæ in Monasterio Petrusiano animam efflavit an: MDCLXXV in ipso D. Josephi Festo, quo ante annos quadraginta tres S. Professionem emiserat. Tumulatus est in eodem Monasterio Petrusiano.

Ejus præclara acta.

SCRIPTA.

Disputatio de Sacramentis in genere. 8vo. 1654.
De Pœnitentia. 4to. 1654.
De natura Theologiæ. 4to. 1655.
De visione beatifica. 4to. 1654.
Tractatus de Pœnitentia. 1661.
Nova Constitutiones, quas Anno MDCLXXI Mense Octobri Ochsenhusij Congregati DD. Abbates ex Congregatione Suevico-Constantiensi susceperunt, ac in omnibus Monasterijs suis promulgarunt.

Num: CCLXII.

P. CHRISTOPHORUS Törring Gottvvicensis.

NAtione Bavarus, seu, ut literæ mortuales volunt, Brandenburgensis, Coloniæ Agrippinæ Pontificio ac Cæsareo Juri operam navavit. Bononiæ dein VI. Idus Maij anno MDCXXXVI utriusque Juris Laurea redimitus, Promotoribus *Marco Antonio*

[b] *Apud P. Arsenium Sulger, Sec.* VI. *Period.* V. *Cap.* VII.

communi omnium ſuffragio illuſtrem reddiderit quam maxime. Merito proin anno MDCXXXVIII *Vice-Rectoratu*, & anno MDCXXXVII uſque MDCLVI *Procancellarij* rude Eum donavit Univerſitas. Quo vero Eidem virtus fuerit, iterata Præfecturarum edicunt munia, quibus diſciplinam tum Alumnorum, tum Religioſi convictus magna cura & charitate vel conſervavit, vel reſtauravit. Conſumptus tandem Marthæ laboribus, Mariæ, ut ſperare juvat, optimam in æternitate partem reportaturus ad Dominum migravit anno MDCLXI. *Baccalaureos* inauguravit anno MDCXXIV *viginti ſeptem*, *Magiſtros* anno MDCXXVI, VII. Calendas Aprilis *quindecim*, *Doctores & Licentiatos* aliquot.

SCRIPTA.

De Gratia divina. 4to. 1630.
Theoremata ex univerſa Doctoris Angelici Summa. 4to. 1630. & 1642.
Verbum Dei incarnatum. 4to. 1642.
Actus humanus. 4to. 1643.
De Deo Uno & Trino. 4. med. 1644.
Convivium Eucharisticum. 4. 1644.
Triga virtutum Theologicarum. 4to. 1648.

Num: CCLVIII.

P. CAROLUS Schrenck L.B. a Nozing e S. Petro.

PRofeſſor *Philoſophiæ* anno MDCLXXXVIII, *Controverſiarum* anno MDCXCIV, *Theologiæ ſcholaſticæ* ab anno MDCXCV uſq; MDCCII, anno eodem Abbas eligitur. *Vid. Cap. IV.* Qualis inter ſcholaſticos ſudores apparuerit Carolus, habe ex applauſu feſtivo, quem eidem dedicarunt Muſæ Salisburgenſes III. Calendas Julij, ipſa abbatialis inaugurationis die:

Fit Abbas.

tonio Bocchio, & *Lelio Bonasono*, *Ss. Canones* Salisburgi interpretatus est ab anno MDCXXXVI usque ad annum MDCXLIII. Qua fama? audi literas mortuales: *Delphos adituri, apud hunc Jurisconsultum divertebant, e cathedra Salisburgensi sexennio sacrorum Canonum oracula depromentem, ut in Urbe & Orbe personaret.* Obijt IV. Idus Novembris anno MDCXLIII.

Elogium.

SCRIPTA.

De foro competente. 4to. 1640.
Disputatio de causa possessoria. 4to. 1641.
Disputatio de Jure Rescriptorum. 4to. 1642.

Num: CCLXIII.

P. CLEMENS Meutisseus Lamspringensis.

Clementem, quem nequaquam iratis Musis usum fuisse, judicarunt eruditi quique, *Matheseos* schola Professorem habuit ab anno MDCLVIII usq; MDCLXVI. An autem quædam in publicum emiserit, quove Anno vitæ Periodum clauserit, necdum rescire potuimus.

Num: CCLXIV.

P. COELESTINUS Ermans Lambacensis.

Lincensis Austriacus consueta monasticorum votorum nuncupatione se constrinxit Lambaci Anno hujus Seculi decimo quarto, die vero decima nona Octobris. Salisburgi *Philosophiæ* Prælectionibus admotus *Baccalaureatus* Lauream distribuit anno MDCCXXIII *sexaginta*, *Magisterij* anno MDCCXXIV *quadraginta & uno.*

Num:

Num: CCLXVI.

P. COELESTINUS Meyer e Ss. Udalrico & Afra.

ANno MDCXCVIII, VIII. Calendas Junij per sacram Professionem in gremium San-Udalricianum receptus, Salisburgi anno MDCCXI *Philosophiæ* ac, an: MDCCXIII *Controversiarum* Professor declaratur. Nec diu hanc Provinciam subijt, sed anno MDCCXIV *Theologiæ speculativæ* cathedram conscendit, relictis ubique præclaris ingenij doctrinæque suæ documentis. Promovit *Baccalaureos* año MDCCXII pridie Nonas Julij *sexaginta quinque*, *Magistros* anno MDCCXIII, III. Calendas Septembris *triginta quatuor*, *Doctores* & *Licentiatos* plurimos. Præses hodie Congregationis majoris Academicæ ab anno MDCCXIV, *Procancellarius* ab anno MDCCXIX, clarum inter Patres academicos nomen obtinet dignus omni ac fusiori encomio, ni illud Syracidis (*) recurreret, *ante mortem ne laudaveris hominem.*

SCRIPTA.

Trismegistus discurrens sub triplici facie symbolica, rationali, & naturali. 4to. 1713.

Hyperdulia Mariana, seu festa Dei Parentis, cultu symbolico, Philosophico, historico, morali celebrata. Fol. 1713.

Tractatus Theologicus de Jure & Justitia. 4to. 1715.

De Ss. Eucharistia. 4to. 1717.

De Fide divina. 4to. 1717.

De Divini Verbi Incarnatione. 4to. 1718.

De Mysterijs divini Verbi Incarnationem antecedentibus, comitantibus & consequentibus. 4to. 1719.

De Vita, Morte, alijsq; Mysterijs usq; ad secundũ Christi Adventum. 4. 1720.

De secundo Christi adventu. 4to. 1721.

De

(*i*) Eccles. XI. ℣. 30.

De statu futuri Seculi, seu de futura mundi, Beatorum, damnatorum, & parvulorum conditione. 4to. 1722.
Theses menstruæ Philosophica aliquot. 8vo.

Num: CCLXVI.

P. COELESTINUS Pley Seittenstettensis.

Coelestino Cœlestinum jungimus, iisdem in Universitate Juvaviensi cathedris functum, iisdemque fere meritis cumulatum. Professus Is an: MDCLXXXII vitam monasticam, eodem adhuc anno Salisburgum a Superioribus dimittitur, ut sub cura Patrum Benedictinorum in omnem virtutem & doctrinam excresceret. Nec vacuam dimisit Superiorum spem, sed ingenij facilitate diligentiaque varium scientiarum apparatum brevi temporis spatio sibi comparavit. Donatus ergo anno MDCXCI *Stagyrææ* cathedra, anno MDCC *Controversias Fidei*, ac anno MDCCII *Theologiam moralem* Professor adijt, quin etiam ab anno MDCCIII usque MDCCX *Theologiæ speculativæ* latices frequenti auditorio propinavit. Scholasticos labores excepit Prioris officium eidem in Monasterio Seittenstettensi oblatum, & hoc animarum cura in Parochia Aspacensi, ubi diem supremum clausit. Consuetos porro Philosophiæ honores decrevit *Baccalaureis* anno MDCXCII, VIII. Idus Julij *sexaginta duobus*, *Magistris* anno MDCXCIII, IV. Nonas Septembris *triginta novem*.

SCRIPTA.

Logica Aristotelico-Thomistica. 4to. 1693.
Physica & Metaphysica Aristotelico-Thomistica. 4to. 1693.
Delectus Theologicus. 4to. Pars I. 1706. Pars II. 1708.
Basis universæ Theologiæ, id est, Fides divina. 4. Pars I. 1707, Pars II 1709.

Erothemata Theologiæ angelicæ Benedictino-Thomisticæ. Fol. 1711.
Theses menstruæ aliquot. 8vo.
Anno MDCCXVII præ manibus habuit opus asceticum; id, an jam publicam lucem viderit, ignoramus.

Num: CCLXVII.

P. COELESTINUS Probst Andecensis.

PAtria Ei fuit Landsperga haud ignobilis Bavariæ Civitas, ubi etiam humaniorum literarum fundamenta summo cum fructu posuit, factoque in die Omnium Sanctorum Benedictino Juramento, in Convictu Salisburgensi pari progressu altiores scientias junxit. Egit anno MDCL in Universitate *Philosophicorum* dogmatum interpretem, eo sui desiderio, ut anno MDCLV denuo pro *Theologia morali* fuerit postulatus. Verum majora tanto Viro reservabat cœlum, Mitram videlicet abbatialem, quam Eidem Monasterium Andecense obtulit VI. Idus Julij anno MDCLV. Nova hac auctus dignitate eandem magis ipse augebat virtute sua & doctrina, qua omnes Magnates & Principes sibi devinciebat. Literarū & Literatorum cultor singularis Religiosos suos ad omnes pene Germaniæ ac Italiæ Universitates dimisit, ut in omnibus velut totidem alvearijs mel sapientiæ degustarent. Obijt apoplexia an: MDCLXVI Nonis Februarij, cum jam ante duos menses abbatiam, quam fortiter cœperat, magnanime rursus deposuisset. *Baccalaurei* ab Eo an: MDCLI, III. Nonas Julij promoti numerantur *viginti septem*, *Magistri* an: MDCLII, & MDCLVI pridie Idus Octobris *quinquaginta quatuor*.

Abbas electus

Literatos fovet.

SCRIPTA.

Prolegomena Logicæ. 8vo. 1651.
Principia & causæ corporis naturalis. 8vo. 1652.

Pro-

Proprietates corporis naturalis. 4to. 1652.
Theses selectæ. 4. maj. 1652.
Corpus simplex & mixtum. 8vo. 1652.
Corpus animatum. 8vo. 1652.
Disputatio de relatione. 8vo. 1652.
Disputatio de Ente & Ejus proprietatibus. 8vo. 1654.
Disputatio de habitibus 8vo. 1654.

Num: CCLXVIII.

P. COELESTINUS Romoser Admontensis.

Rector Magnificus.

NAtus in Styria anno MDCLXXVII, docuit Salisburgi *Philosophiam* anno MDCXCVIII, *Controversias Fidei* anno MDCCIII. *Rector* denique *Magnificus* an: MDCCVIII salutatus, Urbem & Rectoratum reliquit an: MDCCXI. Parochus postea Gröbmingensis tumulo illatus est anno MDCCXX. Dixit *Baccalaureos* an: MDCXCIX, Calendis Julij *quinquaginta novem*, *Magistros* anno MDCC, VIII. Calendas Septembris *triginta & unum*.

SCRIPTA.

Philosophia rationalis. Fol. 1703.
Meteora Historico-Philosophica. Fol. 1700.
Quæstiones selectæ Philosophicæ. 8vo. 1700.
Theses menstruæ aliquot, 8vo.

Num: CCLXIX.

P. COELESTINUS Sfondratus San-Gallensis.

TAndem commerita laudum encomia nos destituunt, ubi Virum aggredimur, cujus virtus superat omnia, quemque passim tot elogijs jam extulerunt Auctores plurimi. Siluisse tamen grande pia-

culum foret, cum in *Sfondrato* Universitas nostra glorietur maxime, ac ea nobis ad manus fuerint
k documenta, (*) quæ plurimorum hactenus fugerunt oculos. Mediolani itaque ex antiquissima Sfondratorum Familia, unde etiam *Gregorius XIV* Pontifex
Natales. Maximus Originem duxerat, in lucem prodijt anno MDCXLIV, tenerosque annos in paterna domo sub optimis Magistris transegit, ea jam tum ingenij maturitate, ut universi de puero maxima quæque
l præsagirent, nam (*)

Creditur, & claro probat experientia facto,
Non solitam Lucina operam sensisse, sed esse
Palladis susceptum gremio ter amabile pignus,
Pieridumque choro commissum lacte remoto
Non nisi Castalios infantem hausisse liquores;
Ac cito splendentes, puerilia munera, bullas
Effugiente manu solius imagine visi,
Et risisse hilarem tendentis ad oscula libri.

Eam ob causam a pijssimis Parentibus anno ætatis duodecimo *Rosacum* ad Lacum Podamicum, ubi PP. San-Gallenses celebrem scholam aperuerant, ad literarum studia, ac germanam linguam addiscendam dimissus, ingenij acumine & solertia coævos facile adæquavit, moribus vero ac indole ferventi generosaque cunctis emicuit. Cumque adolescentes nonnullos, condiscipulos suos, ad S. Benedicti Ordinem in D. Galli Monasterio suscipiendum animos applicuisse cerneret, Ipse, qui nulli uti scientia ita

Ingreditur Monasterium S. Galli.

[k] *Vita Sfondrati MSS. quam conscripsit P. Deicola a Ligriz nunc Asceta S. Galli.*

[l] *Musæ Salisburgenses* in Arbore Fœcunda *Eidem dicata anno* 1696.

ita & virtute ſecundus videri volebat, pari converſionis ſpiritu ductus eidem S. Ordini collum ſubmittere ſtatuit, expletoque probationis Anno *Cæleſtini* nomen ſortitus eſt. Vix annum ætatis vigeſimum ſecundum attigerat, & jam ob ingentem ſcientiarum cumulum primo in Ducali Aſceterio Campidonenſi Theologiæ, domi dein per plures annos Philoſophiæ, Theologiæ, ac Juris Canonici Profeſſor inaudijt. Magiſter quoque Novitiorum conſtitutus pietate ac morum decore multos præclare imbuit, ex quibus ſucceſſu temporis plures in diverſis locis abbatiali dignitate inſigniti, pietatem atque ſcientiam *Cæleſtini* ore hauſtam maximo Ordinis noſtri flore in alios etiam transfuderunt.

Salisburgi Ss. Canonum Profeſſor.

Percrebreſcente hoc modo doctrinæ ejus fama Salisburgenſis Univerſitas hanc ſibi gemmam concredi repetitis obtinuit precibus, triplicique prius laureo doctorali, Theologiæ nimirum & utriuſque Juris redimitum, in celebri *Juris Canonici* cathedra *Sfondratum* collocavit an: MDCLXXIX. Quantis radijs ſupra candelabrum academicum poſitus Facultatem Juridicam illuſtrarit, peregrinus ſit, qui ignorat. Nemo ſcire creditus eſt, quod ille ignorabat: Erat enim in eo ingenium, quod nulli cedebat; judicium, quod omnes ſuperabat; doctrina, qua quidquid ſciri poterat, infinita propemodum lectione complectebatur. Tantus proin ad publica ejuſdem collegia & prælectiones diſcentium concurſus fiebat, ut pene ſolus docere poſſe videretur, ac unus omnium eſſet dolor, cum ſermoni finem imponeret, utpote, qui nullum paragraphum dictavit, aut explicavit unquam, quin ex ſingulis ſciſcitaretur, an bene intellexiſſent omnia; neq; ullum dubium præterlabi patiebatur, quod non iterato præclare expoſuiſſet, vo-

leba-

lebatque, ut omni tempore eundem adirent discipuli, ac exorta dubia proponerent, & ni fecissent, durius arguebat. Verbo: Idea Professoris optimi, atque discipulorum anima *Sfondratus* erat. Id quod Musæ Salisburgenses in citata *Arbore fæcunda* pluribus dilaudant.

Ipse sed ingenuos Parnassi nactus alumnos,
Justitiæ monstrare vias, exponere Leges,
Fundereque Astrææ cælestia dogmata jussus,
Quæ Canonum documenta dedit! documenta decora
Quam numerosa Themis vel in uno corde laboret.
Quotquot verba; tot est divino visus ab ore
Fudisse æternis memoranda oracula cedris.
Lex, quæ tam dubio pateretur vincula sensu,
Nulla fuit; non longæ adeo sub judice lites,
Nullus tam densa implicitus caligine casus,
Quas tenebras non discussit, quæ vincula, lites
Mira Sfondratus non dexteritate resolvit,
Visus doctrina Musas animare, novosque
Secum soles Salzburgensi inducere Pindo.

S. Pontificis authoritatem defendendam suscipit.

Maximum autem, quod Salisburgi perficiendum suscepit, illud fuit, quod quatuor illarum propositionum Cleri Gallicani, quibus infallibilitas & authoritas Christi in terris Vicarij graviter arguebatur, discussionem ab Universitatis nostræ Senatu sibi oblatam admiserit, atque insigni volumine, cui titulus *Regale Sacerdotium*, Pontificiam authoritatem a calumnia liberarit. Reversus est inde anno MDCLXXXII ad Monasterium S. Galli sub Principe & Abbate ejusdem loci *Gallo II*, Viro antiqui moris, & avitæ disciplinæ studiosissimo. Hic, cum *Cælestinum* humanis laudibus ac favoribus ubique efferri cerne-

cerneret, veritus, ne is inter continua omnium encomia humanum quid pateretur, eum deprimere & humiliare statuit, simulque Sacelli rustici, quod horario itinere Rosaco distat, curam eidem commisit, ut pedes illuc, aut forte, si aëris intemperies prohiberet, obvio equo delatus rudi plebeculæ vernacula lingua Dei verbum annuntiaret. Paruit emeritus Doctor jubentis imperio; Cùm tamen satiandæ ejus solertiæ cura hæc impar esset, Philosophiam interim conscripsit, eamque typis San-Gallensibus in publicum emisit. Quin & ipse *Gallus* Abbas *Cælestini* patientiam, humilitatemque satis expertus eundem ad Monasterium e Parœcia revocavit, ac suum in Spiritualibus Vicarium Generalem constituit. At neque istud officium solicitudinis licet plenum *Sfondrati* nostri diligentiam, laborum alias assuetam, retinuit, ne *Regali Sacerdotio* aliud volumen ceu prioris completivum sub titulo *Galliæ Vindicatæ* adjungeret, in quo luculentis argumentis demonstrat, Galliæ Doctores & Præsules non solum ab omni ævo pro libertate Ecclesiæ Romanæ constanter stetisse, verum etiam quatuor Cleri Gallicani propositiones nullibi magis ac majoribus exemplis, quam in ipsa Gallia, *m* damnatas esse. (*) Non leviter hæc *Cælestini* opera Propositionum Auctoribus bilem moverunt, cum & veritati tam luculentæ sese opponere, & eloquentiæ differentis respondere formidarent. Arriserunt econtra Curiæ Romanæ docti adeo pro Ecclesia suscepti labores: hos, ut *Innocentius XI. P.M.* digno remuneraret præmio, Episcopatum Novarinum, quem Ipsemet olim ante Summum Pontificatum tenuerat, Eidem obtulit anno MDCLXXXVI. Invito plane animo insperatos Episcopalis dignitatis honores viri mo-

Episcopus Novarinus.

[*m*] Auctor in *Nuncup: Galliæ Vindic: ad Innocentium XI. P. M.*

modestia tulit, quin humili potius generosoque cō-natu eos a se amoliri adorsus, Eminentissimum S.R.E. Cardinalem *Cybo* sæpius literis convenit, ut apud Sanctissimum Patrem preces suas interponeret, ne ex humili & quieta Monasterij cellula ad publicas curas raperetur. Verum rejectis precibus Pontificia voluntas prævaluit, delatumque onus suscipere coëgit. Haud inflavit novus hic dignitatis apex religiosam *Cælestini* mentem, sed, cum hyemis intemperies iter præpediret, seu potius cœlum alia de eodem disponeret, inter Confratres suos simplicis Monachi mores prætulit communi vita, disciplina & ordine contentus.

Fit Abbas S. Galli. Clauserat interea San-Gallensium Princeps & Abbas *D. Gallus* diem supremum IV. Nonas Martij anno MDCLXXXVII; Huic, ut supparem Successorem designarent Capitulares San-Gallenses, Juniorum præcipue suffragijs Abbas subrogatus est *Cælestinus* noster XVI. Calendas Maij. Dimisso itaque Episcopatu abbatiali oneri humeros submisit, seque *Pietas in pauperes.* talem prudentia, justitia & gravitate exhibuit, ut nihil in eo desiderari posse videretur. Præprimis vero pietate in pauperes & pupillos enituit, quos ingruente anno MDCXCIII fame annona & facultatibus pro viribus adjuvare nunquam destitit. Ut enim eo securius subveniret omnibus, Eleemosinarium suum totius ditionis San-Gallensis pagos & vicos obire, inopum, ægrorum, senum ac infantum numerum inire, atque in singula capita quavis septimana certam panis ac farinæ mensuram decernere jussit; quin ingravescente hyeme vestitu lignisque eisdem subvenit, ne frigore perirent. Quantam pecuniæ vim effusa isthæc charitas, quæ integro triennio *Sfondratum* occupatum habuit, consumpserit, quivis æquus

rerum

rerum æſtimator facile dijudicabat. Soli *Cœleſtino* noſtro minora hæc videbantur, ni ipſe ex eo tempore, quo fames graſſabatur, altero panis fruſto in menſa ſibi offerri ſolito deinceps abſtinuiſſet; indecorum nimirum ratus, ſi binis fruſtis frueretur, dum Chriſti pauperes vel uno ſubinde carerent. Nec id miramur, ſi frugalem Principis menſam in mentem revocemus. Vinum aqua ſemper diluit, illudque tam modice ſumpſit, ut plus guſtare quam bibere crederetur. Cibos etiam, quibus ſe affici ſentiebat, quandoque parari juſſit, at menſæ illatis plane abſtinuit, neque unquam frugum primitias guſtare voluit, ſed Deo per abſtinentiam obtulit. Menſam porro abbatialem ſic ſacra lectione ac ſenſatis colloquijs condire noverat, ut illuc tum Regulares tum Seculares plus ad animi quam corporis refectionem accedere ambirent. A prandio horam recreationi dabat, eaque completa, totum reliquum tempus publicis Monaſterij negotijs, lectioni, aut ſcriptioni impendit tam avarus temporis uſurarius, ut omnia horarum momenta ceu pretioſiſſimas uniones collegerit.

Ut autem parvam a tumultu ſeculari quietem capere poſſet, noctu in privata Monaſterij cellula dormiebat, ubi aliorum more ad matutinas laudes excitatus pſallentium choro intererat, nec raro finitis Matutinis, cum cæteri cubitum ſeſe recepiſſent, iterato in Eccleſiam deſcendit, orationemque coram venerabili Euchariſtiæ Sacramento ad lucis exortum uſque produxit. Hæc publica erant, interna novit Deus, qui ſolus Scrutator eſt cordium. Zelum ſane pro Fide Catholica Libri contra Heideggerum & alios editi; Cultum immaculatæ Virginis *Innocentia Vindicata*; Miſericordiam in pauperes largæ eleemoſinæ; Humilitatem & in reprehendendo ſuavitatem, quot-

quot ejus imperio suberant; corporis denique, quod sedulo in servitutem redigere satagebat, occultas castigationes post obitum inventa flagra & cilicia abunde testantur.

S. R. E. Cardinalis. Tot tantisque *Cœlestini* dotibus illectus Summus Pontifex *Innocentius XI* eum dignissimum censuit, quem año MDCXCV sacra Purpura exornatum pro communi Ecclesiæ utilitate Romam avocaret. Coactis proin Helvetiæ Abbatibus, ut Benedictinæ Congregationis necessitatibus consuleret, proprioque Abbate San-Gallensibus dato, anno MDCXCVI Romanum iter aggressus est. Incredibile, quantus dolor in optimi Patris discessu omnium corda occuparit, cum ipse populus acatholicus Civitatem S. Galli pertranseunti non solum inter lacrimas supremum Vale dixerit, verum etiam Primores Urbis *Rosacum* usque comitati sint. Haud absimilis per Rhœtiam & Italiam notabatur populorum accursus, eædemque erant Abbatum, Principum, Episcoporum salutationes, quas nihilominus arreptis itinerum ambagibus passim evitare conatus est. Egit id quoque *Romæ*, alia ipso via, alia ejus comitatu ingressis.

Verum quam brevis hæc gloria fuit. Vix sex Menses Romæ peregerat, & jam, quem plurimi Apostolicæ Sedi imponendum speraverant, inscrutabilia *Romæ obit.* Dei judicia ad tumbam vocabant. Quamprimum ergo mortem vicinam agnovit, sacrosanctis Ecclesiæ Catholicæ Sacramentis agonem munijt. Exin antiquorum Patrum exemplo Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Nicænum tractim ac morose sibi prælegi jussit, sæpiusque Angelico Epulo refectus lætam operiebatur mortem: *Duæ enim sunt causæ*, inquiebat, *quare mors mihi grata accidat; prima est, quod ista mors eum in statum*

me

me ponat, in quo Deum amplius offendere non possim: & hanc gratiam, Deum amplius non offendendi, pluris æstimo, quam omnia bona spiritualia & temporalia, quæ per omnem vitam facere potuissem. Altera est: quod, cum Deo infinitis titulis obstrictus sim, nihilque habeam, quo meam erga Deum gratitudinem profitear, hanc ipsam mortem eidem in signum supremi in me dominij offerre possim. Tandem pridie Nonas Septembris, postquam deficiente propemodum lingua ter Sanctissima *Jesus* & *Mariæ* Nomina invocasset, defixis in Crucifixi Imaginem oculis subridenti similis animam efflavit anno MDCXCVI, ætatis quinquagesimo secundo. Vulgatam jam antea in populo famam *Cælestinum* nostrum inculpatam egisse vitam, auxerunt reperta post mortem gemina cilicia totidemque flagella, intextis argenteis stellulis aspera ac multo cruore tincta. Ex cilicijs alterum equino crine hispidum in modum scapularis, quo Monachi Benedictini nocturno tempore utuntur, contextum pectus dorsumque infestabat: alterum e filo ferreo auctis cuspidibus horrebat. Flagellorum unum Monialibus S. Cæciliæ, alterum sacratis Benedictinæ Familiæ Virginibus in campo Martio cessit. Cilicium ferreum eburneæ pixidi inclusum vendicavit sibi Orator Cæsareus *D. Comes Martinizius*, qui vivente adhuc *Cælestino*, sed conclamata jam valetudine, ejus sibi copiam fieri frequenter expetierat. Cilicium denique setosum in plurimas partes distractum multorum devotioni satisfecit. Corpus exanime ære & luctu publico elatum in Ecclesia S. Cæciliæ tumulum habet hac sepulchrali Inscriptione Epitaphium.

COELESTINUS Tit: S. Caciliæ S. R. E. PRÆSBYTER
Cardinalis SFONDRATUS; miserrimus peccator,
Atque ejusdem Virginis humilis servus,
Ad cujus pedes hic humiliter quiescit.
Vixit Annos LII. *Obijt pridie Nonas Septembris,*
Anno MDCXCVI.
Orate DEUM pro Eo.

Communis est hæc inscriptio cum illa, quam in eadem Ecclesia posuerunt *Paulo Æmilio Sfondrato S.R.E. Cardinali* ibidem sepulto. Ut autem & Monasterio S. Galli perpetua esset *Cælestini* nostri memoria, cor ejus ad S. Gallum translatum, atque in ingressu chori ad latus dexterum collocatum est, ubi sequens monumentum eidem erexit Successor *Leodegarius* Abbas.

Cor ad S. Gallum quiescit.

Hic Requiescit
COR
Eminentissimi S. R. E. Cardinalis, quondam Jllustrissimi
S. R. J. PRINCIPIS, S. Galli ABBATIS,
COELESTINI SFONDRATI.
Cui pro DEO, Ecclesia, Patria, maximis curis, laboribus, meritis
Defuncto, æterna apud Posteros memoria, virtute, & gloria victuro,
Anno MDCXCVII *hoc gratitudinis monumentum sibi mæstisque*
Filijs in solatium Successor errexit.
Bene Sperate.
EGO dormio, sed COR meum vigilat.
VIGILATE.

Plura qui petit, consulat *Purpuram Doctam* Clarissimi D. Eggs, aliosque, qui uno omnes ore plurima encomia in *Cælestinum* congerunt, si *Regalistas* excipias. Hi, cum in viventem ne mussitare quidem ausi fuissent, in mortuum unito agmine irruerunt, ac præclarum illum librum, cui titulus *Nodus Prædestinationis*, hæreseos arguere præsumpserunt.

At

At veritas Sfondratianæ doctrinæ instar auri probari potuit & impugnari, supprimi autem ac fœdari minime, quin illustrior semper Germaniæ, Jtaliæque illucesceret.

SCRIPTA.

Disputatio de Lege in præsumptione fundata. Fol. 1681.
Cursus Philosophicus San-Gallensis. 4to. 1695. Tom. III.
Regale Sacerdotium. 4. 1684.
Gallia Vindicata. 8vo. 1688.
Legatio Marchionis Lavardini. 12mo. 1688.
De Baptismo Infantium. 4to.
Nepotismus Theologice expensus. 12mo. 1692.
Innocentia vindicata, seu de immaculata conceptione B. V. M. Fol. 1695.
Nodus prædestinationis dissolutus. 4to. 1697.
Tractatus de probabilitate contra morum corruptelas, & nimiam sententiarum laxitatem. MS. ni fallimur.
Historia Atheismi. MS. opus imperfectum.
Dissertationes contra pestilentem librum Heideggeri Tigurini. *MS.*
Constitutiones pro Clero.
Commentaria in Jus Canonicum MS. Tom. III. quæ Clemens XI. P. M. e Bibliotheca vaticana cum Monasterio S. Galli communicavit anno 1720.

Num: CCLXX.

P. CORBINIANUS Thomas Elchingensis.

AUgustam Vindelicorum Patriam habuit anno MDCXCIV. Amplexus dein VIII. Calendas Augusti MDCCXV, D. Benedicti Regulam, Salisburgi in *Matheseos* cathedra successit defuncto Confratri suo *P. Mauro Kremp* anno MDCCXXI. Hodiedum hanc spartam egregie sustinet, ob exactam Mathematicarum rerum peritiam eo munere dignissimus;

mus; id quod ingenij monumenta, quæ modò præ manibus habet, eruditos docebunt, utque ad majorem Viri famam & gloriam brevi in lucem emergant, animitus exoptamus.

SCRIPTA.

Varia Erotemata Mathematica, quibus hucusque Ephemerides Salisburgenses comitari solitus est.

De Quæstione super celebrando Paschate MDCCXXIV. inter Catholicos & Acatholicos exorta. 1724.

Prodromus Mercurij Philosophici. 1728.

Num: CCLXXI.

P. CUTBERTUS Boldt Admontensis.

ANno MDCCXVII studiorum gratia in Religiosum Convictum *S. Bonifacij* a Superioribus suis amandatus, hodie Philosophiæ Professorem agit laudatissimum, magnamque ob ingenij facilitatem, qua pollet, eruditis omnibus spem excitare accepimus: nec deërit Vir præclarus, quin pari doctrinæ fama Confratrum suorum, quos hactenus Universitas nostra Doctores habuit, vestigia aut sequatur, aut etiam superare adlaboret. Hoc anno, id est 1728. pridie Nonas Julij *Baccalaureos* promovit numero *quinquaginta septem.*

Num: CCLXXII.

P. DESIDERIUS Schapperger Seonensis.

AB inferiorum scholarum Professura ad *Philosophicam* cathedram gradum fecit, anno MDCLVI, renuntiatis anno insequente v. Nonas Julij *Ba-*

ealaureis *quadraginta septem*, *Magistris* anno MDCLVIII, Idibus Octobris *triginta*. Philosophicas prælectiones excepit *Theologia moralis* anno MDCLIX, & hanc anno MDCLXV *Theologia scholastica*, ex qua etiam non tam *Doctores* aliquot ritu solenni inauguravit, quam facili docendi methodo insigne inter nostrates nomen obtinuit. E vivis sublatus est XII. Calendas Maij anno MDCXCVIII.

SCRIPTA.

Fasciculus spinarum selectis sententiarum floribus intermixtus. 12. 1658.
Disputatio de digna sumptione S. Communionis. 12mo. 1661.
Speculum Theologicum circa varia præceptorum genera selectis & perutilibus quæstionibus illustratum. 12mo. 1663.
Amara dulcis, hoc est, Pœnitentia Theologicis illustrata controversiis. 8vo. 1672.
Florilegium ex universa Theologia. 4. med. 1673.
Theses menstrua aliquot, 8vo.

Num: CCLXXIII.

P. DIONYSIUS Richard e S. Emmeramo.

DOcuit Salisburgi *Theologiam moralem* ab an: MDCXX usque MDCXXII. Plura, cum ex Imperiali Asceterio ad S. Emmeramum intelligere haud potuerimus, invisum nos excusabit silentium.

Num: CCLXXIV.

P. DOMINICUS Cæsar Oberaltachensis.

Fit Abbas.

SOlam *Logicam* in Universitate nostra discipulis tradidit anno MDCLII; Cumque Physicam abrumpere cogerent delatæ domi dignitates, Successorem nactus est *P. Cælestinum Probst* Andecensem, qui feli-

cem

Num: CCLXXVII.

P. EDMUNDUS Grabmann Seonensis.

Prior ad S. Martinum in Pañonia.

FUit Professor *Rhetorices* anno MDCLXXXIII, *Regens Convictus* an: MDCLXXXVI. Postulatus dein an: MDCXC ab Archi-Abbate Montis S. Martini in Pannonia prope Araboniam in Priorem & Novitiorum Magistrum, post evolutum biennium denuo ad Cœnobium Seonense redijt, ibique Priorem egit annis octodecim, donec pijssimam vitam pari cum morte commutavit anno MDCCXIII.

Num: CCLXXVIII.

P. EDMUNDUS Manicor Admontensis.

EDmundus primam lucem Græcij hausit an: MDCXXXVII, teneramque juventutem inter scholas *PP. Societatis Jesu* transegit. Verbi divini Doctor & Concionator suo tempore longe celeberrimus magnorum Virorum precibus frequens e suggestu disseruit. Nec minor erat in Eo scholasticarum scientiarum peritia: hinc, cum Salisburgi Doctoralem ex Theologia Lauream suscepisset, ab *Ethices* cathedra, quam anno MDCLXVII adierat, ad *Controversias Fidei* explanandas admotus est anno MDCLXXVII. Consiliarius dein Principis Corbejensis, ac Vicarius in Spiritualibus generalis opus illud laboris plenum, Repertorium seu Concordantiam in Corpus Juris, quod tamen ob præmaturam mortem imperfectum reliquit, concinnare cogitavit. Devixit x. Calendas Septembris anno MDCLXXXV.

Vicarius Generalis Principis Corbejensis.

SCRIPTA.

Filius prodigus, sive Conciones super Evang: Lucæ cap. xv. 4to. 1676.

Horoscopus sacer. 1681.
Fasciculus sacer.
Dominicale Part. III. 4to. 1691.
Concordantia in Corpus Juris MS. opus imperfectum.

Num: CCLXXIX.

P. EDMUNDUS Ruedorffer Lambacensis.

QUo die temporalem hanc vitam ingressus fuerat Edmundus, eodem quoque sacratiorem perpetuo colendam sumpsit, nempe vigesimo quarto Martij: Hanc Lambaci anno MDCLXXIII; illam in Tyroli anno MDCLIII. In Universitate Salisburgensi Professor *Rhetorices* anno MDCLXXIX, *Philosophiæ* anno MDCLXXXIII, *Theologiæ moralis* anno MDCLXXXVIII, *Scholasticæ* anno MDCXCI, dixit *Baccalaureos* anno MDCLXXXIV, XVI. Calendas Augusti *triginta septem*, *Magistros* anno insequente Nonis Septembris *triginta duos*, *Doctores* Theologiæ aliquot. Denatus est XII. Calendas Junij anno MDCCVII.

SCRIPTA.

Quæstiones Philosophicæ. 8vo. 1685.

Num: CCLXXX.

P. EDMUNDUS Schlosgo e S. Paulo.

NAscitur Marburgi in inferiore Styria an: MDCLXIII. Suscepta postmodum an: MDCLXXXII vita monachali in S. Pauli Asceterio, Salisburgi *præceptis Philosophicis* discipulos imbuit anno MDCXCV, promotis *Baccalaureis* anno MDCXCVI, VI. Idus Julij *nonaginta & octo*, *Magistris* anno MDCXCVII, V. Calendas Septembris *quinquaginta novem*, Professor porro

ro Ss.Theologiæ tum domi, tum in Dominio Collegensi obijt anno hujus Seculi secundo.

SCRIPTA.

Aristoteles Philosophus Theorico-Politicus. 12mo. 1697.
Navigatio Philosophica in tres classes distributa. Fol: 1697.
Horologium Monastico-San-Paulense. MS.

Num: CCLXXXI.

D. ERHARDUS Brenzinger JCtus.

PRimus Salisburgi *Codicem* interpretari cœpit anno MDCXXII brevi tamen, eo quod aura Salisburgensis infirmas alias corporis vires magis debilitare videretur, Friburgum, unde a *D. Martino* D. Blasij Abbate adscitus fuerat, iterum repetijt. Obitus nobis incompertus.

Num: CCLXXXII.

P. ERHARDUS Niggelius Schyrensis.

VIr insignis eloquentiæ, atque, ut literæ mortuales habent, *e rostris & scænis notissimus*, primus in Universitate Salisburgensi *Rhetorices* leges proposuit ab anno MDCXXII usque MDCXXIV. Reliquum vitæ tempus in Mariano cultu, prædicando Verbo divino, & instruendo sibi concredito grege consumpsit, mortuus in Urbe Auspicensi, haud ignobili Moraviæ Oppido, anno MDCXL.

SCRIPTA.

Mariani Benedictini.
Opera bona Ludovici Bavari Imperatoris contra Abrahamum Bzovium.

Num: CCLXXXIII.

P. ERNBERTUS Bluemberger Cremisanensis.

NAtus est Passavij anno MDCLIV, professus Cremisanij anno MDCLXXI. Roma ex Collegio Germanico S. Apollinaris non sine doctorali Laurea ad Monasterium redux, Salisburgi Theologiam moralem docuit ab anno MDCLXXXI usq; MDCLXXXV. Prior præterea Monasterij Cremisanensis tumulum invenit in Parochia *Pettenbachensi* anno MDCCX, Nonis Decembris, sepultus ibidem in Ecclesia Parochiali.

Num: CCLXXXIV.

D. ERNESTUS FRIDERIC. a Someting JCtus.

Tirnavij Instituti-onum Imper: Professor.

EMenso Salisburgi summa cum laude Juris curriculo, Laureaq; ibidem doctorali anno MDCXCI insignitus, primo in Universitate Tirnaviensi, quam Eminentissimus S.R.E.Cardinalis & Archi-Episcopus Strigoniensis, *Petrus Pazmannus* elapso Seculo XVII in honorem D. Virginis fundaverat, Institutiones Jmperiales docuit. Verum, cum identidem ad cathedram Universitatis Salisburgensis aspiraret, eandem quoque obtinuit, Professor *Digestorum* anno MDCXCV, mox *Codicis* & *Juris publici* anno MDCXCVI & MDCXCVII, quo VII. Idus Septembris mors præmatura nimium eundem ad tumbam avocavit ætatis vigesimo septimo.

SCRIPTA.

Manipulus Controversiarum ex universo Jure. 4to. 1696.
Semicenturia ex universo Jure. 4to. 1696.
Introductio in universum Ju ad IV *Lib. Institut: Jmp:* 8vo. 1697.
Opus istud fusius post mortem Auctoris digessit *P. Robertus König:*

König: sed cum & hunc vita destituisset, *D. Josephus Adamus Ayblinger* illud plus tertia parte auctius reddidit, ac typis vulgavit anno 1714. in 4to.

Num: CCLXXXV.

P. ERNESTUS Leopold Cremifanensis.

LAureacum antiqua Norici Archi-Episcoporum Sedes Ernestum protulit anno MDCXXIII pridie Calendas Decembris. Eum annos viginti natum Ordo S. Benedicti sibi per solennia vota adunavit Calendis Novembris, Ipsa vero Universitas nostra, quæ Eundem anno MDCXLIV religiosis Convictoribus adscripserat, *Rhetorices* scholæ præfecit anno MDCLVII. Spiritum Deo reddidit Cremifanij anno MDCLXXXIX Calendis Octobris, postquam plurimis annis in Parochia *Kematensi* dominicum gregem custodisset.

Num: CCLXXXVI.

P. EUSEBIUS Manz e Divite Augia.

VIr in omni pene literatura haud vulgariter versatus *Mathesin* discipulos erudivit ab anno MDCLXIV usque MDCLXXI, cumque multa pro Monasterij sui libertate, quorum aliqua MSS. exstare ab amicis accepimus, egisset, scripsissetque, animam amisit *Vindobonæ* anno MDCLXXXV.

Num: CCLXXXVII.

P. FELIX Egger Petrusianus.

LIcet nunquam academicam cathedram tenuerit Felix noster, locum tamen hic meretur *Regens* reli-

religiosi *Convictus* ab anno MDCXCVIII usq; MDCC. Natus is Rosaci anno MDCLIX, mundo iterum valedixit Clingencellæ an: MDCCXX, Nonis Januarij, longiori vita vel eo solum titulo dignissimus; ut Atlantem Benedictinum, quem moliebatur, ad finem perducere, orbique publicis typis evulgare valuisset. Speramus tamen fore, ut e Patribus Petrusianis alius hoc opus prosequatur, ne tanto labore collecta adversaria ignobili silentio perire debeant.

SCRIPTA.

Prodromus Ideæ Ordinis Hierarchico-Benedictini in Fol. extenso.
Eadem Idea fusius digesta 8vo. Lib. III. I. prodijt anno 1715. II. 1717. III. 1720.
De Origine B. V. Mariæ Clingencellensis.

Num: CCLXXXVIII.

P. FELIX Pfeffer Ottoburanus.

OEniponti in lucem prognatus, Ottoburæ sub monasticis signis bene & religiose meruit ab anno MDCXXVIII usque MDCLXIII, quo ex hac misera ad meliorem eamque immortalem vitam transijt VIII. Idus Aprilis. Habuerunt Eum Salisburgi tum Professorem tum Promotorem anno MDCXLI, VII. Idus Julij *Baccalaurei viginti duo*, *Magistri* anno MDCXLII, pridie Idus Octobris *viginti.*

SCRIPTA.

Pharetra Philosophica bis denis sagittis instructa. 4to. 1641.
Clypeus naturæ ex auditu physico depromptus. 4to. 1642.

Num: CCLXXXIX.

P. FERDINANDUS Wezel Mariæmontanus.

Abbas electus. PAtria Wangensis in abbatiali dignitate successit anno MDCLIII *D. Jacobo Graffinger de Zolleck* Præsuli

ſuli per omnia laudatiſſimo. Diſciplinæ monaſticæ ac literarum promotor indefeſſus, Bulſani in Conventu PP. Dominicanorum proprijs ſumptibus domicilium exſtrui curavit pro junioribus Monaſterij ſui Fratribus illuc ſtudiorum cauſa ablegandis. Viribus tandem & ſenio fractus pie inter mortales vivere deſijt anno MDCLXIII, in hoc unico infelix, quod ſub Ejus regimine inopinum incendium maxima parte Monaſterium conſumpſerit, reſtituit nihilominus illud vix non in priſtinum decorem, feliciterque conſumavit Ejus Succeſſor, *D. Franciſcus a Bach* ex S. R. J. Equitibus ab Hocheneppan.

Monaſterium igne conſumptum reſtaurare contendit.

Præeſt hodie florentiſſimo huic Cœnobio *D. Joañes Baptiſta* ſingularis virtutis magniq; conſilij Præſul, qui, ut propenſum in ſtudia animum magis teſtatum faceret, an: MDCCXXIV Scholas *Meranenſes* in ſe ſuosque ſuſcepit. Accedente dein S. C. M. conſenſu, atque in dies creſcentibus diſcipulis, quos nobiles *Atheſim* incolentes illuc amandarunt, novæ Scholarum ſtructuræ primus Lapis poſitus eſt XVIII. Calendas Julij. Ejus inſcriptionem, quam prudentiſſimus Senatus *Meranenſis* in perennem *Excellentiſſimi Abbatis noſtri Blaſij III.* memoriam nobiſcum communicavit, cum non ſolum Fundatorum, ſed & aliorum, qui ope & conſilio novum Gymnaſium adjuverunt, mentionem ingerat, aliorum rogatu hic inſerendam cenſuimus.

Schola Meranenſes.

ANNO SALUTIS MDCCXXVIII
AUCTORE
DEO TER OPTIMO MAXIMO,
Sub Pio Regimine
Summi Pontificis BENEDICTI XIII,

Ex

Ex Clementissima Concessione
Gloriosissimi Jmperatoris CAROLI VI;
Felici Auspicio
UDALRICI S. R. J. Principis & Episcopi Curiensis;
Patrocinio & Promotione
Abbatis BLASIJ ad S. Blasium, O. S. B.
Constanti Præsidio
Abbatis JOANNIS BAPTISTÆ Mariæ-Montani O. S. B.
Benigno Favore
JOAN: VITI TSHIDERER Can: & Vic:For:Cur:ac Par: loci;
Primaria Ope
JOANNIS de RUFFINI S. C. M. & Elect: Bav: Consiliarij,
Voto, Consilio, & unitis Viribus
Antiquæ Metropolis MERANENSIS,
Sapientia sibi ædificavit hanc domum;
Et Benedictione
COELESTINI S. R. J. Abbatis Oxenhusani O. S. B.
Lapidem hunc memorialem posuit
Die XIV. *Junij.*

Cæterum fuit *Ferdinandus* noster Salisburgi Professor *Rhetorices* anno MDCXXX, *Matheseos* anno MDCXXXV, *Præfectus scholarum* ab anno MDCXXXI usq; MDCXXXVI.

SCRIPTA.

De statu religioso. MSS. & alia.

Num: CCXC.

D. FRANCISC: IGNAT: de Wolleren JCtus.

Professor Diling. & Oenipont. ANnis jam aliquot in Universitatibus Dilingana & Oenipontana Jurium Professor, postremo in Academia nostra *Codicis* ac *Juris publici* cathedram

ca

ea laude conscendit, qualis egregium doctissimumq; Publicistam, ac Juris-Consultum undequaque consummatum perpetuis temporibus extollere consuevit. Celsissimi Archi-Episcopi & Principis Salisburgensis Consiliarius intimus extinctus est morte subitanea III. Idus Januarij anno MDCCXVII, dum processum quemdam juridicum suo voto & judicio commissum in proprio Musæo altius ruminaret. Plura proloquitur Epitaphium, quod hujusmodi est,

Extinguitur morte subitanea.

Hic situs est
FRANCISCUS JGNATIUS de Wolleren
Nobilis in Wollersfeld,
S. R. I. Eques.
Excelsi Regiminis Superioris Austriæ,
Celsiss. ac Reverendiss. Principis & Archiepiscopi Salisburgensis
Actualis Intimus Consiliarius,
Juris Publici & Civilis Professor primarius,
Vir pius & misericors,
Legatione ad Cæsarem,
Institutione Principum,
Rectoratu & Professura in Universitatibus;
Perspicacitate in consilijs
Famosissimus;
Qui dum leges solveret,
Legem Naturæ solvit:
Et hic consumptus laboribus ætatis LVI *Anno MDCCXVII*
Deponi Voluit,
Ac
Mariam Rosam de Wolleren natam Praunin de Praunsegg exspectat,
Quæ unitis post fata cineribus Conjugium renovabit.
Tu EIS *Requiem precare Æternam.*

SCRIPTA.

Quæstiones selectæ Oenipontanæ. Fol. 1690.

Tractatus de rebus creditis. 4to. 1691.
Tractatus de Compensationibus. 4to. 1691.
Quæstiones selectæ Salisburgenses. Fol. 1698.
Diluculum felicitatis Catholicæ, seu AVrora ConsVrgens e DoMo AVstrIaCa. Fol.
Justitia & æquitas digne coronans dotes & merita, seu actus Confirmationis novi Episcopi Seccoviensis Reverendissimi & Illustrissimi DD. Josephi ex Comitibus de Lamberg. Fol. 1712.

Num: CCXCI.

D. FRANCISCUS JOSEPHUS Herz JCtus.

DOnatus in Universitate nostra utriusq; Juris Laurea, an: MDCCXVII cathedram *Institutionum Imperialium*, anno vero MDCCXXII *Digestorum* occupavit, hodieque festive exornat. Vos Superi insignem hunc Juris Mystam pro communi rei literariæ bono diutius sospitem & incolumen servate!

SCRIPTA.

Tractatus de Fide pacta publico-privata. Fol. min. 1719.
Magistratus Romano-Germanus Processu Historico-Legali repræsentatus. Fol. 1722.
Beatus civis ex aggregatione bonorum. 4to. 1727.
Elementa Juris-Prudentiæ feudalis ex Jure Germanico, Longobardico, legibus Imperij & moribus curiarum feud: hodiernis. Fol. min. 1728.

Num: CCXCII.

D. FRANCISCUS JOSEPH: Schlosgangl JCtus.

WElsij in Austria primam lucem aspexit. Emensis exin tum in Cæsareo & Academico Gymnasio *Lincensi*, tum in Universitate *Vindobonensi* se-

ve-

verioribus ſcientijs primas ubique laudes tulit; dignus proin judicatus eſt, cui Univerſitas *Salisburgenſis* non ſolum Juris utriuſque doctoralem corollam, verum etiam cathedram *Inſtitutionum Imperialium* anno MDCCXXII conferret, ob præclaram Viri doctrinam ſuo tempore datura plures.

SCRIPTA.

Tractatus juridicus de dolo, culpa, & caſu. 4to. 1672.

Num: CCXCIII.

D. FRANCISCVS MATHIAS May JCtus.

NEque hic Vir inter Juriſtas *Juvavienſes* latere poteſt, quem tot edita opera Orbi literario inſinuarunt. *Inſtitutionum* enim *Imperialium* anno MDCLII, *Pandectarum* ab anno MDCLVII uſque MDCLXXI Profeſſor publicus verbis & ſcriptis ex aſſe Juriſperitum ſe probavit. Ex Aſſeſſore dein Spirenſis Cameræ Cæſareo-Imperialis Conſiliarius, demum in Comitijs Ratisbonenſibus Concommiſſarij Cæſarei partes ſuſtinuit, utrinque optime & cum encomio. Obijt anno MDCXCIII, x. Cal. Auguſti.

Obita munia.

SCRIPTA.

Diſputatio ad Lib. I. Inſtitut. Imper: *accommodata, generalia textus, eidemque convenientes illuſtriores quæſtiones continens.* 4to. 1654.

Diſputatio ad Lib. II. Inſtit. Imper: ut ſupra. 4to. 1656.

Centum quæſtiones ex utroque Jure collecta, & diſtinctionibus explicatæ. 4to. 1659.

Acroamata juridico-Politica. 4to. 1661.

Theſes ex varijs utriuſque Juris articulis. 4to. 1661.

Diſſertatio juridico-Politica de libertate & æqualitate. 1664.

Quæſtiones de quæſtionibus judiciorum. 12mo. 1664.

Præcipuæ aliquot differentiæ Juris Canonici & Juris Provincialis Tyrolensis. 8vo. 1664.
Propositiones Juridicæ de fine utriusque Juris. 8vo. 1666.
Nomothesia feudalis certa, incerta, pleraque omnia. 12. 1667.
Privilegium juridicum ex Pandectarum Iustinianearum rosario. 12. 1668.
De clementia quæstiones juridico- Politicæ. Fol. 1669.
Paræmiæ & quæstiones juridico- Politicæ. 4to. 1669.

Num: ccxciv.

P. FRANCISCUS Mezger e S. Petro.

EST, quod Musæ Salisburgenses illi *Francisco* glorientur: Germanus is Frater doctorum illorum Virorum *Josephi & Pauli Mezgerorum* unacum illis in D. Petri Cœnobio mundum cucullo postposuit, easdemque fere cathedras exornavit Professor *Philosophiæ* anno MDCLIX, & MDCLXIII, *Theologiæ moralis* ab anno MDCLXV usque MDCLXIX, *Controversiarum Fidei* & *S. Scripturæ* ab anno MDCLXXXI usque MDCLXXXVIII. Liber posthac a scholasticis sudoribus bonis literis dies insumpsit, donec in senectute jam bona Novitiorum Magister constitutus eo officio immortuus fuit III. Idus Decembris anno MDCCI. Pronuntiavit *Baccalaureos* duabus promotionibus *sexaginta duos*, *Magistros quadraginta novem*, *Doctores* Theologiæ aliquot.

SCRIPTA.

Philosophia rationalis rationibus explicata. 8vo. 1668.
Anima rationibus philosophicis animata & explicata. 8vo. 1661.
Philosophia naturalis rationibus naturalibus elucidata. 8vo. 1661.
Manuale philosophicum. 12mo. 1665.
Homo Microcosmus. 4to. 1665.
Corolla triginta orationum Mariano-paræneticarum. 8vo. 1699.
Heiliges Benedictiner Jahr. 8vo. 1690.
Continuatio Historiæ Salisburgensis. Fol. 1692.

Ex

Ex Italico vertit, & typis mandavit *Viam regiam studiosæ Juventutis ad veram sapientiam.*

Ex Gallico. Domni Hieronymi Joachimi Le Contat Monachi S. Mauri *Meditationes pro sacro dierum secessu ad superiores accomodatas*, quas edidit sub titulo *Dioptra Politices religiosæ.* 8. 1694.
Ejusdem *Exercitia spiritualia pro* x. *diebus religiosis Ord: S. Benedicti propria.* 8vo. 1695.
Succinctas meditationes Christianas pro Dominicis, Ferijs, & præcipuis Festis totius Anni. 12mo. 1695. Tom. IV.

D. Simonis Bougis Monachi S. Mauri meditationes pro Novitijs & Juvenibus professis. MSS.

Num: CCXCV.

P. FRANCISCUS Schmier Ottoburanus.

SI ita fieri posset, in *Franciscum* rosas & lilia congereremus, ut tantum virum serto honoris ac gloriæ coronaremus. Nihil ejus ingenio vivacius, nihil pectore fœcundius, nihil doctrina solidius. Transcriptus Is inter Benedictinæ Regulæ Sectatores VI. Idus Decembris anno MDCXCVI, juridica studia tanta sedulitate & profectu confecit, ut communi calculo dignus habitus sit, qui *P. Joanni Baptistæ Ebberth* Garstensi in *Juris Canonici* Professura succederet ab anno MDCCVI usque MDCCXVI, quo temporis curriculo *Doctoratus* honores frequens alijs elargitus est. Agit modo ab anno MDCCXIII Universitatis nostræ *Rectorem Magnificum*, nec non Celsissimi S. R. J. Principis & Archi-Episcopi Salisburgensis Consiliarium intimum. Plura ne addamus, viventis modestia prohibuit. Sit satis, si Clarissimi Viri *D. Josephi Franz*, in Universitate Salisburgensi Codicis & Juris publici Professoris, judicium ac elogium, quod in approbatione ad Jurisprudentiam publicam universalem Fidem posuit, hic inseramus: *Hoc prorsus singulare & plane*

Hodiernus Rector Magnificus.

Num: CCXCVII.

P. FRUCTUOSUS Scheidsach Seonensis.

PRofessor *Philosophiæ* anno MDCCXIV, *Ethices* & *Historiæ* ab anno MDCCXVI usque MDCCXX contulit Gradum *Baccalaureatus* anno MDCCXV, VII. Idus Julij *quinquaginta duobus*, *Magisterij* an: MDCC-XVI, XV. Calendas Decembris *quadraginta tribus*. Commoratur nunc in Monasterio Seonensi.

Num: CCXCVIII.

P. GERARDUS Prandstetter Cremisanensis.

VItam inchoavit Pettenbachij in Austria V. Idus Maij anno MDCXXXVI. Hic, cum Cremisanij prima literarum initia didicisset, perspecta rerum caducarum volubili sorte in Benedictinæ militiæ Album adscribi petijt, ut solus soli eo securius viveret Deo. Placuit perspicax Juvenis indoles, moresque innocentes Patribus Cremisanensibus; unde non modo in Tyronum numerum, sed etiam VI. Idus Novembris anno MDCLIII ad solennem votorum nuncupationem admiserunt *Gerardum*, qui brevi in talem evasit virum, ut, quem Ingolstadium doctoralibus insignijs auxit, Salisburgum in *Philosophiæ* Professorem expetierit, anno MDCLXIV. Functus præterea in antiquissimo Ordinis nostri Cœnobio ad *Scotos* Viennæ Prioris munere, animam Creatori suo pie placideque reddidit Cremisanij XVIII. Calendas Julij anno MDCCI. Dixit *Baccalaureos* anno MDCLXV Nonis Julij *triginta duos*, *Magistros* anno MDCLXVI Idibus Octobris *viginti quatuor*,

Prior ad Scotos Viennæ.

Scri-

SCRIPTA.

Assertiones selectæ ex universa Philosophia. 4to. 1666.
Disputatio de anima. 8vo. 1666.

Num: CCXCIX.

P. GODEFRIDUS Böhm Schvvarzacensis.

*M*Athefeos rudimenta frequenti auditorio ab anno MDCLXII usque MDCLXIV instillavit Godefridus, tanto sui desiderio, ut anno MDCLXXI ad eandem denuo tradendam fuerit evocatus. Quo autem tempore mortem oppetierit, quæve ingenij documenta posteritati consignarit, datis aliquot ad Schvvarzacense Asceterium literis intelligere haud potuimus: Numerat tamen eundem *P. Bernardus Pez.* Mellicensis *Epist: apologet.* x. inter Scriptores Seculi decimi septimi.

Num: CCC.

P. GODEFRIDUS Kröll e S. Petro.

FUit Professor *Controversiarum Fidei* an: MDCCXIV. *S.*] *Scripturæ* ab anno MDCCXVI. Valet adhuc inter Patres academicos, suoque munere egregie fungitur.

SCRIPTA.

Monotessaron Evangelicum, sive Historiæ Evangelicæ ex quatuor Evangelijs collectæ tractatus tertius mysteria a salutifera Christi Nativitate usque ad Baptismum ejusdem literaliter & mystice ex utriusque Testamenti paginis explanans. 4to. 1628.

Num: CCCI.

P. GOTTHARDUS Haslinger Lambacensis.

WElsij in Austria anno MDCLXXIX mundum ingressus eidem solenniter nuntium remisit Lambaci VIII. Idus Julij anno MDCXCVI. Studijs, ut

ut vocant, scholasticis in Salisburgensi Convictu operam neutiquam pœnitendum impendit, iterumque in alios ibidem diffundere cœpit Professor *Philosophiæ* an: MDCCIX, *Controversiarum Fidei* an: MDCCXVI, *Theologiæ moralis* anno MDCCXIX, *Speculativæ* ab an: MDCCXXII usq; MDCCXXV, quo dudum promeritam dignitatem abbatialem consecutus fuit.

Fit Abbas.

Inaugurati sunt ab Eo *Baccalaurei* anno MDCCX, Idibus Julij *sexaginta duo*, *Magistri* anno MDCCXI, IV. Nonas Septembris *triginta novem*.

SCRIPTA.

Octo Libri Physicorum acroamatico-exotericorum. Fol. 1711.
Tractatus de conscientia. 4to. 1723.
Theses menstrua aliquot. 8vo.

Num: CCCII.

P. GOTTHARDUS Vischl Cremifanensis.

NAtus est in Oppido *Viechtach* Diœcesis Ratisbonensis anno ab Incarnatione Salvatoris nostri XIII. Calendas Septembris MDCLXXII. Primos annos tum in Gymnasio Monacensi, tum in Universitate Salisburgensi sub *P. Benedicto Behamstein* e Monasterio *Garstensi* studijs consecravit ardenter adeo, ut jam tunc inter primos Philosophiæ Magistros lauream reportaverit. Exin *Cremifanensi* Asceterio anno MDCXCV adlectus, Salisburgi integro quadriennio Theologicarum Lectionum auditorem, Philosophiæ vero Repetitorem in religioso convictu egit. Fuit hæc in exolvendis stagyræis difficultatibus probata exercitatio illi scala ad Cathedram *Philosophicam*, quam anno MDCCIV conscendit, promotis anno MDCCV Idibus Julij *Baccalaureis quadraginta duobus*, *Magistris* anno MDCCVI Calendis Septembris *viginti*

& uno. Solutos itaque ab academicis functionibus domum quidem remeavit, ibiq; Theologiam discipulis tradidit; brevi tamen iterum Salisburgum contendit, ut *Regentis* munus in Religioso convictu subiret. Vocabatur porro circa idem tempus *P. Virgilius Leüthner* San-Petrensis e cathedra Philosophica ad Controversias Fidei explanandas; Ejus proin vices non solum supplevit Gotthardus, verum etiam IV. Nonas Septembris anno MDCCIX *Magisterij* lauream impertijt *triginta novem.* Zelosus nunc animarum Curio in Parochia *Vochdorffensi* animarum saluti invigilat.

SCRIPTA.

Summula Logica. 4to.
Disputationes in universam Philosophiam. 4to. 1706. Part. III.
Theses menstrua aliquot. 8vo.

Num: CCCIII.

P. GREGORIUS Dietl Priflingensis.

UNicus is est, qui e Monasterio Priflingensi inter academicos Professores sedit, quamquam *D. Lucas* Priflingensium Abbas inter illos triginta tres Præsules, qui an: MDCXVIII Confœderationis chartæ subscripserunt, numeretur. Docuit autem Gregorius *Philosophiam* anno MDCLXI, tribuitque *Baccalaureatus* honores anno insequente v. Calendas Julij *viginti quinque*, *Magisterij* anno MDCLXIII, IV. Idus Octobris *viginti.* Obitus nobis incompertus.

SCRIPTA.

Variæ Theses philosophicæ. 4to. & 8vo. 1662. & 1663.
De Cælo, mundo, & elementis, 8vo. 1663.

Num:

Num: CCCIV.

P. GREGORIUS Heller Gottvvicensis.

PAtria Austriacus consueta Benedictinæ professionis vota edidit anno MDCXXI sub Abbate Gottvvicensi *Georgio Falbio*, Ordinis & Religionis Catholicæ propugnatore maximo. Missus ab hoc Salisburgum sub optimis Magistris *P. Carolo Jacobi* Andecensi, & *P. Sebastiano Rottmaro* Garstensi Philosophiæ ac Juris Canonici cursum confecit. Ss. Theologiæ postmodum Laurea insignis *flagyrea dogmata* explicavit anno MDCXXXVIII, dictis *Baccalaureis* anno MDCXXXIX pridie Nonas Julij *viginti novem*, *Magistris* anno MDCXL, XVII. Calendas Septembris *viginti quatuor*. *Theologiæ* quoque *moralis* Professor & *Regens* Alumnorum Archi-Episcopalium ab anno MDCXLI usque MDCXLIV, unacum *P. Joanne Jacobo a Preysing* Asceta Tegernseensi quorumdam negotiorum causa ab Universitate nostra in Italiam ablegatus est anno MDCXLIII Mense Octobri. Probavit hac legatione acre judicium, & expertam in rebus agendis sedulitatem, ne tamen condigno præmio, remunerare posset Universitas nostra, *D. David Cornerus* Gottvvicensium Abbas laudatissimus, quem *Buccelinus* (*) *Virum vere apostolicum*, *exemplar virtutum omnium*, *ac libris doctissimis in publicum editis clarissimum* appellat, Eundem domum revocatum Prioris officio tamdiu adhibuit: donec prædicto D. Abbate ad æternam felicitatē evocato potiora eligentium vota *Gregorium* nostrum Abbatem dixerunt IV.Cal: Majas, an: MDCXLVIII. Auxit Monasteriū varijs ædificijs, ejusdem jura defendit acriter, illudque memorabile, quod

Romam ab Universitate mittitur.

n

Abbas electus:

[n] *Germ: Sacr: part. alt.*

Fidem catholicam propagare studet.

quod sub Abbatibus Gottvvicensibus, *Falbio*, *Cornero*, & *Hellero* Parochianorum numerus ex solis Gottvvicensibus excreverit ad decem circiter millia, qui pene omnes horum Abbatum ac Religiosorum ejusdem loci opera e Lutheranis castris ad Ecclesiam Catholicam reducti fuerunt: nec mireris, cum ipse *Cornerus* adhuc Novitius ad reducendas errantes oves in Austriam missus rem jam tunc egregie gesserit, atque oculis captus insignes de ignorantia veræ Fidei libros in calamum dictarit. (*) Vitam posuit *Gregorius* Abbas VIII. Calendas Octobris, anno MDCLXIX, sepultus prope Altare *S. Altmanni* hoc marmoreo monumento.

o

Sta Viator, & hunc cursum primum mirare, dein reverere, demumque imitare. Agnoscis? Gregorij Helleri, fato miscente res & nomina, Viri semper magni & præclari hic absolutus est cursus. Fuit is Davidi Cornero, quod Jessæo olim sapiens Successor Salomon. Natura Eum docilem, virtus Doctorem, utraque Abbatem, S. C. M. Consiliarium, (p) Statuum J. A. Deputatum effecit præclarissimum. Quos vero per vitæ LXVII, *Religionis* XLVIII, *Sacerdotij* XLV, *Regiminis abbatialis annos pene* XXII *meritorum passus fecerit, quæris? Exultavit ut Gigas ad currendam viam suam, donec anno MDCLXIX incidit in foveam, quam fecit: Postquam enim universum fere orbem sapientiæ, virtutumq; ædificavit exemplo, sibi bombycis instar ad alias templorum structuras hocce exstruxit Mausolæum; Inde, ut renatus in altum evolet, pie Precator alas adde. Ita sentiebat Ejus Successor* Sebastianus Eder *Abbas anno MDCLXX.*

SCRIPTA.

Rosa sine spina ex Logica decerpta. 4to. 1639.

Conjugium inter Xanthippen & Socratem, puta materiam & formam. 4to. 1640.

Pe-

[o] P. Engelbertus Keppeler Ord: Min. *Conc. I. de S. Benedicto.*
[p] *Anno MDCLII sub Ferdinando III. Imp:*

Peplum Palladis imaginibus Physicis exaratum in officina Universitatis Salisburgensis. 4to. 1640.
Rosa spinosa in Martio naturæ campo enata. 4to. 1640.

Num: cccv.

P. GREGORIUS Horner Glunicensis.

INter domesticos parietes aliquamdiu Theologiæ Professor Salisburgum ad docendam *Philosophiam* evocatur anno MDCCXVI. Creavit *Baccalaureos* anno MDCCXVII, XIII. Calendas Augusti *septuaginta*, *Magistros* anno MDCCXVIII, III. Calendas Septembris *triginta sex*. In Priorem postea Glunicensis Monasterij destinatus, rursus in Universitate nostra *Theologiæ moralis* professionem aggressus est anno MDCCXXVI, ut ubi bene mereri incœpit, ulterius doctrinam suam patefacere pergat.

SCRIPTA.

Quæstiones selectæ in decem categorias Aristotelis. 4to. 1718.

Num: cccvi.

P. GREGORIUS Kimpfler Schyrensis.

GRegorium, quem ab anno MDCLIII usq; MDCLVIII *Juris Pontificij* dogmata fundentem Universitas venerata est, integris triginta quinque annis *Schyra* Abbatem coluit maximum, pijssimumq; : Nec *Schyra* solum, sed & universa Congregatio Benedictino-Bavarica *Gregorium* suspexit, utpote cujus indefessæ industriæ ejusdem Congregationis erectio adscribenda venit. Cumque præcipuo hocdum studio in supernarum atque cœlestium rerum contemplationem animus ejus raperetur, eo *Manuductionem ad*

Abbas & Asceta pijssimus.

q *ad perfectionem religiosam* peperit: *Opusculum sane* (*) *pijssimum æque ac eruditissimum, medullamque mysticæ Theologiæ continens, ac undequaque Sanctimoniæ spirans odorem &c, eo enim nedum Tyrones, verum etiam proficientes, ipsosque in spirituali studio emeritos, si præ manibus frequenter sit, spiritus vigorem, atque ad spiritualis perfectionis metam mirificam opem, divino afflante spiritu, suscipere posse certissimum,* &c. Plura vid: supra Cap. III.

SCRIPTA.

Confœderatio inter Jus Canonicum & Civile ex c. 1. de novi operis nuntiatione, 4to. 1654.

Resolutiones juridicæ de contractibus. 4to. 1655.

Disputatio de sponsalibus & Matrimonio ex Lib. IV. Decretal. 4to. 1655.

Casus Juridicus ex Tit. de Conversi: conjug. 8vo. 1656.

Manuductio ad perfectionem religiosam per vias rectas & planas, pro Fratribus Novitijs exemptæ Congregationis Bavaricæ in Novitiatu communi instruendis. 4to. 1690.

Num: CCCVII.

P.GREGORIUS Raisberger a Miesbach Tegernf.

GRegorius nobilibus Parentibus IV. Nonas Aprilis anno MDCXCI in lucem datus, ab ineunte ætate optima literarum studia ita coluit, ut multis veteranis palmam non modo dubiam fecerit, sed præripere sit visus. Laurea proin Ss. Theologiæ redimitus statui clericali animum addixit, atque in Parochia gregem dominicum verbo & exemplo pavit. Verum, cum strictioris vitæ ac solitudinis desiderio tene-

[q] *R. P. Joan: Bapt: a S. Philippo Congregat: Reformat. S. Bernardi Monachus & Secundus Assistens* in Censura ad cit. Lib. anno 1690. 8. Febr.

teneretur, anno MDCXXXVII Monasticum habitum suscepit in Tegernseensi Cœnobio sub Udalrico Abbate. Salisburgi *Controversiarum Fidei* Professor ab anno MDCXLIII usque MDCXLVIII, obijt anno MDCLVI. Collocat Eundem inter Scriptores elapsi Seculi *P. Bernardus Pez* Mellicensis.

Num: CCCVIII.

P. GREGORIUS Summerauer Ossiacensis.

FUit Professor *Philosophiæ* anno MDCCI, promotis anno MDCCII, XII. Calendas Augusti *Baccalaureis quadraginta sex*, *Magistris* anno insequente XV. Calendas Augusti *viginti quatuor*. Reliquam ætatem conscribendo tractatui de casibus Conscientiæ consecravit, morte tamen præventus XIV. Calendas Aprilis anno MDCCXIII laborem hunc alij perficiendum reliquit.

Num: CCCIX.

P. GREGORIUS Wibmperger Cremisanensis.

JUre sane Universitas nostra Gregorio elogium debet, qui illius aliquando fulgentissimum sydus fuit. Austria illi ortum dederat anno MDCXL, sanctioris vitæ rationem Cremisanium an: MDCLVIII, literas & scientias Salisburgum, quorsum ceu virtutum & liberalium artium officinam a Superioribus amandatus, eos, qui tum Philosophicas tum Theologicas scientias publice profitebantur, ad integrum sexennium sedulo & attente audivit, breviq; eos progressus fecit, quos optimis ingenijs promittere assuevimus. Domi itaque Novitiorum Magistrum, in Glunicensi autem Asceterio Philosophiæ Professorem egit, seu

po-

potius nova ſpecimina dedit, quorum ſuffragio brevi ad Academicam cathedram evocabatur Profeſſor *Philoſophiæ* anno MDCLXIX, *Controverſiarum Fidei* anno MDCLXXII, *Theologiæ ſcholaſticæ* anno MDCLXXIII, *Rector Magnificus* ab anno MDCLXXXI uſq; MDCCV, quo XIII. Calendas Auguſti animam ſuam Creatori reddidit. Impenſe tantum virum lugebant Muſæ Salisburgenſes; ut enim ſapientia & doctrina, ita quoque virtute ac pietate in Deiparam eminebat: horum omnium ſat longum catalogum olim texuit dedicatio præfixa editioni VI *Effigiei Sodalis Parthenij*, quam proin Benevolus Lector conſulere poterit. Illud tamen haud omittendum duximus, quod *Domnum Joannem Mabillonium*, inſigne literatorum lumen, in Univerſitate noſtra miro plauſu, publicaq; oratione exceperit an: MDCLXXXIII. Luſtravit is Academiæ ſcrinia, laudavit, probavitque omnia, quin etiam magno verborum pondere univerſos cohortabatur, ut, quo pede bene de re literaria mereri cœpiſſent, eodem feliciter pergerent. Cæterum impertijt *Gregorius* ſueta academicorum honorum inſignia *Baccalaureis* anno MDCLXX, VIII. Calendas Julij *triginta duobus*, *Magiſtris* anno MDCLXXI pridie Idus Octobris *triginta ſex*, *Doctoribus* Theologiæ aliquot, quos inter anno MDCLXXIX numerabatur *P. Cæleſtinus Sfondrati* San-Gallenſis Monachus.

Rector Magnificus

Mabillonium in Univerſitate excipit.

SCRIPTA:

Controverſiæ Philoſophicæ de corpore naturali in communi & particulari. 1671.

Philoſophus naturalis, rationalis, & tranſnaturalis. 12. 1671.

Tractatus de Divina gratia, Juſtificatione & Merito. 8vo. 1675.

Tractatus de Fide, Spe, & Charitate. 8vo. 1676.

Tractatus de Incarnatione Verbi divini. 8vo. 1678.

Tracta-

Tractatus de Sacramento Eucharistiæ & Sacrificio Altaris, nec non de Sacramento Ordinis. 8vo. 1678.

Tractatus de Sacramento Pœnitentiæ rite ministrando & suscipiendo. 8vo. 1681.

Theses menstruæ tam Philosophicæ quam Theologicæ variæ. 8vo.

Num: CCCX.

P. HENRICUS Heinlin Therensis.

Vix cursum *Philosophicum*, quem an: MDCLXXIII cœperat, anno MDCLXXV ad optatum finem perduxerat Henricus, eundem denuo anno eodem reassumpsit. Iteratos hosce labores, ut aliquali præmio remuneraret Universitas, cathedram *Theologiæ moralis* eidem concredidit ab anno MDCLXXVII usque MDCLXXX. Lauream imposuit *Baccalaureis* anno MDCLXXIV, v. Nonas Julij *viginti quinque*, & anno MDCLXXVI Nonis Julij *triginta sex*, *Magistris* annis insequentibus *quadraginta & uno*. Quali porro doctrina præditus fuerit, non est, quod nos multum comentemur, cum ipsi tractatus Philosophici, quos publicis typis commisit, satis superque judicium ferant: An autem adhucdum mortalis inter mortales agat, ignoramus.

SCRIPTA.

Logica seu Philosophia rationalis. 12. 1674. & 4to. 1677.

Tractatus philosophicus de ente prædicamentabili. 12. 1675.

Theses selectæ ex universa Philosophia. 12. 1675.

Quæstiones selectæ de principijs rerum naturalium. 12. 1675.

Disputatio de generatione & corruptione. 12. 1675.

Disputatio de anima in communi. 12. 1675.

Disputatio de anima vegetativa, sensitiva, & rationali. 12. 1675.

Tractatus philosophiæ naturalis, seu Physicæ Aristotelico-Thomisticæ de anima in communi. 4to. 1677.

Tractatus philosophia &c. de causis in genere & specie. 4to. 1677.
Tractatus &c. de principijs rerum naturalium. 4to. 1677.
Tractatus &c. de generatione & corruptione. 4to. 1678.
Tractatus &c. de motu & infinito. 4to. 1678.
Lustrum doctrinale ex quintuplici doctrinæ genere, Historica, Poëtica, Philosophica, Juridica, ac Politica. 1701.
Medulla Theologiæ moralis &c. cum duodecim centurijs circa Sacramenta singula 4to. 1714.
Theses menstruæ variæ. 8vo.

Num: CCCXI.

D. HERMANNUS Hermes JCtus.

PAtria ei contigit *Colonia* Ubiorum nobilissima juxta ac antiquissima Germaniæ Civitas, in cujus celeberrima Universitate eam sibi acquisivit scientiam, quam lucubrationes ejus testantur. Præprimis vero Jurisprudentiæ studium insecutus omnem pene adolescentiam eidem addiscendæ consecravit, progressusque ulterius nunquam sibi satisfecit, nisi quidquid in universo jure extabat sanctius, magisq; reconditum penitus percepisset. Primos dehinc ingenij radios in Universitatis Coloniensis publica cathedra diffundere occœpit anno MDCXXXVI, dignus, quem ob raras animi dotes in Aulæ Assessorem, Fisci Dictatorem & Præsidem, ac denique Ordinis Equestris Syndicum fama evocarit. Sed, cum literarum otia publicis curis præhaberet, demum Salisburgum petijt, novus ibidem sol ac gloria Facultatis juridicæ ab anno MDCLII usque MDCLXXX, prout hæc omnia paucis olim Poëta descripsit.

Obita munia.

Nursia Maiores, Ubij hunc genuere Parentes,
Quem Professorem montis, Jurisque cathedræ,
Aula Assessorem & lunata Colonia vidit,
Ordo Oratorem totus sibi legit Equestris,
Nunc Salsburgum audit solventem ænigmata Legum;

Obijt Vir impense doctus IV. Calendas Maij anno MDCLXXX, postquam plurimi ab ejusdem manu Doctoralia insignia recepissent. Posuit Eidem ac lectissimæ Conjugi sequens Monumentum *D. Antonius Hermes* in Universitate nostra Jurium Professor.

Quis es ô Homo?
Mortem time!
Hac e tumba perorat,
Nobilis ac Excellentissimus Dominus
HERMANNUS HERMES J. C.
Primũ Coloniæ Professor publicus, Aulæ Assessor, Fisci Dictator
Et Præses, Ord: Equest: Syndicus, post Salisburgens. Consiliarius,
Juris publici & Codicis
Annorum prope XXX
Professor Celeberrimus.
Virum hunc emeritum, Universitatis amplissimum lumen,
Stupendum jurisprudentiæ oraculum,
Eheu! mors severior non reverita faciem senis,
Annorum ætatis LXXV,
Actione depositi convenit.
Quid fecit depositarius docendo,
Et implendo jura nunquam deficiens?
Hoc fecit;
Ne fidei receptæ teneretur,
Quod primum docuit Juris præceptum,
Suum accipere, tribuere,
In seipso implendo pie defecit
XXVIII Aprilis MDCLXXX.
Ut suum cuique esset,
Corpus Terræ,
Spiritum DEO tribuens,
Dignum coronari ab Eo reposita sibi corona justitiæ.

Huic
Pie obiens VIII Junij anno MDCLXXXVII, ætatis LXIV
Sociari voluit secunda vitæ Socia
Nobilis dilectissima Domina
ELISABETHA a Bürstorff.
Nempe, ut ibi haberet cor suum,
Ubi haberet
Thesaurum suum.

SCRIPTA.

Disputatio de Lege Aquilia ex titulis Institutionum, Digestis, & Codicis delibata. 4to. 1654.

Asylon exhæredatorum & præteritorum quærela inofficiosi testamenti. 4to. 1654.

Collectanea ex universo Jure Canonico, publico, feudali, & civili desumpta. 4to. 1655.

Assertiones juridicæ de juris universi, in specie etiam juris publici Imperij nostri Romano-Germanici principijs. 4to. 1657.

Vivarium quinquaginta Pandectarum libris conseptum. 4to. 1665.

Disputatio juridico-politica, & Theorico-practica de necessaria defensione privata & militari bellica. 4to. 1673.

Disputatio juridica de exhæredatione & exclusione, etiam a Legitima, ejusque requisitis & causis ingratitudinis cum annexis ei controversijs. 4to. 1673.

Fasciculus juris publici, 4to. 1674.

Num: CCCXII.

P. HONORATUS Kolb Seonensis.

Abbas. ABbatiales Honorati curas, ac insigni demum humilitate resignatam dignitatem nuperrime *Cap. IV.* pro modulo nostro prosecuti fuimus: Nihil proinde superest, quam ut eundem an: MDCXXXI cathedram *Philosophicam* occupasse commemoremus, pro-

promotis ex ea Facultate *Baccalaureis* anno MDCXXXII pridie Calendarum Septembrium *novendecim*, *Magistris* anno MDCXXXIII, IV. Idus Octobris *viginti duobus*.

SCRIPTA.

Theoremata ad octo Libros Aristotelis. 4to. 1633.
Theoremata ad quatuor Libros de cælo. 4to. 1633.
Theoremata ad Lib. II de generatione & corruptione. 4to. 1633.
Theoremata ad III Libros de Anima. 4to. 1633.
Scripsit & alia, quæ adhucdum MSS exstant in Monasterio Seonensi.

Num: CCCXIII.

P. HONORIUS Aigner Cremifanensis.

Efferdingensis Austriacus vitam inchoavit v. Nonas Februarij an: MDCLI. Factus Benedictinus an: MDCLXXIII, haustæ jam in Seculo doctrinæ complementum in Salisburgensi convictu facile sibi comparavit. Unde præter summos in scientia Theologica honores, quos anno MDCLXXXV consecutus fuerat, & Professorij muneris dignitatem, tandem Abbatiale Pedum capessijt anno MDCCIII, iterumque cum ligone & tumulo commutavit anno MDCCIV. *Vid: Cap. II.* Fuit Professor *Philosophiæ* an: MDCLXXX, *Theologiæ moralis* anno MDCLXXXV, *Speculativæ* ab an: MDCLXXXVIII usq; MDCXCVI, quo temporis curriculo ab eo promoti sunt *Baccalaurei* anno MDCLXXXI Calendis Julij *triginta*, *Magistri* an: MDCLXXXII, IV. Nonas Septembris *triginta duo*, *Doctores* Ss. Theologiæ aliquot.

Abbas.

SCRIPTA.

Concordia philosophiæ theoricæ cum praxi. Fol. 1682.
Directorium compendiosum ad confessarij & pœnitentis munus rite exequendum. 8vo. Pars I. 1692. Pars II. 1693.

Statera justitiæ. 4to. 1695.
De Gratia. 8vo. 1694.
Theses menstruæ tam Theologicæ quam Philosophicæ variæ. 8vo.

Num: CCCXIV.

P. JACOBUS Horns ex Congreg: Bursfeldensi.

Cura ejusdem Congreg: Præsidentis pro Universitate nostra.

VIrum hunc debemus Reverendissimo *D. Henrico* Monasterij ad *S. Pantaleonem Coloniæ* Abbati, ac Congregationis Bursfeldensis Præsidenti Generali. Is cum scholasticos nostrorum Salisburgi labores cognovisset, continuo pro suo in Ordinem universum studio non tam epistola gravissimis verbis exarata novam Benedictinis Præsulibus gloriam congratulabatur, quam etiam *P. Jacobum Horns* Monasterij ad *S. Martinum* majorem *Coloniæ* Monachum Salisburgum amandavit: Adjunxit ei quoq; *D. Joannem Wilhelmum Graß JCtum*, Viros in Academicis subsellijs dudum versatos, quales initia Universitatis requirebant. Præsens itaque adfuit *Jacobus* celebritati, quando Gymnasium Salisburgense in Academiam elevatum est, tenuitque secundariam *Theologiæ* cathedram ab anno MDCXXII usque MDCXXIV, quo Superiorum mandata eundem domum revocarunt.

Num: CCCXV.

P. JACOBUS Molitor Ottoburanus.

M*Arispurgi* ad Lacum Acronianum in lucem editus D. Benedicti Regulam perpetuo colendam sumpsit in Monasterio Ottoburano XVII. Cal: Octobris anno MDCXIX. Salisburgi repetita vice *Philosophicorum dogmatum* Explanator, anno nimirum MDCXXVII, & MDCXXIX, contulit Gradum

dum

dum *Baccalaureatus* anno MDCXXVIII, IV. Calendas Septembris *viginti sex*, & anno MDCXXX, III. Nonas Septembris *quadraginta tribus*, *Magistris* annis insequentibus *quadraginta septem*. Prior postea per septennium in Cœnobio Michaël-Burano Diœcesis Salisburgensis, Ottoburæ vero per integros triginta sex annos eodem officio functus monasticam disciplinam multum provexit, beatoque tandem fine in pace quievit ætatis septuagesimo tertio VII. Calendas Augusti, anno MDCLXXVI. *Vir fuit*, ut rotulæ mortuales referunt, *jejunijs, vigilijs, disciplinis, abstinentia, temperantia, castimonia, pietate, misericordia, dexteritate, prudentia, eruditione ac doctrina clarissimus.*

Prior Michaël-buranus.

Ejus elogium.

SCRIPTA.

Pronuntiata Logica. 4to. 1628.

Pronuntiata de auscultatione Physica. 4to. 1629.

Anima. 4to. 1629.

Cælum. 4to. 1629.

Pronuntiata de generatione & corruptione. 4to. 1629.

Mundus. 4to. 1631.

Chronologia Monasterij Ottoburani Lib. II. 1640. *MSS.*

Commentarius in Regulam S. Benedicti. MSS. & alia tum ascetica tum historica MSS.

Num: CCCXVI.

P. JOACHIMUS Morsack Zvvifaltensis.

Heinga, Oppidum haud procul *Zvvifulda* situm, ipsi Patria fuit anno MDCXLII, Parens Urbis Præfectus. Juvenis admodum liberaliori institutioni intra Monasterij septa commissus, brevi literis pietatem ac vere Benedictinum spiritum sociavit; unde non semel, cum per ferias literarias Salisburgo abesset, ut aliorum exemplo studiorum tædia levare posset, clam in Monasterium aliquod se-

Amor Ss. exercitiorum. sese abdidit, sacris exercitijs per id temporis daturus operam. Præfuit aliquamdiu juniorum studijs in Monasterio Zvvifaltensi, ubi *binos Cursus philosophicos*, tertium in Gymnasio Rottvvilano, quartum denique Salisburgi anno MDCLXXXI auspicatus fuit. Post hæc religioso Convictui Præfectus, dum cathedram Theologicam operitur, mors præmatura ad tumbam abripuit VII. Cal. Aprilis an: MDCLXXXVI, ætatis quadragesimo quarto. Luxerunt Virum hunc literati quique, quibus jam passim excellens ejus ingenium, exquisitaque pietas & doctrina in æstimatione fuerunt: (*) Luxit & Universitas, quæ defuncto hoc elogium posuit. *Unicum solatium est vere innocens & religiosa vita, solida virtus, & doctrina, quibus tum in cathedra tum in Præfectura omnibus insigniter præfulsit, ac Universitati & honori & emolumento fuit.* Promotorem porro eum suspexerunt *Baccalaurei* an: MDCLXXXII, pridie Calendas Julij *triginta*, *Magistri* anno MDCLXXXIII, VIII. Idus Septembris *viginti*.

SCRIPTA.

Quæstiones Logico-Physicæ. 4to. 1683.
Comentationes in aliquot S. Regulæ textus per modum meditationum. MSS.
Theses menstruæ philosophicæ aliquot. 8vo.

Num: CCCXVII.

D. JOANNES ANTONIUS Lindtner JCtus.

INterpretatus est Justiniani *Institutiones* anno MDCLXXXVIII, *Pandectas* ab anno MDCXCVI usque MDCXCIX, quo ultimum spiritum traxit. In publicum emisit nihil, creavit nihilominus *Doctores* Jurium aliquot.

Num:

[r] *P. Arsenius Sulger* in Annal: Zvvifalt. Sec. IV. Per: VI. Cap. VI.

Num: cccxviii.

D. JOANNES BALTHASAR Braun JCtus.

JUrisperitum potius an Oratorem damus? Utrumque sane in Joanne effulsit, rapuitque Auditorum animos. Natus is fuit *Amanoburgi* in Hassia Parentibus optimis, quorum prima ea cura fuit, ut docile pueri ingenium ad omnem scientiam efformarent; neve ullis laboribus aut sumptibus pepercisse viderentur, eundem Fuldensium scholæ commiserunt, ubi Poëtarum figmenta, Rhetorumque elegantias feliciter hausit. Emensis hoc modo juvenibus annis celeberrimas Universitates *Moguntinensem, Heidelbergensem, Giessenam, Marpurgensem, ac Herbipolensem* adijt, ut undique Juris scientia animum saturaret: Id quod docte adeo perfecit, ut nec *Herbipolis* Juris Lauream eidem imponere, nec *Salisburgum* ad cathedram evehere dubitarit. Professor *Institutionum Imperialium* anno MDCLXXI, *Pandectarum* anno MDCLXXIV, tandem anno MDCLXXX demortuo *D. Hermanno Hermeti* in *Codicis & Juris publici* explanatione successit proclamatis Jurium *Doctoribus* non paucis. Et utinam firmior corporis valetudo tanto viro fuisset! Cum enim Jmperatorum vitis luce publica donandis insudaret, nephritici dolores, quibuscum identidem conflictabatur, gracile corpus toto trimestri dire excruciare cœperunt, donec ad usque ossa & pellem consumptus, magnis patientiæ & christianæ pietatis exemplis animam suam, quæ XLV annos in terreno corpore exegerat, in manus Salvatoris sui emisit anno MDCLXXXVIII pridie Nonas Novembris. Funus publico programmate indictum in Sacello Academico B. V. Mariæ non

Academiæ, in quibus Jurispr: hausit.

Mors præmatura.

sine ingenti studiosæ juventutis luctu curatum fuit.

Elogium. *Erat siquidem* (P. Mezgerum audis) *præter Jurisprudentiam humaniori literatura exeultissimus, Vir magnæ modestiæ, & temperantiæ, ingenio & alloquio suavissimus, in docendo methodicus & accuratus, solidus in arguendo: ex quo magnum* (f) *sui apud Musas desiderium reliquit.* (*)

SCRIPTA.

Discursus juridicus de accessione naturali. 8vo. 1673.
Positiones juridicæ de contractibus in genere. 4to. 1673.
Tractatus juridicus ad Lib: XXVI & XXVII *Digestorum de Tutela & Cura.* 4to. 1678.
Magistratus. 8vo. 1680.
Jurisdictio in genere & specie. 8vo. 1681.
Theses ex universo Jure selecta. 4to. 1681. & 1683.
Tractatus de Dominio in communi, & modis acquirendi dominium, per Venationem. 8vo. 1682.
Imperium merum & mixtum. 4to. 1685. *unacum aliquot Prolusionibus Academicis ab eo dictis.*
Jurisprudentia in genere & specie. 8vo. 1687.
Historia Augusta, seu vita Romanorum Cæsarum. 4to. 1698.

Num: CCCXIX.

P. JOANNES BAPTISTA Ebbert Garstensis.

JOañem, Virum singulari laborum tolerantia præditum, Austria protulit XIII. Calendas Februarij an: MDCLXIV. Jactis dein an: MDCLXXXVIII sanctioris vitæ fundamentis Salisburgi docendis *Ss. Canonibus* vires animumque impendit ab anno MDCXCV usq; MDCCVI, *Procancellarius* ab an: MDCCIII usque MDCCVI. Valet adhuc, ac Parochialibus functionibus præest in Civitate Styrensi.

Scri-

[f] *Hist: Salisburg: Lib. V. Cap. III.*

SCRIPTA.

Bellum. 4to. 1697. & 1702.
Controversia selecta ex universo Jure. 4to. 1698. & 1699.
Pax. 4to. 1700.
Jubilaeum. Fol. 1700.

Num: CCCXX.

P. JOANNES BAPTISTA Hemm e S. Emeramo.

Vere sapiens est, qui *Philosophorum* dogmatibus pietatem jungit. Primum probavit *Joannes* Universitati Salisburgensi in cathedra *Philosophica* anno MDCLXXIX: alterum Monasterio suo & universo Orbi in Abbatiali munere, quod anno MDCXCIV susceperat, patefecit. *Fit Abbas.* Neque alia ejus doctrina fuit, quam vita, innocens sane & cum singulari liberalitate conjuncta, ut, qui tam pie viveret, vere Sophus esset; qui tam prudenter Coenobij sibi concrediti negotia pertractaret, vere Abbas & Pater diceretur. Fatis cessit Praesul optimus anno MDCCXIX in Festo Exaltationis S. Crucis, cujus pijssimum obitum ex ore Eminentissimi S. R. E. Cardinalis *Saxo-Cizensis* ita refert *P. Bernardus Pez.* (*) *Morientis pietas.* *Cum morte prope luctans, cum a religiosissimis Filijs, num sacrum ad se Viaticum e templo afferri vellet, interrogaretur, respondit is: absit a me Filij, ut Dominum Deum meum ad me deferri patiar, quin contra me misellum arripite, ac in templum ad percipiendum caelestis Escae munus deportate. Nec ullis sermonibus acquievit, donec ad templi oratorium, utut immensa dolorum vi in gravissima senectute divexatus, asportaretur, ubi cum incredibili pietatis sensu divino illo pabulo sumpto non ita post in Domino obdormivit.* Caeterum promovit *Baccalaureos* anno MDCLXXX, VII. Idus Julij

[*] *Differt: Isagog: in I. Tom. Thesauri anecd: noviss: Num.* 46.

quinquaginta duos, *Magistros* anno MDCLXXXI, III. Nonas Septembris totidem.

SCRIPTA.

MVnDVs trIpLeX ControVersVs, sive disputatio philosophica de triplici acceptione mundi Arche-typi, Microcosmi, & Macrocosmi.

Num: CCCXXI.

D. JOANNES BAPTISTA Moser JCtus.

Varia, quæ obivit, munia.

SUccessit D. Doctori *Braun* in *Institutionibus* anno MDCLXXIV, in *Pandectis* ab anno MDCLXXX usque MDCLXXXIV. Inde ob exactam jurisperitiam & inconcussum Justitiæ rigorem ad publica negotia assumptus, *Oeniponti* inter excelsi Cæsarei Regiminis Consiliarios, ac demum *Wezlariæ* inter Cameræ Imperialis Assessores communi utilitati invigilavit, nec raro in diversis apud exteros sibi commissis negotijs fidem in Cæsarem, amorem in Patriam, justitiam in universos probavit. Obijt anno MDCCXVIII.

SCRIPTA:

Dissertatio de requisitis & ordinatione testamentorum solennium. 4to. 1679.
Tractatus de his, qui testamenta facere possunt. 4to. 1681.
Dissertatio juridica de conditione indebiti. 4to. 1683.
Collatio bonorum. 4to. 1684.
Theses menstruæ aliquot. 8.

Num: CCCXXII.

P. JOANNES Bininger San-Blasianus.

RUri humilibus Parentibus natus ab ipsis unguiculis vividum ingenium præsetulit, præprimis vero in Rhetorum elegantijs excellebat. Movit id D. Blasij Præsu-

Præsulem *Martinum*, ut eundem monastico cucullo donaret anno MDXCIX. Exorientibus proin Salisburgi literis ibidem *Eloquentiam* alios edocuit ab anno MDCXVIII, usque MDCXXI, quo, ne ultra progrederetur, continui corporis languores invitum domum repetere coëgerunt. Verum nec aëris terræque commutatio medebatur infirmitati, sed protrahebat potius, ut majorem patientiæ corollam viro necteret. Obijt, ut semper vixerat, pijssime XI. Calendas Aprilis anno MDCXXIII.

Num: CCCXXIII.

D. JOANNES CASPARUS de Böcken JCtus.

INstitutionum Imperialium Professor an: MDCC nunc Syndicum agit Metropolis Salisburgensis optimum laudatissimumque; utq; in seram senectam incolumis perduret, animitus apprecamur.

SCRIPTA.

Tractatus de Feripedis theorico-practicus. 8vo. 1720.

Num: CCCXXIV.

D. JOANNES FRANCISCUS Balthasar JCtus.

VIr doctus & indefessæ diligentiæ non nisi biennio *Pandectarum* cathedram tenuit, ab anno nimirum MDCLV usque MDCLVII. Obitus ac reliqua vitæ series nobis incognita.

SCRIPTA.

Dissertatio de operis subditorum. 12. 1656.
Dissertatio de Judicijs S. R. Imperij. 12. 1656.

Num:

Num: cccxxv.

P. JOANNES JACOBUS a Preysing Tegerns.

Illustres natales, ILlustrissima Prosapia DD. Comitum a *Preysing* florem hunc dedit ingenio, pietate, ac moribus vere illustrem: ut enim avitam stemmatis gloriam humilitate occultaret, in Monasterio Tegernseensi terrenis perpetuo sese abdicavit VII. Calendas Septembris MDCXXXVII. Neque tamen latere diu potuit, quin ab Universitate pro *Rhetorices* schola expeteretur anno MDCXLIII, ut acceptam in religioso Convictu scientiam denuo grato rependio in alios diffunderet. Et utinam diutius eo frui licuisset! Demessuit mors cæca nobilem florem in Monasterio Admontensi anno MDCXLV die vigesima prima Augusti, in quam solaris Ecclypsis inciderat. Unde in Ephemeridibus academicis sequentia annotavit Magnificus *P. Romanus Muller. Tandem Ecclypsis prædicta finem absolvit suum, & pie obijt in Monasterio Admontensi R. P. Joannes Jacobus a Preysing Rhetorices Professor ætatis vigesimo septimo. Sic tanti spes sanguinis & tam floridæ indolis rosa uno & non exspectato malignæ febris halitu exspiravit.* Fusius excelsas animi dotes aptamque majoribus indolem describunt literæ mortuales, quas una cum Epitaphio theatro suo funebri inseruit *P. Otto Aiche* [illegible] *e S. Vito.*

SCRIPTA.

Institutiones Poëticæ & Rhetoricæ. MSS.

Num: cccxxvi.

D. JOANNES WILHELMUS Grass JCtus.

PAtria Coloniensis primus Salisburgi *Institutionum* Collegia aperuit anno MDCXXII, nec sine maximorum Auditorum profectu eadem prosecutus est usque ad annum MDCXXVII. Plura in academicis Ephemeridibus non invenimus.

Num:

Num: CCCXXVII.

D. JOSEPHUS ADAMUS Ayblinger JCtus.

Dilingæ Institutionum Professor.

CLarior est Viri hujus memoria, quam ut ab hominum animis & ore avelli possit: Dilingæ primum *Institutionum* Professor *easdem* Salisburgi docere cœpit anno MDCC. *Pandectarum* dein cathedra donatus eo majori omnium dolore tumulo infertur anno MDCCXXII, quo majori hucusque encomio eidem præfuerat.

SCRIPTA.

Quatuor Libri Institutionum. 4to. 1718.

Commentarius in quinquaginta Libros Pandectarum. Opus posthumum. 4to. 1726.

Theses menstruæ. Substitutio vulgaris 1701. *Substitutio pupillaris* 1706. *Usus fructus* 1707. *Libellus in judicio proponendus* 1715.&c. 8vo.

Num: CCCXXVIII.

D. JOSEPHUS BERNARDUS Glettle JCtus.

Falso ei adscribitur anatomia Legis amortizationis.

IPso nomine hic notus est celebris Jurisprudentiæ Doctor. *Augusta* illi vitam dedit anno MDCLIV; *Dilinga* & *Salisburgum* cathedras: Illa *Institutionum*, hoc *Pandectarum* anno MDCLXXXIV, *Codicis* & *Juris publici* ab anno MDCLXXXVIII usque MDCXCVI. Obijt anno eodem VII. Calendas Augusti, ætatis XLII, merito ob eximiam doctrinam deploratus ab omnibus, quamquam ab aliquibus indigne vapulet, qui vario errore inducti *Anatomiam Legis amortizationis* ceu tractatum posthumum eidem adscribunt. Causam erroris præbuit citatus libellus *Argentinæ* (si credere fas est) anno MDCCXIV sine Authoris aut Typographi nomine editus, in cujus præ-

præfatione ille, qui supposititium partum emisit, *Glettleum* authorem facit, ut tanti viri authoritate opus suum fulciret. At quam malevole impostor egerit, nomenque clarissimi Glettlei nostri falso momorderit, fusius prosequitur Magnificus P. Schmier *in Jurisprudentia Canon: Civ: Lib. III, Tract. III. Cap. II. Sect. I. §. II.*

SCRIPTA:

Assertiones ex universo Jure selectæ. 4to. 1685.
Jus civile ad normam Institutionum accurata methodo concinnatum. 8vo. 1685.
Tractatus Canonico-Civilis de testamentis. Pars I. 1685. Pars II. 1686.
Jurisprudentia terribilis, seu tractatus juridicus de criminibus & delictis. 4to. 1687.
Tractatus de criminibus publicis. 4to. 1688.
Quæstiones selectæ. 4to *ex I. parte Pandectarum.* 1688. *ex II. parte* 1688. *ex III. parte.* 1695. *ex V. parte* 1692.
Jurisprudentia feudalis seu prima & immota principia totius Jurisprudentiæ. 4to. 1691.
Selecta Juris publici. Fol. 1693. & 4to. 1708.
Tractatus juridicus posthumus. 1714.
Jus planum & controversum. MSS. III Tomi.

Num: CCCXXIX.

D. JOSEPHUS BONAVENTURA Franz JCtus.

PRimarius hodie Juris Civilis Doctor & Professor jam triginta tribus annis publicas in Universitate nostra cathedras illustrat Professor *Extraordinarius* anno MDCXCIIII, *Institutionum* Justiniani anno MDCXCVI, *Pandectarum* anno MDCXCIX, *Codicis* & *Juris publici* ab an: MDCCXVII, quo temporis curriculo tum doctorales Laureas in plurimos disper-

ſpertijt, tum varijs ingenij monumentis ad exteros nomen propagavit, & etiamnum, quouſque ſpiritus vitales ſuppetent, propagare non deſiſtit. Vos Superi vires annoſque addite.

SCRIPTA.

Succeſſio ab inteſtato. 8vo. 1697. Partes III.

Prodromus Juſtinianeus, ſeu prima elementa totius legitimæ ſcientiæ juxta ordinem Lib. I. Inſtit: Imper: 4to. 1699. *Lib. II.* 1700. *Lib. III & IV.* 1701.

Nuptiæ. 8vo. 1700.

Quæſtiones ex omni jure ſelectæ. Fol. 1702.

Tractatus juridicus de Delictis in genere & ſpecie. 4to. 1707.

Jurisprudentia quintuplex, ſeu quæſtiones ſelectæ ex univ: jure. fol. 1709.

Tractatus juridicus de actionibus. 4to. 1714.

Tractatus de pignoribus & hypothecis. 4to. 1716.

Num: CCCXXX.

P. JOSEPHUS Burger Ottoburanus.

MOnachij in lucem datus Ottoburæ D. Benedicti Regulam ſuſcepit an: MDCVIII. Salisburgi *Theologiæ moralis* Profeſſor an: MDCXVIII. *Regens* religioſi Convictus an: MDCXX, ibidem magno reſignati animi affectu animam efflavit anno MDCXXI.

SCRIPTA.

Analyſis Theologico-juridica de juramenti natura, obligatione, interpretatione, & diſpenſatione. 4to. 1619.

Num: CCCXXXI.

P. JOSEPHUS Dreſcher e S. Lamberto.

PRimam cœli lucem aſpexit *Halæ*, alteram eamque ſanctiorem ad S. Lambertum hauſit, poſtquam ſpiritu regeneratus in ipſis D. Lamberti ſolennijs Monaſtica vota emiſit anno MDCLVI. Excellens Mu-

ficus, & impense tam in Theologicis quam Philosophicis scientijs versatus tradidit Salisburgi *Casus conscientiæ* ab anno MDCLXIX usque MDCLXXVII. Redux inde ad Monasterium suum in Cellis Marianis Pœnitentiarij munus obivit: sed rursus Salisburgum accitus, simulque secundus Superior ad D. Virginem *Plainensem* constitutus, dictam peregrinationem varijs Sacellis per ascensum erectis magis spectabilem reddidit. Iterato tandem Pœnitentiarius ad Thaumaturgam *Cellensem* placidum vitæ finem invenit anno MDCXCVIII Nonis Julij.

SCRIPTA.

Tuta praxis administrandorum Sacramentorum rituali Salisburgensi apprime accommodata. 1676.

Casus morales. & alia.

Num: CCCXXXII.

P. JOSEPHUS Mezger e S. Petro

NEmo elogium Josepho denegabit, quem singulæ Facultates habuerunt Doctorem: ita nimirum viri eruditi per universas scientias abire solent, ut prosint omnibus, ac ubique doctrinæ suæ vestigia relinquant. An petis *flagyreas* cathedras? & dabit tibi eundem *Philosophia* Professorem an: MDCLXII, creatis ex ea Facultate *Baccalaureis* anno MDCLXIII, VII. Idus Junij *septemdecim*, *Magistris* anno MDCLXIV pridie Idus Octobris *octodecim.* An *Juristarum* subsellia desideras? Et interpretatus est *Ss. Canones* anno MDCLXIV; An *Theologicas* Prælectiones exspectas? Et exceperunt frequentes Auditores ab ejus calamo *Controversias Fidei* ab an: MDCLXXIII usque MDCLXXVIII, *S. Scripturam* ab anno MDCLXXIII usque MDCLXXXI. Tota demum Univer-

versitas *Procancellarium* coluit ab anno MDCLXXIV usque MDCLXXXIII. Neque hic laborum finis, etiam *Ascesis Josephum* voluit, postquam integro novennio Monasterium S. Petri Eundem Priorem zelosissimum, studiosa vero juventus academica in majori Sodalitate ad Marianam pietatem promovendam Præsidem & Ductorem suspexit. Obijt D. Virginis cultor singularis VIII. Calendas Novembris anno MDCLXXXIII in Principali Cœnobio *S. Galli*, dum intemeratæ Virginis Eremum *Einsidlensem* miraculis longe lateque conspicuam invisere cogitaret.

SCRIPTA.

Considerationes de scientijs & modis sciendi in communi. 4to. 1664.
Axiomata physica quæstionibus problematicis distincta. 4to. 1664.
Quatuor gradus naturæ, esse, vivere, sentire & intelligere, 4to. 1664.
Unitas & distinctio rerum quæstionibus philosophicis explicata. 4to. 1664.
Tabula bipartita successionis Ecclesiasticæ tam ex testamento quam ab intestato. 4to. 1670.
Panacæa juris, sive remedium universale restitutionis in integrum, utroque jure receptissimum. 8vo. 1673.
Cornu parvulum Danielis disputatione scripturistico- controversistica de Antichristo ventilatum. 12. 1677.
Institutiones in S. Scripturam. 12. 1680.
Historia Salisburgensis, quam morte preventus non nisi usque ad finem IV. Libri perduxit. Fol. 1692.
Annus Mariano- Benedictinus, sive sancti Menstrui in Congregatione D. Virginis distribui soliti. 8. 1687.
Theses menstruæ aliquot. 8vo.

Num: CCCXXXIII.

P. JOSEPHUS Walner Ossiacensis.

DOcuit *Rhetoricam* tribus vicibus anno videlicet MDCLXXVII: MDCLXXX, & MDCXCVIII,

quo etiam *Præfecti Scholarum* vices supplebat. Redux postea Ossiacum finem vivendi fecit v. Calendas Junij anno MDCCIII.

SCRIPTA:

Annus Millesimus Monasterij Ossiacensis.
Tragœdia de Boleslao Rege Poloniæ. 1689:

Num: cccxxxiv.

P. KILIANUS Halmschmid Lambacensis.

NAtus est Kilianus *Salisburgi* anno MDCXXXII, superatoque ibidem inferiorum scholarum curriculo res perituras valere jussit in Monasterio Lambacensi anno MDCLI, ætatis decimo nono. Transplantatus inde in Convictum *Juvaviensem* brevi ita effloruit, ut dignus judicaretur, qui *Philosophica* semina in Discipulos spargeret, renuntiatis pridie Nonas Julij anni MDCLXI *Baccalaureis triginta & uno, Magistris* anno MDCLXII, v. Idus Octobris *viginti & uno.* Prior porro Monasterij Lambacensis laudatus & amatus ab omnibus viam universæ carnis inijt anno MDCLXXXIII.

SCRIPTA:

Theses Logicæ. 4to. 1661.
Hebdomadarium Marianum.

Num: cccxxxv.

P. LEONARDUS Kloz Wessofontanus.

PRofessor *Rhetorices*, *Præfectus Scholarum*, & *Comicus* ab anno MDCCXVIII usque MDCCXXI, anno eodem *Philosophicas* prælectiones auspicatus est, promotis *Baccalaureis* anno MDCCXXII, xvi. Calendas Augusti *octoginta & uno*, *Magistris* anno MDCCXXIII, Pridie Calendas Septembris *sexaginta quatuor.*

Num:

Num: CCCXXXVI.

P. LUDOVICUS Babenstuber Ettalensis.

VIr consummatæ in omni genere doctrinæ & probitatis (*) in lucem prodijt anno MDCLX. Et licet natura docile ingenium denegasse visa fuerit, professus tamen an: MDCLXXXII vitam benedictinam, multo labore & vigilijs facilem sibi ad omnes scientias viam comparavit. Cum ergo in Convictu Salisburgensi, ubi *Regentis* munus obierat, novis identidem augmentis animum probe excoluisset, prima doctrinæ specimina in *Philosophica* cathedra tum *Salisburgi* anno MDCXC, tum in celebri *Canonia Schlechdorffensi* patefecit, magisque in dies prodidit, postquam ab anno MDCXCV usq; MDCCII explicandis *Casibus conscientiæ*, ab anno MDCCIII usq; MDCCX *Theologiæ scholasticæ*, & ab anno MDCCVI usq; MDCCXVI, *S. Scripturæ* insudavit. Tertio præterea *Vice-Rector*, ac *Procancellarius* ab an: MDCCIX usque MDCCXVI æternam sui memoriam in Universitate reliquit. Reversus exinde ad Ettalense Cœnobium, postquam canos dies legendo, orando, ac scribendo sancte consumpsisset, vitales auras deseruit anno MDCCXXVI. Vivit tamen hodiedum in præclaris ingenij sui monumentis, nec ullis unquam temporibus grata ejusdem memoria in Ss. Theologiæ Auditorum animis deleri poterit, cum is Auctor fuerit, ut huic Facultati sua essent collegia, in quibus totius Theologiæ arcana compendio percurrerentur, eaque omnia, quæ majoris difficultatis aut indaginis discipulis viderentur, facili methodo, ac sæpius repetitis explicationibus palam fierent. Ejus exemplum reliqui Theologiæ Docto-

[*] P. Felix Egger *in Idea Ord: Hierarch: Bened: Lib. I. Part. III. Differt. II. Num. V.*

Doctores secuti centum quotannis quæstiones enodare solent, ac omne illud, quod ingenio suo Auditores assequi possunt, summa perspicuitate evolvunt. Unde cum Viri magnæ semper in literis famæ professuras sustinerent, atque in arduis & necessarijs potissimum omnium labor hæreret, tanta Facultatis hujus merita sunt, ut famam non sine invidia lacessant. Cæterum Lauream imposuit *Baccalaureis* anno MDCXCI, XVI. Calendas Augusti *quinquaginta septem*, *Magistris* anno MDCXCII, III. Nonas Septembris *triginta quinque*, *Doctoribus* & *Licentiatis* plurimis.

SCRIPTA.

Quæstiones philosophicæ. 4to. 1692.
Fundatrix Ettalensis. 4to. 1694.
Regula morum seu dictamen conscientiæ. 4to. 1697.
Tractatus de jure & justitia. 4to. 1699.
Deus absconditus in Sacramento Altaris. 4to. 1700.
De statu Parvulorum sine Baptismo morientium. 4to. 1705.
Philosophia Salisburgensis. Fol. 1706.
Principia, bonitas & malitia actuum humanorum. 4to, 1706.
Deus Unus. 4to. 1706.
Gratia divina. 4to. 1706.
Vindiciarum prædeterminationis physicæ pars prior. 4to. 1707.
Ejusdem pars posterior. 4to. 1707.
Peccatum originale. 4to. 1708.
Verbum incarnatum. 4to. 1709.
Sacrosanctum Missæ sacrificium. 4to. 1710.
Quæstiones de Matre Dei. 4to. 1712.
Vindiciæ Vindiciarum Prædeterminationis physicæ. 4to. 1712.
Vindiciæ Vindicis. 4to. 1712.
Ethica supernaturalis Salisburgensis. Fol. 1718.
Differtationes theologicæ contra Quesnelij propositiones. 8vo.
Vita S. Magni.

Sacræ

Sacra delitiæ Mariani amoris. 12.
Prolusiones Academicæ. 8vo. 1724.
Theses menstrua plurima. 8.

Num: CCCXXXVII.

P. LUDOVICUS Engel Mellicensis.

Insignis Ss. Canonum Doctor. Qualis quantumvis Juris Mysta *Ludovicus* exstiterit, novit Orbis literarius pene universus; nec enim facile Bibliothecam, Jurisconsultum, aut Parochum accuratiorem invenies, qui non ejusdem *Collegio Juris*, aut *Manuali Parochorum* utatur. Hinc non immerito P. Josephus Mezger *in approbat: ad Coll: Jur.* præclarum hoc opus *communi Doctorum expectatione, calculo, plausu, receptum, probatum, in schola, foro, libris allegatum* probatione haud indigere judicabat. *Ejus natales,* Prodijt autem in lucem Ludovicus *Walgramij* in Austria, emissisque *Mellicij* IV. Idus Septembris anno MDCLIV religiosis votis, Salisburgi sedulam utrique Juri operam impendit, sub *P. Gregorio Kimpfler* Schyrensi, & *D. Hermanno Hermete*, quorum ductu non solum anno MDCLVII Doctoris prærogativa insigniri, verum etiam in *Juris Pontificij* cathedram *& clara docendi methodus.* anno MDCLX sublimari meruit. Eo in munere *tanta claritate Ss. Canones est interpretatus, ut ab hujus eximij viri eruditione, & clarissima docendi methodo penderent ex dissitis etiam regionibus magno numero affluentes auditores; hujus oraculum ambirent doctissimi Viri; Hunc Tribonianum expeterent inclyti Principes, ut multorum audiret Consiliarius,* x *& Universitatis Procancellarius* (*) ab an: MDCLXIX usque MDCLXXIV. Initia hæc meritaque fuerunt ad Abbatialem Infulam, quam D. *Valentinus* Mellicen-

[x] P. *Anselmus Schramb* in Chro. Mellicensi Part. IX. Num. 97.

Abbas eligendus censium Abbas senio viribusque fractus resignare, ac Ludovico nostro per canonica eligentium vota committere cogitarat. Verum brevi *Libitbina* se stitit, &, quem omnes diu sospitem exoptabant, *morte intercipitur.* sanguinis profluvio in tumbam conjecit x. Calend. Maij, anno MDCLXXIV.

SCRIPTA.

Forum competens. 4to. 1663.
Manuale Parochorum. 12. 1661.
Privilegia Monasteriorum. 12. 1664.
Collegium universi Juris Canonici. 4to. *aliquoties.*

Num: CCCXXXVIII.

P. MAGNUS Agricola e Ss. Udalrico & Afra.

SOlertem profecto Agricolam sese probavit *Magnus*, ut qui omni vitæ suæ tempore tum proprium animum virtutibus & scientijs excolere, tum hausta doctrinæ semina in alios spargere sedulo adlaboravit. Natus *Augustæ*, ut liberius soli Deo vivere posset, solenne ad aras Sacramentum dixit IV. Idus Octobris, anno MDCLIX; cumque Monasterij sui Fratribus *Philosophicas* spinas evolvisset, *easdem* iterato Salisburgi percurrere cœpit anno MDCLXXII, creatis *Baccalaureis* anno MDCLXXIII, v. Calendas Julij *viginti quinque*, *Magistris* anno MDCLXXIV, Idibus Octobris *viginti quatuor*. Domum inde ex academica arena non sine maximis encomijs remeare jussus sublimioribus studijs plerosque vitæ dies impendit, usquedum ad capienda laborum præmia a cœlesti Patrefamilias evocatus fuit IX. Calendas Maij, anno MDCLXXXVIII.

Scri-

SCRIPTA.

Sententiæ Philosophicæ IV. *Libellis comprehensæ.* 1671.
Quæstiones naturales mixtæ de principijs & causis ex Lib. I. & II. Physicorum. 8VO. 1674.
Conclusiones selectæ ex universa Philosophia. 8VO. 1674.
Tractatus de actibus humanis. 1679.
Tractatus de Mysterio Ss. Trinitatis. 1679.

Num: CCCXXXIX.

P. MARIANUS Lendelmayer Admontensis.

AB ineunte ætate sub cura PP. Societ: Jesu literis imbutus, alte Recentiorum placita imbiberat, acriterque aliquoties propugnarat, donec Salisburgensis Parnassus Thomisticæ doctrinæ Tramites percurrendos obtulit. Subito hic cursum mutavit, & qui olim presso adeo pede Recentiores sequebatur, jam non nisi angelica Thomistarum dogmata mente volvebat. Quapropter *Insula mystica*, Eidem an: MDCCIII dicata hæc in verba prorumpere non dubitavit: *Et vero, quis illud satis admirari valeat, quod, licet in Recentiorum schola enutritus, antiquam tamen & genuinam D. Thomæ doctrinam in omnibus amplexus, eandem non solum publice solidissimis rationibus propugnaveris, sed etiam privatim pro viribus commendaveris, Doctor insignis, Thomista egregius. De facillima æque ac efficacissima argumentandi methodo quid dicamus, quam stupebant domestici, venerabantur exteri, deprædicabant universi. &c.* Nec abs re, præclarum Thomisticæ sententiæ propugnatorem vidit *Philosophia* anno MDCXCIII, *Theologia speculativa* ab anno MDCXCVI usque MDCCII, quo die decima octava Decembris Epomidem cum Mitra commutavit. *vide Cap. IV.* Promovit Philosophiæ *Baccalaureos* an: MDCXCIV Nonis Julij *quinquaginta,*

Fit Abbas.

Magistros anno insequente pridie Calendas Septembris *triginta quinque.*

SCRIPTA.

Quæstiones philosophicæ. 4to. 1695.
Tractatus de Sacramentis in genere. 8vo. 1699.
Tractatus de sanctissimo Eucharistiæ Sacramento. 8. 1699.
Tractatus de Deo Uno. 8vo. 1700.
Tractatus de Deo Trino. 8vo. 1700.
Tractatus de virtute & Sacramento Pœnitentiæ. 8vo. 1701.
Tractatus de vitijs & peccatis. 8vo. 1702.
Tractatus de Angelis. 8vo. 1702.

Num: CCCXI.

P. MARIANUS Schvvab Schyrensis.

Landspergensis Bojus *Aristotelica dogmata* publice docuit anno MDCXXXV, dixitque *Baccalaureos* an: MDCXXXVI, III. Calendas Augusti *quadraginta duos.* Cum vero maligna lues academica auditoria occludere compulisset, Magisterij laurea tunc temporis donavit neminem; an: tamen MDCXLIV, XVI. Calendas Novembris in vicem *P. Placidi Buechauer Cremisanensis*, quem sui ad Abbatialem dignitatem evocaverant, *Magistros* pronunciavit *viginti quatuor.* Professor quoque *Casuum Conscientiæ* an: MDCXLIV, *Theologiæ speculativæ* anno MDCXLVIII, *S. Scripturæ* ab anno MDCLXII usque MDCLXIV, Salisburgi inter Scholasticos labores vitam finijt anno eodem III. Idus Junij, ætatis quinquagesimo octavo.

SCRIPTA.

Theoremata selecta ex universa Philosophia naturali. 4to. 1638.
Theoremata ex octo Physicorum Libris. 4to. 1644.
Theoremata antiquo-nova ex Philosophia peripatetica. 4to. 1644.

Frag-

Fragmenta Theologica ex convivio Eucharistico selecta. 4to. 1650.
Quæstiones theologicæ ex Summa S. Thomæ. 4to. 1653

Num: CCCXLI.

P. MARIANUS Wiser e S. Vito.

INter præstantes, & vere religiosos Viros, quos S. Viti Cœnobium Universitati nostræ hactenus submisit, loco non postremo recensendus venit P. Marianus. Missus is anno MDCLXXIII in Convictum D. Bonifacij aliquot annos ibidem literis consecravit, utque docile alias ingenium in dies magis exacueret, domi juniores fratres erudiendos suscepit. Sed anno MDCLXXXV ad Philosophiæ cathedram Salisburgum evocatus par ab omnibus encomium tulit, dictisque anno MDCLXXXVI septimo Idus Julij *Baccalaureis triginta & octo*, *Magistris* anno MDCLXXXVIII, tertio Nonas Septembris *viginti novem*, a discipulis, quos summa cura & diligentia instituere solebat, sempiternas promeruit gratias. Domum inde secedens Prioris officium tanta sedulitate peregit, ut an: MDCXCV concordia eligentium vota eum Abbatem proclamarint. *Vide Cap. IV.*

SCRIPTA.

Manipulus Quæstionum philosophicarum. 4to. 1687.
Instructio Novitiorum. MS.
Theses menstruæ aliquot. 8vo.

Num: CCCXLII.

P. MARTINUS Resch Cremifanensis.

GMundensis Austriacus, postquam IV. Nonas Februarij anno MDCLXXX per solennem mona-

sticorum votorum nuncupationem Cremifanensi Cœnobio associatus esset, vixdum elapso biennio in *Juris Pontificij* cathedra successit *P. Cœlestino Sfondrati* Monacho *San-Gallensi* ab anno MDCLXXXII usque MDCLXXXV. Abbas electus anno MDCCIV alteri turri Ecclesiæ claustralis finem imposuit, ac arcem *Kremsegg* vetustate pene collabentem e ruderibus suscitavit. Plura videri possunt *Cap. II.*

Abbas electus.

SCRIPTA.

De Jure Patronatus. 4to. 1685.
Sermones ad populum. MSS.

Num: CCCXLIV.

P. MATTHÆUS Weiss Andecensis.

DEUM bonum! Quantus hic præ manibus Vir! si mores spectemus nitidissimus; si sermonem eloquentissimus; si ingenium doctissimus. Bis *Philosophiæ* Professor, anno MDCXXII *Introductionem ad Logicam* concinnavit, quæ tanti ab omnibus habita fuit, ut *D. Andreas Ottoburanus* Præsul, ac p.t. Universitatis Præses in comitijs academicis anno MDCXXX celebratis statuerit, ne quid aliud ante organum Aristotelis traderetur discipulis, quam memorata *Introductio.* Renuntiatis ergo anno MDCXXII *Baccalaureis viginti sex*, *Magistris* anno MDCXXIII, VII. Idus Novembris *quindecim*: & anno MDCXXIV pridie Idus Octobris *viginti*, a Philosophia ad *Theologiam scholasticam* an: MDCXXIV, ad *S. Scripturam* an: MDCXXVII gradum fecit, quamquam jam anno MDCXXVI *Rectorali* dignitate effulgeret: Nec enim inter communes Universitatis curas alias animi relaxationes admittebat, nisi publica literarum studia, quibus se

Rector Magnificus.

se unice delectari, laboresque levare posse asserebat. Obijt vir incomparabilis VII. Idus Novembris, anno MDCXXXVIII, cujus uberiores dotes & commeritas laudes ex ipsis Literis mortualibus, quas hic apponimus, colligere liceat.

Elogium ex literis mortualibus.

A primo puero imbutus monastica disciplina, quos innocentiæ mores a lacte induit semel, nunquam dimisit sinceriore animi quam nominis candore. Studijs scholasticis Dilingæ innutritus hoc testimonium tulit: docere posse, cum disceret. In Salisburgensem proin cathedram vocatus totos novendecim annos, Philosophus, Theologus, Rector, non interrupta serie in S. Ordinis commune studium absolvit. Constans illi monasticæ disciplinæ observantia, quam ut in alios quoque derivaret, quæ e Garcia Cirnero Monacho Benedictino Montserratensi, & Ludovico Barbo florentissimæ Cassinatum Congregationis Fundatore congessit, prælo subjecit, non sine ubere eorum, qui illis usi fuerunt, fructu atque solatio. Nihil illo humilius, etsi sublime ingenium, quidquid viderat, pervideret, sancte tamen credidit se nihil scire. Nihil illo modestius, tanto inferior infra omnes, quanto non ab humero, sed virtute, merito, doctrina supra alios eminebat. Nemo minus eguit. Nihil illi proprium, nisi quod minimis commune: imo hoc unum illi proprium, communis cura. Amavit omnes, amatus ab omnibus: momordit neminem, præter seipsum supremo & epileptico morbo, qui ad aram corripuit. Nec posthac manum abstinuit dira lues, donec intra menses paucutos magnis cruciatibus, pari necquicquam patientia obluctantem abripuit. Ergo innocens, scelerisque purus inter Patrum & Fratrum non interruptas orationes & profunda suspiria exspiravit ætatis quadragesimo septimo, Religionis (quam anno MDCVII susceperat) *trigesimo primo, Rectoratus duodecimo. &c.*

Elatum est funus frequentissima omnium Ordinum, ac totius Urbis pompa in Monasterium S. Petri, ubi in Sacello S. Viti terræ mandatum hanc marmori insculptam memoriam habet.

Ne-

Ne pedem Viator:
Sub hoc Lapide lapillus jacet;
Sed pretiosus,
MATTHÆUS WEISS Andecensis Monachus,
Salisburgensis Academiæ xix Annis
Doctor & Rector,
Utrinque incomparabilis.
Nam pari oraculo & miraculo
Dixit, scripsit, vixit.
Candidior vitæ quam nominis
Urna & umbra
Albo signata lapillo.
P. P.
Optimo Patri lugentes Filij
PP. Academici
Anno MDCXXXIIX.

SCRIPTA.

Pronuntiata Logica. 4to. 1621. & 1623.
Pronuntiata de cœlesti substantia & nonnulis affectionibus. 4to. 1622.
De anima. 4to. 1622.
De Natura. 4to. 1624.
De Cœlis. 4to. 1624.
De Generatione. 4to. 1624.
Organum Aristotelis novis commentarijs in mente peripatetica illustratum. 1627.
Introductio ad Logicam. 1635.
Dialectica, sive ars de quavis re discurrendi peripatetice.
Pronuntiata Theologica de Verbo incarnato. 4to. 1626.
Exercitia spiritualia secundum tres vias. 8vo. 1629.
Acroamata physica. 1632.
Panis divinus, seu de arcano Ss. Eucharistia Sacramento. 4to. 1635.
Cœlum commentationibus peripateticis illustratum. 4to. 1637.
Lycæum Benedictinum. 12. 1630.

Num:

Num: CCCXLV.

P. MAURUS Kremp Elchinganus.

ELchingæ natus & educatus *Mathesin*, quam nemine tradente haud vulgariter comprehenderat, Salisburgi alios edocuit ab anno MDCCXIV usque MDCCXXI. Vita ejus talis fuit, quæ Mathematicum & religiosum decebat, in solitudine & speculationibus continua; nec unquam, licet varijs scientijs imbutus, adduci potuit, ut cuidam scriptioni manum admoveret, cum plenum jam mundum libris dictitaret. Abstulit Eum mors Salisburgi anno post restitutam hominum salutem MDCCXXI, XI. Cal: Februarij, ætatis quadragesimo quarto.

SCRIPTA.

Erotemata varia, quibus integro septennio Ephemerides Salisburgenses illustrare consuevit.

Num: CCCXLVI.

P. MAURUS Liechtenheim e S. Lamberto.

GRacij nobilibus Parentibus prognatus, severioris vitæ consilia susceptis ex Benedictina Regula votis roboravit VI. Idus Decembris anno MDCLXV. Literarum amator singularis easdem in Salisburgensi Parnasso non sine multiplici fœnore divendidit Professor *Philosophiæ* anno MDCLXXVI, *Matheseos* anno MDCLXXIII, *Theologiæ moralis* anno MDCLXXX, *Theologiæ speculativæ* an: MDCLXXXI, *Controversiarum* ab anno MDCCIX usq; MDCXCIV. Peractis hoc modo in Universitate nostra annis prope viginti duobus extremum tandem diem bis infans clausit X. Cal. Aprilis anno MDCCIX: diuturni si-

,qui-

quidem languores corporis ingenijque vires adeo consumpserant, ut plane hospes in literis appareret, quique olim toties cathedras disputationibus accenderat, vix scientiæ nomen intelligeret. Renuntiavit *Baccalaureos* anno MDCLXXVII Nonis Julij *triginta sex*, *Magistros* anno MDCLXXVIII, III. Idus Octobris *triginta tres*, & anno MDCLXXIX, quo *D. Severinus Plaß* Epomidem cum M·tra Lambacensi commutaverat, VIII. Idus Septembris *triginta novem*, *Doctores* Theologiæ aliquot.

SCRIPTA.

Controversiæ logicales. 12. 1678.
Controversiæ ex VIII. Libris physicorum. 12. 1678.
Controversiæ philosophicæ. 12. 1678.
Quæstiones philosophicæ. 12. 1679.
Quæstiones de essentia & existentia Sacramentorum. 8vo. 1685.
Quæstiones de effectibus Sacramentorum. 8vo. 1685.
Dissertationes Theologicæ de virtute & Sacramento Pœnitentiæ. 8. 1686.
Dissertationes de Deo Uno. 8. 1689.
Quæstiones de actibus humanis & peccato actuali. 8vo. 1689.
Quæstiones Theologicæ de necessitate, natura, divisione, & causis gratiæ divinæ. 8vo. 1691.
Dissertationes de incarnati Verbi mysterio. 8vo. 1691.

Num: CCCLXVII.

P. MAURUS Menzel e S. Udalrico Augustæ.

ELvacensis Suevus Monachum professus est III. Idus Novembris, anno MDCCVIII. Salisburgi *Rhetorices* Professor anno MDCCXX, *Ethicam* & *Historiam* profiteri cœpit anno MDCCXXV, cui etiam muneri, hoc ipso, quo hæc scribimus, tempore laudabiliter præesse pergit.

Num:

Num: CCCXLVIII.

P. MAURUS Oberascher Lunælacensis.

ETiamsi nos sileremus, varij tamen ingenij partus virum proderent, ne lateret ille, quem in *Peripatetica cathedra* exquisita scientia cunctis spectabilem reddidit anno MDCLVII. Neque inter solos Philosophiæ cancellos talentum suum abscondit *Maurus*, sed ad *Ss. Theologiæ* pulpita eluctatus ab an: MDCLIX usque MDCLXVII scientiæ suæ semina in discipulos sparsit: Abbas postea anno MDCLXXXIII electus summa dexteritate Lunælacensibus præfuit. Dixit *Baccalaureos* anno MDCLVIII, v. Nonas Julij *viginti septem*, *Magistros* anno MDCLIX pridie Idus Octobris *novemdecim*, *Doctores* Theologiæ aliquot. Plura enarrat *Caput II* hujus Libri, ubi eundem Universitatis Præsidem venerati fuimus.

Fit Abbas.

SCRIPTA.

Rivi Logici ex fonte Aristotelico deducti. 4to. 1658.
Principia & causæ corporis naturalis. 4to. 1659.
Proprietates corporis naturalis. 4to. 1659.
Corpus naturale, cæleste, & elementare. 4to. 1659.
Corpus naturale mixtum. 4to. 1659.
Corpus naturale animatum. 4to. 1659.
Disputatio de actibus humanis. 4to. 1661.
De peccatis. 4to. 1663.
De gratia divina. 4to. 1664.
De virtutibus theologicis. 4to. 1665.
De Unione Verbi incarnati cum natura humana. 4to. 1666.
Disputatio de consequentibus unionem verbi incarnati. 4to. 1667.
Disputatio de jure & justitia. 4to. 1667.
Ara cæli, seu memoria mirabilium de Augustissimo Missæ sacrificio speculative & practice concinnata. 4to. 1669.

Tractatus II. speculativo-practici de Sacramentis in genere & specie. 1676.
De Miraculis S. Wolfgangi Libri II.

Num: CCCXLIX.

P. MAURUS Tantucius Cassinensis.

OPtimus Odor, ac grata memoria *Domni Mariani Siculi* Monachi Cassinensis Salisburgenses Patres eo permovit, ut *P. Maurum Tantucium* a *Domno Hermagora S. Justinæ* Abbate Salisburgum dimissum, in *Philosophicam cathedram* sublimarint an: MDCXXXIX. Nec pœnituit unquam, cum animitus optarent omnes tanto viro diutius frui: sed germanica non arridebat aura, unde proclamatis anno MDCXL, IV. Nonas Julij *Baccalaureis viginti octo*, *Magistris* anno MDCXLI pridie Idus Octobris *viginti quatuor*, lugentibus omnibus domum recessit anno eodem. Perstat ejus memoria in documentis academicis hocce elogio: *Fuit P. Maurus Florentinus in Mathematicis, Philosophicis, & Theologicis scientijs nulli secundus, ætate juvenis* XXX *annorum, viribus ad tolerandos studiorum labores instructissimus, egregiæ staturæ, & propter insignem pietatem morumq; sinceritatem, & lenitatem omnibus non in longinquis solum, sed ipsis etiam Magnatibus Reipublicæ Venetæ amicissime notus & charus: Hunc ergo Patrem naturæ dotibus undequaque spectabilem, ac præfatis cathedris jam antea omnium admiratione perfunctum Reverendissimus D. Hermagoras S. Justinæ Abbas Salisburgum direxit, ubi etiam appulit* XI *Cal. Octobris* &c. Obitus incertus.

Elogium.

SCRIPTA.

Philosophus rationalis, sive Aristoteles Logicus. 4to. 1640.
Trinitas naturalis ab Aristotele denuntiata. 4to. 1641.
Templum Deorum & hominum ab Aristotele constructum. 4to. 1641.
Triumphus Aristotelis. 4to. 1641. & alia plura.

Num:

Num: CCCL.

P. MEINRADUS Troger San-Blasianus.

RHeinfeldæ ditionis Austriacæ Oppido in lucem reditus anno MDCXCVI, Religioni Benedictinæ in *D. Blasij* Congregatione se devovit VII. Idus Novembris, anno MDCCXVII. Professorio dein munere in Universitate nostra, ubi an: MDCCXXII publicas Theses defenderat, donatus *Philosophiæ* Auditores nactus est centum quadraginta septem, ex quibus Artium liberalium *Baccalaureos* renuntiavit an: MDCCXXVI *septuaginta duos*, *Magistros* an: MDCCXXVII, Calendis Septembris *quadraginta tres*. Agit nunc Ss. Theologiæ Professorem in Imperiali Monasterio *Gengenbacensi*, quorsum eum, unacum *P. Bonifacio Moyses* eo tempore San-Blasiano Subpriore ad Officium Prioris, quod modo in Capitularem susceptus adimplet, evocavit ejusdem loci Abbas Reverendissimus *D. Paulus*, qui anno MDCCXXVI Præsulari dignitati admotus magno plane fervore pietati scientias jungere adlaborat.

SCRIPTA.

Homo Philosophicus, 4to, 1727.

Num: CCCLI.

P. MELCHIOR Rambeck Andecensis.

MOnacensis Bavarus post exactum laudabiliter tyrocinium sacra Benedictinæ Religionis vota an: MDCXVIII deposuit, expletoq; integro sexcennio in Convictu Dilingano, Salisburgi *Peripatum* Professor ingreditur anno MDCXXV. Egressus inde *scholarum Præfecturam* in se suscepit, ut

altiori cathedræ eo liberius se præpararet. Verum o fallaces hominum spes! dum per Autumnum charos Monasterij lares invisere cogitat, in *Berthingano* prope Monasterium hospitio inhospita lues eundem aggreditur, nullaque medicorum ope victa, Matrem Virginem conceptis & iteratis verbis inclamantem: *Non me deseras Mater sancta, Virgo Mater*, consumpsit anno MDCXXIX Calendis Augusti, ætatis trigesimo primo. Promoti ab eo fuerunt *Baccalaurei* anno MDCXXVII, XII. Cal. Maij *undecim*, *Artium Magistri* anno MDCXXVIII, VIII. Cal. Junij *septem*.

Num: CCCLII.

P. MICHAEL Langbartner Michaëlburanus.

OBijt Vir impense doctus IV. Cal. Julij an: MDCCXV, IV. Cal. Julij ætatis XL, postquam *Ethicæ* & *Historiæ* ab an: MDCCVI usq; MDCCX, *Controversijs fidei* ab anno MDCCX usque MDCCXIII, *Theologiæ speculativæ* ab anno MDCCXIII usque MDCCXIV communi applausu & elogio præfuisset. Dixit Theologiæ *Doctorem* unicum anno MDCCXIII.

SCRIPTA.

Divinæ gratiæ magnalia in S. Michaële Angelorum omnium Principe scholastice, dogmatice, & Historice expensa. 4to. 1714.

Historia universalis in tabulas & periodos compendiose divisa. 1708.

Variæ gratulationes ad Principes Salisburgenses, symbola, emblemata, varijque conceptus Poëtici.

Num: CCCLIII.

P. MICHAEL Seiz Admontensis.

EHingæ nobili Sueviæ Oppido in lucem prognatus anno MDCXXXVIII, Benedictinæ militiæ nomen dedit VI. Idus Novembris, anno MDCLV.

Salis-

Salisburgi *Philosophiæ* Professor consuetas Laureas distribuit *Baccalaureis* anno MDCLXVII, VI. Idus Junij *triginta septem*, *Magistris* anno insequente Idibus Octobris *viginti tribus*. Varijs postmodum officijs in Monasterio suo pie & religiose perfunctus in senectute bona tumulo illatus est anno MDCCXIV, die vigesima prima Decembris.

SCRIPTA:

Botri vindemiæ philosophicæ de corpore & anima. 4to. 1668.
Controversiæ de tempore, loco, materia, & modo. 4to. 1668.
Insignia quædam anecdota, quæ hinc inde collegit. MS.

Num: CCCLIV.

P. MICHAEL Trometer Michaëlburanus.

MIchaëlem, quem anno MDCXXXVI *flagyrea dogmata* publice profitentem maligna lues, ne prima Philosophiæ Laurea dispersos hinc inde discipulos donaret, probibuerat, fama & gloria ad Abbatialem dignitatem evexit anno MDCXXXVII. Plura videri possunt *Cap. IV*, dum interim unicum pietatis monumentum, quod inter pauperum ac ægrotorum manus erexit pijssimus Præsul, ex rotulis mortualibus hic loci inserimus: *publica quandoque non solum annonæ caritas, verum epidemica quoque lues patriam depopulabatur; unde desideratam opem isthic æqualis egestas, alibi formido contagij laborantibus interceperat. Unicus in medium Reverendissimus noster Michaël conscia virtutis securus prosilijt, ac languentibus manu non raro propria, cibos, vinum, medicamina porrexit: frumentum vero ad ultimum usque granum in egenos omne dilargitus pinsendum posthac fratribus & familiæ panem in sola spe vicinæ messis reposuit.* En viscera misericordiæ, quæ si ultro indigentibus Christi membris panderent nostratum temporum Magnates & Principes, rarus ante fores esuriret mendicus.

Abbas eligitur.

Pietas in pauperes & ægrotos.

Num:

Num: CCCLV.

P. MODESTUS Mayr Seittenstettensis.

V*Indobonæ* in lucem editus docuit Salisburgi *Philosophiam* anno MDCCII, ex qua *Baccalaureos* inauguravit anno MDCCIII, v. Nonas Julij *viginti quinque*, *Magistros* anno MDCCIV, xv. Cal. Septembris *viginti*. Factus exin anno MDCCXVI Monasterij sui Prior ab hac aura mortali sublatus est anno MDCCXXIV.

Num: CCCLVI.

P. ODILO Neuman Ochsenhusanus.

NAtus *Oberndorfij* anno MDCLXVII, Salisburgi *Philosophiam* tradidit anno MDCXCVI, publicosque honores decrevit an: MDCXCVII, VI. Cal. Julij *Baccalaureis quinquaginta novem*, *Artium Magistris* anno MDCXCVIII, III. Nonas Septembris *triginta sex*. Fatis demum cessit vir in concertationibus academicis acutissimus anno MDCCXX, VII. Idus Decembris, cum mensæ regulari assideret.

SCRIPTA.

Quæstiones selectæ de anima rationali. 4to. 1698.
Partus Philosophicus Aristotelico-Thomisticus elaboratus, & contra suppositititium Recentiorum defensus. 4to. 1698.
Tractatus de habitibus juxta principia Thomistica. 1702.
Cœna Pontificalis stylo lapidari concinnata. 8vo. 1704.
MS. quædam tum scholastica tum moralia.

Num: CCCLVII.

P. OTTO Aicher e S. Vito.

ELoquentem eum esse oportet, qui *Ottonem* dignis encomijs prosequi possit: Is enim est in cujus ore suada sessitavit, in cujus pectore Poëtarum figmenta domicilium habuerunt. Natus quasi & educa-

tus

tus inter academica subsellia quadraginta octo annis gloriosum Professoris titulum circumtulit, quodque laudis argumentum, scriptis & factis mirum in modum adauxit. Deum bonum! quam latinus & elegans, planeque romanus illi sermo? mire Poëtarum omnium fabulas tenebat, Oratorum & Historicorum libros excusserat omnes, Rhetor; Poëta, Comicus sui temporis clarissimus; dignus proin, qui inter mansuetiores Musas æternam duceret vitam; abstulit tamen eum mors, bonis libris & studijs non ante quam mundo denatum, anno MDCCV, decimo quinto Calend. Februarij, ætatis suæ septuagesimo septimo, vitæ monasticæ quinquagesimo octavo. Tumulum habet in nova crypta academica, gratam vero memoriam ab omnibus, illis præsertim, qui Bibliothecam aulicam vel academicam invisere solent, cum pulcherrimum librorum ordinem, eorumque catalogos Ottonis nostri industriæ & laboribus debeant. Ut autem ad obita scholastica munia nos convertamus, egit Professorem *Syntaxeos* anno MDCLVII, *Poëseos* anno MDCLIX, *Rhetoricæ* anno MDCLXVIII, *Ethices* & *Historiæ* ab an: MDCLXXV usq; MDCCV, *Præfectum Scholarum* ab anno MDCLXIV usq; MDCLXXVI, *Comicum* annis plurimis.

SCRIPTA.

Theatrum funebre. Partes IV. 4to. Salisburgi. 1673. *& auctius* 1675.
Iter oratorium. 12. Salisburgi. 1673.
Iter poëticum. 12. Salisburgi. 1674.
Hortus variarum inscriptionum veterum & novarum, in duas partes divisus. 8vo. maj. Salisburgi. 1676.
Brevis institutio de comitijs veterum Romanorum libellis tribus comprehensa, quibus accessit Liber IV, de Comitijs Imperij Romano-Germanici. 12. Salisburgi. 1678.
De principijs cosmographiæ, 12. 1678.

M.T.

M. T. Ciceronis Orationes Philippicæ notis Historicis, Ethicis, Politicis, Philosophicis & Rhetoricis illustratæ. Partes duæ. 8vo. Salisburgi. 1678.

Epitome Chronologica Historiæ universalis sacræ & profanæ ab Orbe condito usque ad ortum Christi. 8vo. Salisburgi. 1689.

Institutiones œconomicæ sive discursus morales in duos libros œconomicorum Aristotelis Lib. III. 8vo. Salisburgi. 1690.

Florilegium insignium sententiarum ex Poëtis. 8vo. Salisburgi. 1690.

Historia Quartæ Monarchiæ sacra & profana, exhibens gesta, dicta, & symbola Principum Romanorum unacum observationibus & institutionibus politicis. Partes II. 8vo. typis S. Galli. 1691.

Infantia & adolescentia Romæ: sive ortus & progressus Romani Imperij annexis legibus Regijs, consularibus, ac decemviralibus, unacum fastis Romanorum antiquis. 12. Salisburgi. 1693.

Titi Livij Decas prima, cum notis historicis, Ethicis, & politicis. 8vo. Salisburgi. 1694.

Florilegium sententiarum Oratoricarum, Ethicarum, Politicarum, ex probatissimis Auctoribus collectum, & in locos communes digestum. 8vo. Norimbergæ. 1695.

Institutiones Ethicæ, sive discursus morales in decem libros Ethicorum Aristotelis ad Nicomachum. Quibus accessit liber de honore & nobilitate. 8vo. Salisburgi. 1696.

Juventus & maturitas Romæ: sive Romani Imperij incrementum & potentia tribus Libris comprehensa; annexa serie Regum & Dictatorum. Lib. III. 12. Herbipoli. 1700.

Tacitus enucleatus: sive Aphorismi & axiomata politica ex omnibus Cornelij Taciti operibus. 12. Augustæ Vindelicorum. 1701.

Supplementum Taciti enucleati, ex Julij Agricolæ vita & moribus Germanorum. Eodem anno & loco.

Zodiacus vitæ, continens symbola moralia de hominis vita, studio, moribus optime instituendis. 12. Salisburgi. - - -

Ephemerides Ecclesiasticæ, Astronomicæ, Historicæ, Ethico-politicæ ab Anno 1687. *usque ad annum* 1699. 4to. Salisburgi.

Epitome Chronologica Historiæ universalis sacræ & profanæ ab Orbe condito usq; ad an. MDCCII. Tomi III. 4to. Coloniæ 1706. *An-*

Annotationes in Regulam S. P. N. Benedicti ex diversis ejusdem Regulæ Commentatoribus deductæ. Fol. MS.

Palatium Heroum. 4to. MS.

Notæ in XII. *Libros Virgilij, & Senecæ Medeam.* 8vo. MS.

Annus sacer Poëticus, in Singulos anni dies divos Cælites varijs Poëmatibus celebrans. 8vo. MS.

Poëtæ Itali recentiores ordine alphabetico. 8vo. MS.

Poëtæ Galli, Hispani, Brittani, Poloni, Dani, Germani & Belgæ recentiores ordine alphabetico. 8vo. MS.

Excerpta ex Poëtis Græcis, quorum opera vel fragmenta supersunt. 8. MS.

Q. Curtij Rufi Libri omnes notis Historicis, Ethicis, Poëticis, Philologicis & Rhetoricis illustrati. 8vo. MS.

Collectio Auctorum, qui in S. Scripturam ligato stylo scripserunt. 8vo. MS.

Manipulus affixionum, Poëmatum &c. a PP. Professoribus Rhetorices & Poëseos Salisburgi adornatus. 4to. MS.

Leges ad excerpendum. 4to. MS.

Varia Dramata, Commœdiæ, Poëmata, Orationes, &c. quas ipse Salisburgi Professor exhibuit. 4to. MS.

Et alia, quorum aliqua MS. anno 1708. *flamma consumpsit.*

Num: CCCLVIII.

P. OTTO Guzinger Seonensis.

INsignis Rhetor & Comicus bis inter *Rhetores* Magister stetit, anno nimirum MDCXL, & ab anno MDCXLIV usque MDCL. *Ethices* dehinc Professor usque ad annum MDCLXVI, Academici quoque *Secretarij* officium magna diligentia subijt. Adnumerat eundem P. Bernardus Pez in *Epistolis apologeticis* Scriptoribus elapsi Seculi, quæ vero & qualia scripta reliquerit, nobis est incompertum.

Num: CCCLIX.

P. PARIS Gille Michaël-Buranus.

NEque *Paridi* sua desunt elogia, quem Oratorem & Poëtam haud vulgarem edita probant opera,

Orator & Poëta insignis. quin & ipsa Universitas, dum anno MDCLV *Rhetoricas leges* explanaret, singularis eloquentiæ & innatæ Poëseos laudem tribuit. Hinc non immerito Auctor illius Anagrammatis typis excusi, quod eidem secundas primitias peragenti fuerat oblatum, *divinum* eum *Poëtam* nominare non dubitavit. Obijt Anno --

SCRIPTA.

Corona gratulatoria, seu gratulationes, quas magnis Principibus Universitas Benedictina Salisburgensis accinuit. Fol. 1681.

Judicium Paridis emblematicum cum figuris aneis. Fol. 1694.

Num: CCCLX.

P. PAULUS Mezger e S. Petro.

y MErito gratulabatur sibi *Mabillonius* (*) Paulum diuturno literarum comercio sibi notissimum, unaque doctrinæ fama ac amicitiæ fœdere conjunctum Salisburgi an: MDCLXXXIII se salutasse. Eminuit enimvero in illo divinarum scientiarum peritia, quam eruditi quique imitarentur & colerent: neque unquam sine applausu easdem docuit, eaque solum auditoribus dictavit, quæ prælo sunt digna. Professor *Rhetorices* anno MDCLXIV, *Philosophiæ* anno MDCLXVIII, *Controversiarum* año MDCLXXXVIII, *S. Scripturæ* anno eodem usque MDCC, *S. Theologiæ* ab anno MDCLXXIII, *Procancellarius* ab anno MDCLXXXIII usque MDCCII, promovit *Baccalaureos* anno MDCLXIX, XIV. Cal. Julij *quadraginta tres*, *Magistros* anno MDCLXX, XVII. Cal. Octobris *viginti septem*, *Doctores & Licentiatos* aliquot. Vitam clausit insigne hoc Universitatis nostræ decus anno MDCCII pridie Idus Aprilis.

Scri-

[y] *Theodoricus Ruinart* in vita.

SCRIPTA.

Somnia Philosophorum de possibilibus & impossibilibus 4to. 1670.
Contemplationes Philosophicæ magnæ Urbis cœlestis & elementaris 4to. 1670.
Varij Tractatus & Disputationes Theologicæ, ex quibus in unum collectis, auctis, & dispositis prodijt *Theologia scholastica Salisburgensis*. Fol. 1695. Tom. IV.
Sacra Historia Gentis Hebraicæ. Fol. 1700.
Specula Mariana devotionis. 1677.
Orationum partes IV. Ia. *Continet orationes S. Parthenias*. 2da. *Orationes miscellaneas sacro-profanas*. 3tia. *Problemata inauguralia*. 4ta. *Auctarium problematum*. 4to. 1700.
Continuatio Historiæ Salisburgensis, quam unacum P. Francisco Mezger ad finem perduxit. Fol. 1692.

Num: CCCLXI.

P. PAULUS Priefer Garstensis.

Burgstallensis Austriacus Monachum induit anno MDCXCI, Regulæque S. Benedicti solenniter se adstrinxit III. Nonas Octobris anni insequentis. Professor *Matheseos* ab anno MDCCV usque MDCCXV, nunc Superiorem agit ad Thaumaturgam Virginem *Plainensem*.

SCRIPTA.

Mundus Physico-Mathematicis quæstionibus elucidatus. Fol. min. 1713.

Num: CCCLXII.

P. PAULUS Stocker e S. Paulo.

Vitam, quam *Clagenfurti in Carinthia* anno MDCLXXIV hausit, ad monasticæ vitæ regulas sese attemperaturum promisit in Monasterio S. Pauli an-

no MDCXCI, ætatis decimo ſeptimo. Confeſſarius dein ad D. Virginem *Plainenſem* tradendæ *Philoſophiæ* ſe accinxit anno MDCCV, creatis ſequiori anno *Baccalaureis quadraginta ſeptem*, *Magiſtris* anno MDCCVII *viginti quinque*. Domum e ſcholis redux Superiorum juſſu in Dominio *Lembacenſi ac Fallenſi* rebus œconomicis Monaſterij S. Pauli conſuluit, ac etiamnum magna ſedulitate eaſdem curas proſequitur.

SCRIPTA.

Sapientia politica ſymbolica, hoc eſt, virtutes & ſymbola Cæſarum Auſtriacorum Theſibus philoſophicis & politicis explicata. Fol. 1707.
Theſes menſtruæ aliquot. 8vo.

Num: CCCLXIII.

P. PETRUS Hacker Cremiſanenſis.

FUit Profeſſor *Rhetorices* ab anno MDCLI uſque MDCLV, *Præfectus Scholarum* ab an: MDCLII uſq; MDCLVI. Prior exinde Cremiſanenſis Cœnobij pietate ac prudentia clariſſimus, poſtquam monaſticæ diſciplinæ diu noctuq; juxta S. Regulæ præſcriptum invigilaſſet, provexiſſetque, ad Deum laborum noſtrorum Remuneratorem evocatus eſt an: MDCLXXXVI pridie Nonas Maij.

Num: CCCLXIV.

P. PETRUS Wolgſchaffen e S. Petro.

PRofeſſor *Philoſophicorum* dogmatum anno MDCLXXVIII, ritu ſolenni inauguravit *Baccalaureos* anno MDCLXXIX, XVIII. Cal. Julij *triginta & unum*, *Magiſtros* anno MDCLXXX, IV. Nonas Septembris *viginti octo*. Bis præterea Superior ad D. Virginem *Plainenſem* ibidem animam efflavit anno MDCCXIII.

Num:

Num: CCCLXV.

P. PHILIBERTUS Utz Mellicensis.

FRanco *Bambergensis* monastica vota emisit Mellicij anno MDCXLIV sub Abbate *Valentino*, a quo etiam Salisburgum dimissus anno MDCLI *Matheseos*, ac insimul anno MDCLV, *Philosophiæ* Prælectiones suscepit. Promoti sunt ab eo *Baccalaurei* anno MDCLVI, VI. Idus Julij *triginta & unus*, *Magistri* anno MDCLVII, Idibus Octobris *viginti*. Præfectus tandem in *Leestorff* diem extremum habuit III. Idus Octob. anno MDCLXXX.

SCRIPTA.

Prometheus naturæ rationalis, sive Logica publicis & selectis thesibus exhibita. 4to. maj. 1656.

Basis structuræ Physicæ de principijs corporis naturalis. 4to. 1657.

Num: CCCLXVI.

P. PHILIPPUS Feische Benedicto-Buranus.

NAtus *Monachij* in Monasterio Burano ad S. Professionem admittitur anno MDCXVIII. Absolutis *Dilingæ studijs* Salisburgi *Eloquentiæ* regulas profiteri cœpit ab anno MDCXXIX usque MDCXXXI, quo domum a Superioribus redire jussus primo Prioris, ac tandem anno MDCXXXVIII, Abbatiale onus admisit, domi forisque strenuus & industrius, prout sepulchrale monumentum eidem a Successore *Amando* positum fusius enarrat. Obijt Præsul optimus XII. Cal. Novembris anno MDCLXI.

Abbas.

Num: CCCLXVII.

P. PLACIDUS Böcken e S. Petro.

DOctorali utriusque Juris Laurea anno MDCXV Promotore *D. Josepho Bonaventura Franz*, Jurium Salis-

Salisburgi Professore optimo, donatus in cathedra *Juris Canonici* successit *P. Benedicto Schmier* Monacho Ottoburano anno MDCCXXI, eoque munere hodie præclare fungitur.

SCRIPTA.

Liber IV Decretalium. 4to. 1722.
Liber II Decretalium. 4to. 1723.
Liber I. Decretalium. 4to. 1724.
Liber V. Decretalium. 4to. 1725.
Tractatus de Clero, seu de obligationibus, officiis, Beneficiis, & Juribus utriusque cleri ad part. 1. Libri III. Decretalium. 1728.

Num: CCCLXVIII.

P. PLACIDUS Bridler e S. Gallo.

Placidus *Episcopicellæ* Oppido *Turgojæ* natales suos de honestissimis Parentibus traxit an: MDCXIII Juvenis octodecim annorum in S. Galli Ascetèrio per religiosam Professionem Deo mancipatus continuo inter Philosophiæ & Theologiæ studia haud levia pietatis, prudentiæ, & scientiæ specimina dedit. Adepto proin anno MDCXXXVIII Sacerdotio, traditaque in Monasterio S. Theologia *Ingolstadium* a Superioribus dirigitur, ut Juri Canonico operam locaret. Verum, cum ejusdem loci aura minus arrideret, unacum *P. Gallo Alt*, qui postea S. Galli Principatum obtinuit, Romam se contulit, ut bene cœpta juris studia præpoliret, atque optimis artibus pectus suum impleret. Insignes itaque quosvis Doctores sectatus, ad quorum exemplum sedulo se conformabat, maximo conatu in id enisus est, ut ad solidam & elegantem jurisprudentiæ eruditionem perveniret. Quo optimo consilio cum in dies majora

in-

incrementa sumeret, ea omnia, quæ ad usum singularem atque eximium Ss. Canonum poterant conferre, feliciter exhaußt, nec inde, nisi adepta prius utriusque Juris Laurea, domum repetijt. Primos exquisitæ doctrinæ fructus *Rosacum* vidit eo omnium applausu, ut etiam Salisburgum *Placido* Academicum *Juris Canonici* hortum excolendum tradiderit anno MDCLI. Reversus inde anno MDCLIII ad Monasterium suum iterato Officialis munus suscepit, ac tandem in *Wilensi Turgoja Civitate* per XVII annos Vicarius in temporalibus apoplexia occubuit XVII. Cal. Octobris anno MDCLXXIX.

SCRIPTA.

Commentarius in universum fere jus Canonicum. MS.
Positiones de Deo Uno & Trino. 1638.
Disputatio juridica de clausulis rescriptorum. 1645.
Disputatio de vita & honestate Clericorum. 1648.

Num: CCCLXX.

P. PLACIDVS Buechauer Cremifanensis.

NAtus *Schongaviæ in Bojaria* anno MDCXI, solennia Deo vota dixit anno MDCXXXII. *Syntaxeos* scholæ primum admotus, anno MDCXLII *Philosophiæ* explanandæ operam locavit; ne vero cœptum feliciter Aristotelicum stadium percurreret, remoram injecerunt domi oblatæ dignitates. Renuntiatis proin anno MDCXLIII, Nonis Julij *Baccalaureis triginta septem* manum a tabula movit, pedumque Abbatiale capessijt anno MDCXLIV. *Vid. Cap. II. Libri hujus.*

Abbas.

SCRIPTA.

Theses Logicæ, 4to. 1643.

Num: CCCLXXI.

P. PLACIDUS Maderer Michaël-Buranus.

Abbas. MOdernus Michaël-Burani Cœnobij Abbas Salisburgi *Philosophiam* tradidit an: MDCC, proclamatis anno insequente III. Idus Julij *Baccalaureis quinquaginta*, artium *Magistris* anno MDCCII, III. Cal. Septembris *viginti duobus*. Plura videri possunt *Cap. IV*, quamquam jam ibidem, ne in præclarum illustrium virtutum campum excurreremus, reluctantem calamum viri modestia prohibuit.

Num: CCCLXXII.

P. PLACIDUS Mayrhauser e S. Petro.

ET hic humanas refugit laudes, sed vel exinde omnium elogijs dignissimus. *Philosophiæ* Professor anno MDCXCVIII. Calendis Julij consuetas laureas distribuit *Baccalaureis septuaginta septem*, *Magistris* anno MDCXCIX, III. Nonas Seprembris *viginti*. *Abbas electus.* Abbas electus anno MDCCIV tum Monasterio D. Petri, tum Universitati solerter ac prudenter hodiedum invigilat.

Num: CCCLXXIII.

P. PLACIDUS Rauber San-Blasianus.

R*Hetorices* Salisburgi Professor ab an: MDCXXIV usque MDCXXVI præcipue in adornandis comœdijs enituit, quarum ipsæ etiam periochæ in pretio sunt, ob styli, sententiarumque selectum. Ad Abbatiam porro Monasterij Schvvarzacensis evo-

evocatus eam prudentiæ ac solertiæ rationem præ-
setulit, ut dubites, plusne Monasterium Schvvarzacense Eidem debeat, an ille subdito gregi ob delatam infulam. Plura proloquitur Necrologium San-Blasianum, ubi hanc sibi memoriam vendicat. *Placidus ad gubernandum Monasterium Schvvarzacense ex D. Blasij Congregatione Anno MDCXL, die XVII. Augusti Abbas postulatur. Eum placida morum amabilitas, famosa humaniorum in Salisburgensi Universitate circa ejus initia docendorum exercitatio, ac gerendarum rerum in officio Cellarij Magni, & Laureacensis Administratoris, per varias in aulas Principum legationes comprobata prudentia eodem honore dignum extulerunt. In regimine iisdem dotibus pollens eventus varios expertus, eximius Deiparæ cultor in Ejus sacro Visitationis festo, pia defunctus morte cælos visitavit, secundo Julij Anno MDCLX.*

SCRIPTA.

Historia Thaumaturga Virginis Todtmosianæ. 8vo. *aliquoties excusa.*
Memorabilia S. Scripturæ. 8vo. *MS.*

Num: CCCLXXIV.

P. PLACIDUS Seiz Ettalensis.

FUit Professor *Rhetorices* ab anno MDCCII usque MDCCV, *Philosophiæ moralis ac Historiarum* ab an: MDCCVI usque MDCCIX, *Comicus* & *Præfectus scholarum* ab anno MDCCII usque MDCCVII, *Controversista* ab anno MDCCVI usque MDCCIX, quo potioribus eligentium votis Abbas salutatur. *Fit Abbas.* Eo in munere qualem se hucusque probarit omnibus, superius jam *Cap. III.* prosecuti fuimus, & olim sera posteritas uberius dilaudabit.

Num: CCCLXXV.

P. Pontianus Schüz Ottoburanus.

IN imperiali Civitate Wangensi XIV. Calend. Maij, anno MDCLVI, in lucem editus Benedictinum Ottoburæ institutum amplexus est VII. Idus Septembris anno MDCLXXIII. Tradita ibidem eloquentia, qua apprime comendatur, Rottvvilæ primum, Salisburgi dein *Philosophia* publice profitendæ insudavit anno MDCLXXXIX, dixitque *Baccalaureos* an: MDCXC. v. Cal. Julij *viginti sex*, *Magistros* an: MDCXCI, Nonis Septembris *viginti tres*. Superest etiamnum Pœnitentiarius ad D. Virginem *Elderensem*, quæ circa annum MCCCCLXVI sub *Wilhelmo* a Lustnau Abbate Ottoburano miraculis clarere cœpit.

SCRIPTA.

Ars expedita quacunque in Materia Dialectice & Rhetorice discurrendi. 8vo. 1691. III. Partes.
Philosophia Thomistica in tres partes divisa. 8vo. 1686.
Politia Helvetia triumphalis. 1703.

Num: CCCLXXVI.

P. RAYMUNDUS ex L.B. de Rehlingen Admont.

PRofessor *Philosophiæ* anno MDCXLIV, *Theologiæ moralis* ab anno MDCXLVIII usque MDCLI, dedit stagyræam lauream anno MDCXLV, III. Nonas Julij *Baccalaureis triginta septem*, *Magistris* an: MDCXLVI, Idibus Octobris *quindecim*. Expertæ hoc modo ejus scientiæ cum illustriores in dies virtutes accederent, tandem anno MDCLIX, Abbatiale Pedum capessijt, honore isto omnium, etiam exterorum calculo dignissimus. *Vide Cap. IV.*

Abb. u.

SCRIPTA.

Relatio logica. Fol. 1646.

Num.

Num: CCCLXXVII.

P. ROBERTUS König Garstensis.

GMundensis Austriacus vitam ingressus est anno MDCLVIII, religionem vero Benedictinam anno MDCLXXVI. Salisburgi *S. Canonum* Professor anno MDCLXXXV constitutus integro decennio clarissimum inter Juris Pontificij Doctores nomen obtinuit, maximoque semper auditorio fruebatur, eo quod facili adeo methodo juris titulos interpretaretur. Et quoniam ob longam rerum & jurium experientiam, qua summis quoque Principibus in pretio habebatur, non solum scholasticis exercitationibus, sed regimini quoque aptissimus apparebat, bis *Rectoris Magnifici* munus subijt, anno nimirum MDCCV, & MDCCXI usque ad annum MDCCXIII, quo apoplexia extinctus finem vivendi fecit VII. Calendas Septembris.

Rector Magnificus.

SCRIPTA.

Principia Juris Canonici universi. 4to. 1697. & aliàs.

Num: CCCLXXVIII.

P. ROBERTUS Waigel Garstensis.

ANtiqua ea est Universitatis nostræ consuetudo, ut, qui eam honorat, vicissim ab eadem honoretur, quique ibidem studijs navarunt operam, ante alios ad cathedras publicas promoveantur. Cum igitur *Robertus* anno MDCCXVIII religiosis Convictoribus associatus fuisset, nec vulgarem in eo diligentiam viderent omnes, *Philosophiæ* cathedra ei delata fuit, ex qua etiam *Baccalaureos* promovit anno MDCCXXV, XVI. Cal. Augusti *sexaginta*, *Magistros* anno MDCCXXVI, VI. Cal. Septembris *quadraginta*.

Num: CCCLXXIX.

P. ROMANUS Müller Seonensis.

PRofessor *Controversiarum* anno MDCXXVII, *Theologiæ moralis* anno MDCXXVI, *S. Scripturæ* anno MDCXXXIV, & MDCLV, *Procancellarius* ab anno MDCLVI usque MDCLXV, *Rector Magnificus* ab anno MDCXXXVIII usque MDCLII quantos labores ac vigilias Universitati consecrarit, nemo investigabit, sit satis, si eundem integris triginta octo annis strenuam Universitati operam locasse dicamus. Rhetor præterea ac encomiastes eximius inter communes reipublicæ literariæ curas aut e suggestu verba ad populum faciebat, aut subcisiva temporis spatia sacrarum rerum lectioni impendebat, dignus proin, quem Monasterium *Seonense* in ætate jam decrepita ad Abbatiale pedum evocarit. *Vide Cap. III.*

Rector Magnificus.

Abbas.

SCRIPTA.

Olor laureatus, sive explanatio in Canticum Simeonis 8vo.
Orationes sympatheticæ de Christo passo. 8vo. 1661.
Orationes Panegyricæ de S. Thoma. 8vo.
Orationes Marianæ.
Fasti Mariani de præcipuis festis B.V.M. & præcipuis ejus cultoribus. MS.
Historia Salisburgensis, opus imperfectum. MS.
Sententiæ selectæ ex Proverbijs Salomonis. MS.
Commentarius in utramque D. Petri Epistolam. MS.
Commentarius in primam Epistolam D. Pauli ad Corinthios. MS.
Item in Epistolam ad Galatas MS.
Quædam Conciones funebres typis excusæ. 4to.
Quadriga virtutum Fidei, Spei, & Charitatis moraliter explicata. MS.
Eucharistia catholice contra Hæreticos explanata. MS.
Ex Hispanico in latinum vertit, *P. Antonij Perezij Monachi Hispani Conciones trimestres,* 8vo. 1639.

Num:

Num: CCCLXXX.

P. ROMANUS Rauſcher Garſtenſis.

HAllæ in Tyroli anno MDCIV, in lucem editus habitum monaſticum induit anno MDCXXIV. Græcij dein ac Salisburgi emenſo ſtudiorum curriculo *philoſophicum ſtadium* Profeſſor ingreſſus eſt anno MDCXXXIV, avocatoque anno MDCXXXVII, VIII, Idus Junij ad Michaël-Buranam mitram *P. Michaële Trometer* Philoſophiæ tunc temporis Profeſſore, iterato explicandæ Philoſophiæ operam impendit, creatis ex eadem facultate *Baccalaureis* an: MDCXXXV *quadraginta quatuor*, *Magiſtris* an: MDCXXXVII
Abbas. & MDCXXXIX *triginta ſex*. Abbas electus Pridie Calendas Aprilis an: MDCXLII, poſtquam pro Deo, Patria, ac Monaſterio ſedulo laboraſſet, in ſenectute bona quievit IV. Idus Octobris an: MDCLXXXIII.

SCRIPTA.

Theoremata Logica. 4to. 1636.
Academica lucta pro natura. 4to. 1638.
Regio cæleſtis. 4to. 1639.
Concertatio de ortu & interitu rerum naturalium. 4to. 1639.
Anima peripatetice explicata. 4to. 1639.

Num: CCCLXXXI.

P. ROMANUS Sedelmayr San-Blaſianus.

PRimarius *Auctor & Collector hujus operis* in lucem prodijt *Mamendorffij* año elapſi Seculi ſeptuageſimo ſeptimo III. Nonas Februarij. A parentibus tum vitæ Chriſtianæ officijs, tum literis imbuendus *Monachium* amandatus a Patribus Societatis Jeſu, qui celebre ibi Gymnaſium tenent, primum in-

ingenij mentisq; cultum accepit. Cumque integro prope sexennio omnibus amœnum ac suave ingenium probasset, *Congregationi S. Blasij* per solennem votorum nuncupationem adlectus est pridie Calendas Octobris an: MDCXCVI. Hic egregios quosvis Professores nactus, eorum solida docendi ratione brevi ea doctrinæ cepit incrementa, ut Superioribus suis dignus videretur, qui in lucem Academiæ prodiret, atque altius industriæ quæreret theatrum. *Dilingam* itaque, quorsum unacum alijs confratribus suis a *D. Augustino* Abbate pijssimo directus fuerat, ubi pervenit, tum ad sacrata Theologiæ arcana, tum ad juris Pontificij peritiam vires animumq; contulit, nec prius domum redijt, quam publice defensis thesibus ingenij sui specimina exposuisset. Quæ causa fuit, ut primum domi juniorum Fratrum studijs, ac demum anno MDCCVIII Philosophicis prælectionibus Salisburgi præficeretur, concessis pro more Academicis honoribus *Baccalaureis* anno MDCCIX, Idibus Julij *septuaginta & uno*, *Magistris* an: MDCCX, Calendis Septembris *triginta quinque*. Philosophiam excepit *Ethices* & *Historiarum* cathedra ob Historiæ studium, quo ab ineunte ætate summopere delectabatur, illi gratissima: Hinc cum in decursu sæpius attenderet, quod Clarissimi Viri Prædecessores sui *P. Thomas Weiß* Neresheimensis, *P. Simon Rettenbacher* Cremifanensis, *P. Otto Aicher* e S. Vito cis Rhotam, Historiæ doctrinam non tantum declamarint e cathedra, verum etiam doctissimis scriptis vulgatisque typis illustrarint, eorum vestigia legere decrevit, in id unum solicitus, cuinam materiæ calamum admoveret. Diu sacrum inter & saxum, ut aliquoties nobis fatebatur, hæserat, diutius fortassis hæsurus, nisi sub initium añi MDCC-

XIV

XIV, officium Secretarij Academici eidem impositum fuisset: hoc namque munus quemadmodum ad acta Academiæ liberius lustranda viam apperuerat, ita quoque eruditis laboribus materiam præfigebat, Historiam videlicet Universitatis Salisburgensis. Aperuit proin mentem suam Reverendissimo Universitatis Præsidi; rogavit sensum illius, & si probaret consilium, scribendi licentiam. Quam acceptum id fuerit Reverendissimo D. Præsidi testantur ejus literæ, in quibus hæc reperimus: *Probo & laudo omnino quod Adm: Reverenda Paternitas vestra se totam velit impendere conscribendæ Universitatis Historiæ, quod opus non minus honorificum erit suo auctori, quam almæ Universitati nostræ gloriosum & necessarium. Non pœniteat igitur ullius laboris: Debitam mercedem non denegabit grata Universitas, de qua hoc scribendi genere optime mereri voluit.* Hujus aliorumque DD. Præsulum literis & hortatu plurimum animatus optimam laborum suorum occasionem sibi obvenisse credebat, ubi ad *S. Blasium*, locum studijs aptissimum, redeundum fuisset. Verum, cum *Historiam Academicam*, quam nos necessitate ita cogente in paucas pagellas contraximus, quinque libris *Historico-politico-Genealogicis* prelo parare meditaretur, demum ab omnibus pene, quorum literis & auxilio juvari debuerat, destitutus, ipsoque labore in condendis Nobilium Genealogijs, describendis illustrium Academicorum gestis & libris, enarrandis thesibus, & disputationibus &c. propemodum oppressus, nunquam ea documenta ab exteris impetrare potuit, quæ tantæ molis opus exigere videbatur: Varijs præterea domi susceptis officijs, ac tandem diuturna hectica præpeditus prius finem vivendi fecit, quam *Historiæ Academicæ* vel primam manum apponeret. Obijt

Historiā Universitatis nostra conscribere cogitat.

vir

vir eximius, ac studiorum nostrorum quondam moderator, anno MDCCXXII decimo sexto Calendas Februarij, sepultus in Ecclesia Cellæ *Wislighofensis*, quorsum infirma jam valetudine a superioribus destinatus fuerat, ut ejusdem loci œconomicam ageret curam.

SCRIPTA.

Integer Liber Concionum. MS.
Refutatio D. Bezerini. MS.
Officium S. Blasij unacum Lytanijs. 12. 1708.
Philosophus Porphyrius quinque numerans Universalia, ubi etiam Gentis Harrachianæ Origines. Fol. 1711.

Num: CCCLXXXII.

P. ROMANUS Steger Rottensis.

NAtus in Tyroli anno MDC, emissis monasticis votis id quod factu optimum elegit an: MDCXIX. Absolutis postea *Ingolstadij* altioribus literis Salisburgi *Philosophica* præcepta profiteri cœpit anno MDCXXXVII, dixitque *Baccalaureos* anno MDCXXXVIII *viginti sex*, *Magistros* an: MDCXXXIX *octodecim*. *Constantia pro fide.* Altero abhinc anno a Succis in captivitatem ductus, cum Ei copiarum Duces libertatem adpromitterent, si adjurata fide catholica Lutheranam sectam amplecteretur, millies potius vitam sanguinemque pro avita Religione fundere se paratum respondit, quam Romanam Ecclesiam deserere. Placuit hæc Christiana fortitudo Supremo exercitus Duci, generosumque hominis animum dilaudans liberum dimisit anno MDCXLI. *Abbas digitur.* Remuneravit & cœlum *Romani* constantiam eodem adhuc año Abbatiali mitra, quam III. Idus Decembris communi

ag-

aggratulatione susceptam, pari omnium mœrore iterum deposuit anno MDCLXI, defunctus anno MDCLXIX.

SCRIPTA.

Disputatio de corporum naturalium principijs & causis. 4to. 1639.
Disputatio de præcipuis corporum naturalium ornamentis, 4to. 1639.

Num: CCCLXXXIII.

P. ROMUALDUS Dreyer Ettalensis.

PRofessor *Philosophiæ* anno MDCCXV, *Controversiarum* anno MDCCXIX, contulit Academicos honores *Baccalaureis* anno MDCCXVI, XII. Cal. Augusti *centum & duobus*, *Magistris* anno MDCCXVII *quadraginta septem*. Commoratur nunc in Monasterio *Ettalensi*, ubi in illustri Collegio Nobilium Philosophiæ præcepta explanat.

SCRIPTA.

Tractatus quinquepartitus de generatione. 4to. 1717.
Tractatus Metaphysicus tripartitus de Ente. 4to. 1717.
Theses Menstruæ aliquot. 8vo.

Num: CCCLXXXIV.

P. RUDOLPHUS Wiser e S. Lamberto.

RUdolphus in Superiori Styria honestis parentibus procreatus a puero pietati simul ac bonis literis operam navavit. Deinde de vita sanctius ac pie traducenda serio cogitans Monachum professus est anno MDCXLI. Exculta hoc modo & anima religiosis virtutibus, & ingenio scientijs, quæ virum decebant, tradidit Salisburgi *Philosophiam* anno MDCXLIX, propositis *Baccalaureis* an: MDCL Pridie Nonas Julij *viginti duobus*, *Magistris* an: MDCLI,

VI. Idus Octobris *viginti tribus.* Obijt vir mitra Abbatiali dignissimus in Præpositura *Assentina* III. Cal. Augusti, anno MDCLXVII.

SCRIPTA.

De auditu physico. 4to. 1651.
De Cœlis. 4to. 1651.
De Generatione & corruptione. 4to. 1651.
De Anima. 4to. 1651.

Num: CCCLXXXV.

P. RUPERTUS Kimpfler Cremisanensis.

PRima post Tyrocinium Benedictinæ militiæ stipendia fecit *Cremisanij* Pridie Cal. Decembris, anno MDCLV. Et quoniam liberale ac elegans ingenium vario scientiarum apparatu, ac præprimis juris peritia percoluit, *Ss. Canones* ab an: MDCLXXIII *Abbas.* usque MDCLXXVIII publice interpretatus est. Abbas ad Monasterium Glunicense postulatur anno MDCLXXVIII. *Vide Cap. II.*

SCRIPTA.

Disputatio juridica de consuetudine, ejusdemque præcipuis in utroq; jure & foro effectibus. 4to. 1675.

Num: CCCLXXXVI.

P. RUPERTUS Stockhamer e S. Petro.

FUit Professor *eloquentiæ* anno MDCLXXII.

Num: CCCLXXXVII.

P.SEBASTIANUS Mayrlechner Cremisanensis.

MUndum ingressus est *Welsij* Superioris Austriæ Civitate an: MDCLXXXVI, iterumq; per monastica vota deseruit anno MDCCIII. Exin, ubi felix,

lix, quod naturæ beneficio acceperat ingenium, studia perpolivissent, in *Gracensi* & nostra Universitate solertem a juvene culta, Salisburgi *Philosophiam* frequentibus auditoribus explanavit, e quibus etiam pro doctrinæ merito dixit *Baccalaureos* anno MDCCXX, IV. Idus Julij *octoginta septem*, *Magistros* anno MDCCXXI, Calendis Septembris *quinquaginta duos*. Prior hodie Cremifanensis Monasterij munere suo laudabilissime fungitur.

SCRIPTA.

Apparatus Philosophicus succo prudentiæ, sive reflexionibus moralibus illustratus. 4to. maj. 1721.

Num: CCCLXXXVIII.

P. SEBASTIANUS Röhr Ottoburanus.

Ottoburæ Deo mancipatus anno MDCXIII, Salisburgi ter docendæ *Philosophiæ* admovetur, anno nimirum MDCXIX, MDCXX, & MDCXXIV, *Theologiæ speculativæ* anno MDCXXVII, *Morali* anno MDCXXI, *Controversijs Fidei* ab an: MDCXXXII usq; MDCXLIII, quo ad Monasterium redux tum conscribendis libris asceticis, tum animarum curæ totum se impendit, donec in *Benningensi* Parochia peste laborantibus diu noctuque subveniendo ipsemet lue infectus occubuit XIII. Cal. Octobris, anno MDCL. Vitam ejus vere religiosam pluribus descripsit *P. Albertus Krez* Ottoburanus Prior *in præfat. ad Ejusdem opuscula sacra posthuma* qui proin consuli poterit. Promoti sunt ab eo primi *Baccalaurei* anno MDCXXII, Nonis Novembris *triginta quatuor* & anno MDCXXV, IV. Idus Julij *viginti*. *Magistri* duobus promotionibus *viginti duo*: *Doctores* Theologiæ aliquot.

SCRIPTA.

Theses selecta & Theoremata varia, quibus totam fere Philosophiam complexus est. 4to. 1621. 1623. 1626. 1627. & 1635.
Fatum liberum, seu Prædestinatio a Deo gratuita, ex medijs certa, in homine libera. 8vo. 1632.
Tractatus de jure & potestate Prioris claustralis. 8vo. 1683.
De exercitio & occupatione Monachorum privata. MS.
De jure publice docendi Monachorum S. Benedicti. MS.
Exercitia spiritualia. MS.
De Perfectionibus divinis. MS.
De S. Angelo custode. MS.
De S. Eucharistia. MS.
De medijs sese ad Deum vere convertendi & proficiendi. MS.
De fiducia habenda in Deo pracipue in agone. MS.
Liber de obligatione recitandi psalmos Graduales, Pœnitentiales, officium Defunctorum, & B. M. V. extra chorum. MS.
De exercitio præsentia divina. 8vo. 1683.
De fiducia in Deum & diffidentia. 8vo. 1683.
De frequenti relapsu. 8. 1683.
De Tristitia. MS.
De Peccatis venialibus. MS.

Num: CCCLXXXIX.

P. SEBASTIANUS Rottmayr Garstensis.

SEbastianus in seculo juris præprimis peritia docile a natura ingenium imbuit, ac diutius mundo & Archi-duci in aula servivit, donec certiorem e privata Monachorum cella, quam aula, ad cœlum viam esse animadvertens, sueta Monasticorum votorum sponsione Deo & Monasterio *Garstensi* se devinxit v. Idus Novembris, anno MDCXXIX, ætatis trigesimo. Cum igitur *P. Andreæ Vogt Ss. Canonum* Professori pedum Ottoburanum oblatum fuisset, Eidem in ju-

juris Canonici cathedra successit an: MDCXXIX, quam etiam provinciam unacum *Procancellarij* munere usq; ad annum MDCXXXVI, egregie quidem sustinuit, nullum tamen scriptionis genus, licet ingenio ad omnia summo & excellenti valeret, aggressus est, ex quo fama & plausus in auctorem redundaret. Prior *Garstensis* Monasterij mortalitatem exuit VI. Nonas Maij, anno MDCXL.

Num: CCCXC.

P. SEBASTIANUS Textor Ottoburanus.

NAtus *Mindelhemij* anno MDCLVIII, Ottoburæ S. Professionis votum posuit an: MDCLXXIV. Salisburgi *Regens Convictus* anno MDCXC, Professor *Controversiarum* an: MDCCXV, *S. Scripturæ* an: MDCC, scholasticorum laborum complementum fecit in *Procancellarij* munere ab an: MDCCVI usq; MDCCIX: Pater quoque spiritualis Celsissimi Principis & Archi-Episcopi Salisburgensis *Joannis Ernesti*, demum ad illustre Monasterium *Albæ Dominarum* in Ducatu *Badensi* pro Confessario expetitur; unde cum sanitatis recuperandæ gratia in *Gengenbacense* Ordinis nostri Monasterium se contulisset, ibidem animam efflavit Calendis Septembris MDCCXXII.

SCRIPTA.

Trias Panegyrico-moralis. Fol. 1701.
Concionator extraordinarius. Fol. 1713.
Conciones Dominicales. Fol. 1725. & alia.

Num: CCCXCI.

P. SEVERINUS Blass Lambacensis.

PRæfuit *Philosophicis* prælectionibus anno MDCLXXVII, promotis anno insequente pridie Nonas Ju-

Abbas. Julij *Baccalaureis quinquaginta tribus.* Ne vero ultra progrederetur, prohibuere Abbatiales curæ, quas eidem commiserunt *Lambacenses* pridie Nonas Novembris, anno MDCLXXVIII. *Vide Cap. II.*

Num: CCCXCII.

P. SIMON Firbas Schyrensis.

VIr in rebus philosophicis acutissimus, postquam intra Monasterij latebras præter divinarum scripturarum cognitionem Philosophorum dogmata sedulus excussisset, ter *Aristotelem* in *Juvaviensi* cathedra explicavit, anno videlicet MDCXXVIII, MDCXXX, & MDCXXXII, quibus trina promotione renuntiavit *Baccalaureos centum & tres*, *Magistros septuaginta sex.* Obijt acuta febri anno MDCXXXIX.

SCRIPTA.

Pronuntiata Logica. 4to. 1629.
Pronuntiata de anima. 4to. 1630.
Pronuntiata de natura cœlesti. 4to. 1630.
Pronuntiata de natura generabili & corruptibili. 4to. 1630.
Pronuntiata de natura animæ. 4to. 1630.
Fragmenta peripatetica. 4to. 1632.
Syntagmata ex organo Aristotelis. 4to. 1634.
Syntagmata de natura generationis, corruptionis, alterationis, & accretionis. 4to. 1634.
Decreta peripatetica de loco, vacuo, & pleno. 4to. 1634.
Nucleus peripatetice enucleatus. 4to. 1634.

Num: CCCXCIII.

P. SIMON Grab Wiblingensis.

MOnachis *Wiblingensibus* per sacra vota anno MDCXI adscriptus primus Salisburgi *Mathe-*

sin

fin aperuit anno MDCXXI. Agit de eo *Templum honoris*, quod *P. Menradus Heüchlinger* Wiblingensium Prior meritissimus anno MDCCII typis edidit, *Sac. VI. Cap. V.* ubi hæc pauca legimus. *P. Simon Grab Monachus Wiblingensis perfunctus multis laboribus & missionibus diversis in locis, præcipue in Carinthia tandem in Helvetia, ubi ultimo Philosophiam tradebat, in Monasterio Engelbergensi vivere desijt 28. Decembris 1636. Vir plane doctissimus, Chymicus, Mathematicus, & Oeconomus excellens.*

SCRIPTA.

De componendis cantibus Lib. I, MS.
De Architectura Lib. I, MS.
Et alia itidem MS.

Num: CCCXCIV.

P. SIMON Rebiser Lunælacensis.

NAtione *Landspergensis Bojus Philosophiam* docuit an: MDCXLVII, proclamatis ritu solenni *Baccalaureis* anno MDCXLVIII Calendis Julij *triginta tribus*, *Magistris* anno MDCXLIX, III. Idus Octobris
Abbas. *viginti novem.* In Abbatem electus XVIII. Calendas Septembris, anno MDCLII, postquam inter asperrima quæquæ ob rusticorum rebellionem tempora magna prudentia & dexteritate præfuisset, æternitatem adijt IV. Calendas Junij, anno MDCLXVIII.

SCRIPTA.

Palestra Logica. 8. 1648.
Discors concordia principiorum atque causarum naturalium. 8vo. 1649.
Antilegomina corporis simplicis & mixti. 8vo. 1649.
Proprietates corporis naturalis. 8vo. 1649.
Imperium animæ. 8. 1649.
Vita & miracula S. Wolfgangi. 8vo. 1655.
Commentarij in I. & II. Epistolam S. Pauli ad Corinthios MS.
Integrum opus Concionum. MS. Num:

Num: cccxcv.

P. SIMON Rettenpacher Cremifanensis.

NAtus est Salisburgi anno MDCXXXVI. Monachum postea professus *Cremifanij* in Salisburgensi Universitate *Ethicum & Historicum*, anno MDCLXXI, domi Bibliothecarium, foris autem parochum pro domo Dei zelosum sese exhibuit. Fatis cessit vir in comicis & Historicis felix, multarumque linguarum guarus VI. Idus Maij, anno MDCCVI.

SCRIPTA.

Annales Monasterij Cremifanensis. Fol. 1677.

Tuba Evangelica. 4to. 1688.

Sacrum connubium, sive Theandri & Leucothoës sancti amores 1700.

Ludicra & satyrica sub nomine Misenis Erithraei.

Odarum. Lib. V. MS.

Epodon. Lib. I. MS.

Sylvarum. Lib. XII. MS.

Consilia sapientiae, seu epitome axiomatum Salomonis. 1682. e Gallico versa.

Compendium Politiae Domini Rebecquij. e Gallico.

Vera Politia illustrium virorum. e Gallico.

Institutio nobilis juvenis, seu Idea praeclari Viri D. de Chetardye. e Gallico.

Sapiens in suo secessu, ex Hispanico in latinum translatus.

Et alia quaedam MSS.

Num: cccxcvi.

P. SYMPERTUS Berckmüller e S. Udalrico.

SYmpertus strictioris disciplinae toto vitae cursu observantissimus *Logicam*, quam anno MDCXXI, non sine applausu coeperat, iterum dimisit anno MDCXXI, nec ullis amicorum precibus adduci potuit,

tuit, ut publicas cathedras porro illustrare pergeret. Domum itaque reversus majoris, ut dictitabat, perfectionis studio Ordinem S. Francisci suscepit, in quo etiam reliquos vitæ dies religiose transegit.

SCRIPTA.

Quæsita Logica. 4to. 1622.

Num: CCCXCVII.

P. SYMPERTUS Reitter Andecensis.

BAvarus ex *Urbe Landspergensi* Monachum in Monte sancto induit anno MDCLXII, Calendis Novembris. Salisburgi *Philosophiæ* Professor anno MDCLXXIV, domi vero Prior laudatissimus omnem fere vitam non sine maximo pœnitentium fructu & solatio in S. Tribunali consumpsit, consumptus & ipse anno MDCCXI. Promovit *Baccalaureos* anno MDCLXXV, VI. Nonas Julij *viginti novem*, *Magistros* anno MDCLXXVI pridie Idus Octobris *viginti quinque*.

SCRIPTA.

Controversiæ Philosophicæ. 8vo. 1676.

Num: CCCXCVIII.

P. SYMPERTUS Vischer e S. Udalrico & Afra.

EGit Salisburgi *Præfectum scholarum* an: MDCXLII, *Mathematicum* anno eodem, *Ethicum & Historicum* ab anno MDCXLIII usque MDCL, *Philosophum* anno MDCXLV, quo tempore impertijt Academicos honores *Bacalaureis* anno MDCXLVI, V. Idus Julij *viginti septem*, *Magistris* anno MDCXLVII, Idibus Oc-

tobris *quindecim.* Prior postmodum ac primus Præpositus restituti in Palatinatu Monasterij *Liezheimensis*, jejunijs, vigilijs, precationibus, corporisque macerationibus, boni & optimi Ascetæ speculum sese exhibere non destitit, donec ipsi mors, quam anno MDCLXVI, VIII. Idus Julij pijssime, uti semper vixerat, oppetijt, finem indixit. Uberiora videri possunt apud P. Corbinianum Kham *Part. III. Regul: Hierarch: August: Cap.* I. *Sect.* XXXVIII.

SCRIPTA.

Trismegistus Philosophiæ moralis. 4to. 1646.
Judicium Logicum de enuntiatione & sylogismo. 4to. 1646.
Bilanx philosophica arte & marte librata. Fol. 1647.
Orbita Philosophiæ naturalis peripatetice versata. 4to. 1647.
Panoplia Philosophiæ peripateticæ authoritate & ratione instructa. 12. 1647. & alia plura.

Num: CCCXCIX.

P. SYLVANUS Herzog Ottoburanus.

Primus Gymnasij Rector. E Priore Ottoburani Asceterij, ipsius Celsissimi Archi-Episcopi *Marci Sittici* interventu, primus aperti Salisburgi Gymnasij *Rector* futuræ Universitati Fundamentum posuit: merito proin inter Academicos Professores locum obtinet, utpote cujus industria prima scholarum statuta concinnata, studiorumque forma Salisburgum introducta fuit. *Fit Abbas Fultenbacensis.* Promotus postea anno MDCXXVI ad Abbatiam Fultenbacensem, eandem elapso decennio denuo resignavit. Obijt magno devotionis sensu an: MDCLV.

Num: CCCC.

P. THOMAS Marianus e Congreg. Cassinensi.

Virum hunc in Monasterio S. Martini *de Scalis* O. S. B. *Panormi* professum, sub initium Universitatis *Juvaviensis* in Germaniam direxit *D. Gratianus*

Trett-

Trettsim Abbas & Præsidens Congregationis Benedictino- Cassinensis, quæ sub titulo S. Justinæ *de Padua* anno MCCCCXX circiter nata, anno MDIV Cassinensis dici cœpit, hodieque sexaginta propemodum Monasteria complectitur. In hac florentissima Congregatione tum *Romæ* ad S. Paulum, tum alibi per integros quatuordecim años Ss. Theologiæ Professor emeritus *Thomas* noster, anno MDCXXII *Salisburgum* venit opera & interventu *D. Constantini Cajetani* Abbatis S. Baronti, Viri de Ordine Benedictino & re literaria optime meriti, quique suis Epistolis Abbates plurimos ad suscipiendas Salisburgenses scholas vehementer non semel adhortatus fuit. Cum igitur solenni pompa Universitas Salisburgensis aperiretur, Ipse ceu *Procancellarius* orationem inauguralem peregit: Primus præterea *Ss. Theologiæ* anno eodem, & *S. Canonum* anno MDCXXIV Professor doctissimi viri elogium ab omnibus tulit; hinc & ipsa Universitas *Patavina*, in qua Juris Lauream consecutus fuerat, in literis ad Universitatem nostram datis fatebatur, *Eum in rigoroso examine talem se gessisse, ut non Marianus, sed Abbas Panormitanus, omnium Canonistarum Pater & Magister cunctis visus fuerit.* Optime hoc modo de Universitate meritus *Thomas* iterum in Italiam se recepit anno MDCXXVII.

Primus Procancellarius.

SCRIPTA.

Contemplatio theologica de prima Dei perfectione. 4to. 1626. & alia.

Num: CCCCI.

P. THOMAS Ringmayr Wessofontanus.

PRofessor *Philosophiæ* anno MDCXXVI, *Theologiæ* ab anno MDCXXVIII usque MDCXLVII, *S. Scripturæ* ab anno MDCXLVII usq; MDCLII, dedit Aca-

demica insignia *Baccalaureis* an: MDCXXVII, IV. Calendas Septembris *sedecim*, *Magistris* sequiori anno VI. Idus Novembris *quindecim*, *Doctoribus* S. Theologiæ aliquot. Obijt Salisburgi inter scholasticos sudores Idibus Novembris, anno MDCLII ætatis quinquagesimo quarto, sepultus non sine singulari Salisburgensium Musarum luctu in *Monte Monialium.*

SCRIPTA.

Disputatio (titulum hunc omnibus suis Opusculis præfixit)
De definitione. 4to. 1627.
De principijs & causis. 4to. 2628.
De præcipuis difficultatibus philosophicis. 4to. 1628.
De pœnitentia. 4to. 1630.
De meritis bonorum Operum. 4to. 1634.
De Ss. Trinitatis mysterio. 4. 1636.
De Augustissimo Missæ sacrificio. 4to. 1640.
De vitijs & peccatis. 4to. 1646.
De Gratia & peccato primi hominis. 4to. med. 1649.
Verbi Dei incarnati mysterium. 4. 1647.

Num: CCCCII.

P. THOMAS Weiss Neresheimensis.

THomas variarum linguarum peritia ac eruditione clarissimus, *Eloquentiam* anno MDCXXVI & MDCXXXI, *Mathesin* an: MDCXXXIX & MDCXXXIII, *Ethicam* denique anno MDCXXX, academicos Auditores erudivit magno ubique sui desiderio, præcipue cum doctissimis comœdijs theatra animaret, spectatorumque oculos & ora raperet. Fatis cessit in celeberrimo Ordinis Cisterciensis Monasterio *Campililiorum* (vulgo *Lilienfeld*) anno MDCLI, VI. Calendas Septembris, tumulo illatus ibidem.

Scri-

SCRIPTA.

Dedicatio Basilicæ Metropolitanæ Salisburgensis. 1628.
Diva Virgo Cellensis. 1637.
Chronicon generale O. S. B. a P. Antonio Yepes Monacho Monserratensi lingua Hispanica conscriptum, quod dein Thomas noster latinitate donavit. Fol. 1648. Tom. II.
Cæremoniale monasticum Congregationis Hispanicæ ex Hispanico in Latinum versum. 1640.
Dramata, orationes, carmina varia &c. MSS.

Num: CCCCIII.

P. TUTILO Gebel e S. Gallo.

MOnasticen professus anno MDCXXXII, *Dolæ* celebri *Burgundiæ* Academia utriusq; Juris doctoralia insignia recepit, unde ad S. Gallum redux inter domesticas scholas vitam duxit, donec an: MDCLVII ad Salisburgensem *Juris Pontificij* cathedram evocari meruit. Verum cum continuæ infirmi corporis molestiæ *Tutilonem* affligerent, anno MDCLX domum remeavit, ubi tantisper restitutis viribus *Ebringensi in Brisgoja* Dynastiæ præficitur, quod muneris diuturno tempore egregie gessit, defunctus *Rosaci* anno MDCLXXX Idibus Septembris.

Num: CCCCIV.

P. UDALRICUS Freiberger e S. Petro.

PRofessor *Philosophiæ* anno MDCXLIII, *Theologiæ moralis* anno MDCLI, *Polemicæ* MDCLIX, *S. Scripturæ* anno MDCLXIV, proposuit Artium Liberalium *Baccalaureos* anno MDCXLIV, x. Calendas Julij *viginti*

viginti septem, *Magistros* anno MDCXLV, v. Idus Octobris *octodecim*. Prior aliquamdiu Monasterij S. Petri obijt anno ----

SCRIPTA:

Logica in pugno exposita pugna. 4to. 1644.

Disputatio de motu. 4to. 1645. *De cœlo.* 4to. 1645. *De ortu & interitu.* 4to. 1645. *De anima in genere & specie.* 4to. 1645.

Disputatio de obligatione Legum in foro conscientiæ. 4to. 1654.

Num: CCCCV.

P. UDALRICUS Schwaiger Tegernseensis.

Abbas. Docuit *Rhetoricam* anno MDCXXXV. Abbas electus anno insequente humilitatem ac misericordiam semper & ubique præsetulit, ut qui dicere solebat, *si nos religiosi non sumus misericordes, quis demum misericors & benignus erit*: Quare ab eo etiam fundatæ sunt illæ eleëmosynæ, quas in die omnium fidelium Defunctorum hucusque pauperibus distribuere consuevit Monasterium Tegernseense. Plura videri possunt *Cap. III.*

Num: CCCCVI.

P. UDISCALCUS Hueber Seittenstettensis.

Literas, quas unacum vita *Salisburgi* hauserat, ibidem denuo divendidit in cathedra *Philosophica*, promotis ex ea Facultate *Baccalaureis* an: MDCCXI Calendis Augusti *quadraginta novem*, *Magistris* anno MDCCXII pridie Calendas Septembris *viginti octo*. Vir sobrie ac pie doctus etiamnum inter mortales commoratur.

SCRIPTA.

Doctrina antiquorum Philosophorum ad mentem Aristotelis examinata, cum reflexionibus historicis. 4to maj. 1712.

Theses menstruæ aliquot. 8vo.

Num:

Num: CCCCVII.

P. VIRGILIUS Faber Garstensis.

PRimam lucem vidit propeMonasterium Admontense anno MDCLVII. Suscepto dein an: MDCLXXV Calendis Novembris Ordine D. Benedicti, Salisburgi *Theologiam moralem* publice tradidit ab anno MDCXCI usque MDCXCV, simulque Theologiæ insignia impertijt *P. Ludovico Babenstueber, & P. Romualdo Haimblinger* Monachis Ettalensibus. Obijt anno MDCCIV pridie Idus Julij.

SCRIPTA.

Malum granatum, seu Liber de miraculis B. V. Plainensis.

Num: CCCCVIII.

P. VIRGILIUS Guggenberger e S. Petro.

PEr sexennium propemodum inferiorum scholarum Professor *Rhetoricam* explanandam suscepit ab anno MDCLVIII usque MDCLXIV, quo tempore simul etiam *Præfecti scholarum* vices gnaviter subijt.

Num: CCCCIX.

P. VIRGILIUS Kleinmayr Garstensis.

VItam ei dedit *Salisburgum* anno MDCXCI, III: Idus Septembris; nec alibi scientiæ latices hausit, quam in Academia Patria. Ut ergo eo in loco, ubi ipse in virum excrevit, studiosam juventutem ad similia exempla alliceret, *Rhetorices* schola unacum *Comici & Præfecti scholarum* officio ei demandata est anno MDCCXXV, idque muneris strenue & solerter usque MDCCXXVII sustinuit.

Num

Num: cccc x.

P. VIRGILIUS Leüthner e S. Petro.

PRofessor *Philosophicorum* dogmatum an: MDCC-VII, *Baccalaureatus* honores decrevit an: MDCC-VIII, XVI. Calendas Augusti *octoginta*. Evocato dein ad initium anni MDCCIX *D. Placido Seiz* ad Ettalensem Abbatiam, dimissa Philosophia eidem in cathedra *Controversiarum Fidei* successit, quam etiam anno MDCCX cum *Theologia morali* commutavit. Agit nunc sedulum animarum Pastorem in Parochia Abbatis- augiensi.

Num: ccccxi.

P. VITUS Kaltenkrauter e S. Petro.

FUit Professor *Rhetorices* an: MDCLXXV, *Praefectus scholarum* ab an: MDCLXXVI usq; MDCXCI.

Num: ccccxii.

P. VOLPERTUS Mozel Schyrensis.

SAlisburgi nobilibus parentibus procreatus ab ineunte ætate studijs aptissimum animum vario scientiarum genere nobiliorem reddidit. Vix tamen haustam doctrinam anno MDCLXXVI inter *Rhetorices* penetralia, anno vero MDCLXXVIII, in *Juris Canonici* cathedra diffundere cœperat, jam in ipso ætatis flore, maximaque omnium spe mors ad tumulum abripuit an: MDCLXXIX, pridie Nonas Aprilis. Successit ei *P. Cælestinus Sfondratus* San-Gallensis.

Num:

Num: CCCCXIII.

D. Urbanus Stephanuzius Medicus.

NAtione Jtalus *Medicarum institutionum* prælectiones auſpicatus eſt anno MDCLVI, quas nihilominus paucis poſt annis in Patriam rediens iterum deſtituit. Vacua manſit ab ejus diſceſſu Medicorum ſchola; ſed ſint Mœcenates, inquit Martialis, nec deerunt Flave Marones: aſſignentur minervalia, & aderunt Æſculapij & Galeni, quorum ductu continuo Medicorum pulpita ſtrepent.

Num: CCCCXIV.

P. WILIBALDUS Lendlin Ochſenhuſanus.

WIlibaldus, cui *Riedlinga* Sueviæ oppidum anno MDXCIX vitam hanc mortalem tribuit, inter Philoſophicas ſpinas pleramque ætatem conſummavit; neque enim domi ſolum ter quaterve, ſed & Salisburgi anno MDCXLI *Philoſophiam* docuit, ubi ab eodem *Baccalaureatus* Gradu condecorati fuerunt anno MDCXLII, VIII. Idus Julij *triginta*, *Magiſterij* anno MDCXLIII, pridie Idus Octobris *viginti novem*. Exin domum redire juſſus iterato ibidem ſcholas adijt, *Scalamque ex ter denis humilitatis gradibus conſtructam* typis edidit. Defenderunt eam publice octodecim Fratres ex octo Monaſterijs Ochſenhuſij congregati, quorum non pauci poſtea Abbatiales honores acceperunt. Conſumptus itaque diuturnis laboribus obijt IX. Calendas Novembris, anno MDCLXXIV.

SCRIPTA.

Antitheses seu naturales dubitationes pro formando Physico Tyrone titubante. 4to. 1643.
Macrocosmi lis & pax, seu antitheta de mundo disputabili. 4to. 1643.
Theses ex universa Philosophia. 4to. 1643.
Scala Logica ex ter denis humilitatis gradibus constructa. 1657.
Radij Solares Philosophici. 1658.

Num: CCCCXV.

P. WOLFGANGUS Rinsvveger Tegernseensis.

Fit Abbas Michaëlfeldensis. PRofessor *Rhetorices* ab anno MDCLXXXIX usq; MDCXCVIII, ad Abbatiam Michaëlfeldensem in Palatinatu evectus est anno MDCCVII. Præfuit utilissime Monasterio sibi commisso usque ad annum MDCCXXII, quo animam suam Creatori reddidit ætatis sexagesimo quarto. Eum *P. Bernardus Pez* inter Scriptores elapsi Seculi ponit, quæ autem scripserit, nobis incompertum est.

Supplementum. (*)

Num: CCCCXVI.

P. BENEDICTUS Franck Tegernseensis.

CEleberrimum Tegernseense Cœnobium, quod varios Professores viros non minus doctos quam probos hucusque Universitati nostræ dedit, postliminio Benedictum submisit Rhetorem & Encomiasten divini Verbi plane egregium. Admotus is anno MDCCXXV, infimæ Rudimentistarum scholæ mag-

[a] *Viros duos sequentes supra per Typographi incuriam prætermissos, hic in fine citra eorum præjudicium annectere placuit.*

magnis continuo passibus eo contendit, ut *Rhetorices* Professor ac *Scholarum Præfectus* renuntiatus fuerit anno MDCCXXVII, utroque munere, imo majoribus, si spectatam Viri doctrinam intuearis, aptus dignissimusque.

Num: CCCCXVI.

P. BONIFACIUS Sänftel Nideraltachensis.

VIr diverso scientiarum apparatu probe excultus prima maximaque earumdem fundamenta in Convictu Salisburgensi ponere cœpit anno MDCCXV. Exin *Philosophicis* cathedris præesse jussus suetos Academicos honores impertijt *Baccalaureis* anno MDCCXXVII, idibus Julij *septuaginta* & *uno*, *Magistris* anno insequente III. Calendas Septembris *triginta quatuor*. Eum ob præclaras animi dotes & singularem industriam ad initium anni scholastici novis cathedris admittendum ex amicorum literis accepimus.

SCRIPTA.

Utile Philosophicum, seu de quatuor causis. 8vo. 1724.

Natura tam in se, quam cum arte æmula sua, & in auctore suo, item in varijs mirabilibus, ac demum in defectibus & monstris per disquisitionem philosophicam considerata. 4to. 1728.



CAPUT VIII.

De Præfecto Scholarum,

nec non Humaniorum Literarum Professoribus.

PRofessoribus Academicis superius enarratis inferiorum scholarum Magistros ac Professores hic adjungimus: Sunt & inter illos magna nomina, virique literis clari, quorum non paucos capite præcedente descripsimus, reliquos sequens syllabus dabit. Id solum dolemus, quod pauca admodum in documentis nostris de ijs annotata invenerimus. Addidimus proin, ubi facile rescire potuimus, monumenta ingenij, Abbatiales dignitates, annumque obitus; Eos vero, de quibus jam superius egimus, (*) asterisco notavimus.

Inferiores scholæ quadriennio absolvuntur.

PRimum autem inter eosdem locum obtinet *Poëta*; secundum *Syntaxista*, tertium *Grammaticus*, quartum *Rudimentista*: nec enim, ut tempori ac sumptibus parcamus, Syntaxin in majorem & minorem partimur, sed exacto inter inferiores scholas quadriennio Discipulos ad Rhetoricam admittimus.

Officium Præfecti scholarum.

Præest hisce omnibus P. Præfectus scholarum, hodie plerumque ex ipsis Patribus Academicis assumptus. Imediatam is inferiorum scholarum curam gerit, easdem statis temporibus visitat, scriptionibus & examinibus tum pro præmijs tum pro ascensu præsidet, Pœdagogias distribuit, advenientium juvenum testi-

mo-

monia inſpicit, ad ſcholas admittit, ac diſcedentes denuo literis comitatur. Tam hic quam illi ſuas regulas & ſtatuta habent, quæ ut inconcuſſa maneant, ſeduloque obſerventur, ſuprema ipſiusmet Rectoris Magnifici, cui ſubſunt, cura & vigilantia eſt. Sequuntur jam ordine chronologico

PP. Præfecti Scholarum.

Annus	*ſuſceptæ Præfecturæ Scholarum.*
1 6 2 1.	Pat. Joannes Stromayr Elchingenſis. Obijt anno MDCXXXIV pridie Idus Februarij.
- - 2 3.	P. Sebaſtianus Müele Andecenſis. Obijt Salisburgi anno MDCXXXIV, III. Cal. Auguſti.
- - 2 4.	P. Joannes Alzinger Schyrenſis. Aliquamdiu Monaſterij ſui Prior fatis ceſſit anno MDCXLIV.
- - 2 5.	- Gregorius Krädl Nideraltachenſis. Obijt anno MDCXLIV, XVII. Calendas Auguſti apud S. Oſvvaldum, ubi ab anno MDCXXXIII Præpoſitum egerat.
- - 2 6.	- Melchior Rambeck Andecenſis. *
- - 2 9.	- Thomas Mezler Zvvifaltenſis. Vir conſummatæ literaturæ, Poëta, Orator, Philoſophus, Theologus, Hiſtoricus vitam poſuit anno MDCLV. Scripſit, typiſque edidit plurima, e quibus ſequentem catalogum ab amico accepimus.

Joannes Gerſenij O. S. B. Lib. IV. *de Immitatione Chriſti carmine elegiaco.* 12. 1646.
Staurosophia. 8vo. 1652.
Epigrammatum ſacrarum Lib. IV. 8vo. 1650.
Periphraſis poëtica in V. *Lib. Pſalmorum.* 8vo. 1651.
Odaum literatæ juventutis Lib. VI. 1651.
Scipio Teutonicus.

Trivia

Annus | *Suscepta Præfectura Scholarum.*

Triviæ bonitatis angiportus.
Josepheidos Lib. IV.
Lacbrimæ S. Joachimi & Annæ. Lib. III.
Vita Bonæ Elisabethæ Reuthensis carmine heroico.
Sylvarum Lib. IV.
Lyricorum Lib. IV.
Hygiasticon.
Stromatum Lib. III.
Isagoge Novitiorum.
Paradysus Virorum præstantium Monasterij Zvvifaltensis.
Carolidos Lib. XII.
Fragmenta varia pro Chronico Zvvifaltensi.
Putat etiam P. Hieronymus Pez Mellicensis Tom. II. Script. rerum Austriac. in præf. ad vitam S. Bertholdi Abbatis Garstensis, *Hujus Sancti vitam anno MDCXXXIV ex MS. Garstensibus & Vindobonensibus editam a P. Mezlero brevibus notis & scitis versibus illustratam fuisse.*

1 6 3 0. | P. Josephus Hagelius Rothensis. Obijt, si recte meminimus, anno MDCXXXVII.
- - 3 1. | - Ferdinandus Wezel Mariæmontanus. *
- - 3 6. | - Ægidius Rambeck Schyrensis. *
- - 3 8. | - Marianus Schvvab Schyrensis. *
1 6 4 0. | - Bernardus Berger Andecensis.
- - 4 1. | - Matthias Viola Andecensis. E Priore ad Quercum Mauritianam ad Aspacensem mitram postulatus obijt pridie Calendas Martij anno ----
- - 4 2. | - Sympertus Vischer e S. Udalrico Augustæ Vindel. *
- - 4 4. | - Bonifacius Dax Andecensis. *
- - 4 7. | - Benedictus Bruggmoser Michaëlburanus.
1 6 5 0. | - Wilibaldus Hizinger Seonensis.
- - 5 2. | - Petrus Hacker Cremisanensis. *

P. Erne-

Anus	*suscepta Præfectura Scholarum.*
1 6 5 6.	P. Ernestus Leopold Cremifanensis, obijt an: MDC-LXXXIX, Calendis Octobris.
- - 5 9.	- Virgilius Guggenberger e S. Petro. *
1 6 6 4.	- Otto Aicher e S. Vito. *
1 6 7 6.	- Vitus Kaltenkrauter e S. Petro. *
1 6 9 1.	- Wolfgangus Rinsvveger Tegernseensis. *
- - 9 8.	- Josephus Walner Ossiacensis. *
1 7 0 0.	- Alanus Pfeiffer Admontensis. *
- - - 2.	- Placidus Seiz Ettalensis. *
- - - 6.	- Carolus Bader Ettalensis. *
1 7 1 3.	- Cœlestinus Mayr e S. Udalrico. *
- - 1 4.	- Alanus Ritter Wessofontanus. *
- - 1 7.	- Leonardus Kloz Wessofontanus. *
1 7 2 0.	- Alanus Ritter Wessofontanus *
- - 2 5.	- Virgilius Kleinmayr Garstensis. *
- - 2 7.	- Benedictus Franck Tegernseensis. *

Professores Poëseos.

Anus	*suscepta Professura.*
1 6 1 7.	P. Christophorus Custos Ottoburanus. Factus est postea Prior Ottoburanus, Admontensis & Michaëlburanus.
1 6 2 0.	- Erhardus Niggelius Schyrensis. *
- - 2 1.	- Joannes Meinardus e S. Petro. Vir oppido insignis obijt in Præpositura Wiettingensi an: MDCXXXI.
- - 2 3.	- Thomas Weiss Neresheimensis. *
- - 2 6.	- Blasius Knollius e S. Blasio. Obijt præmatura morte anno MDCXXX, III. Nonas Januarij.
- - 2 7.	- Fridericus Planckh e S. Udalrico. Egit aliquamdiu Priorem Monasterij Anhusani, donec inde ab

Hetero-

Añus | *suscepta Professura Poëseos.*

Heterodoxis pulsus finem vivendi fecit an: MDCXXXIV, III. Nonas Junij.

1628. | P. Philippus Feische Benedicto-Buranus. *
- - 29. | - Thomas Mezler Zwifaltensis, de quo supra.
1630. | - Æmilianus Birckel e S. Petro. *
- - 31. | - Ferdinandus Wezel Mariæmontanus. *
- - 33. | - Martinus Kellner Attilensis. Abbas electus anno MDCXXXV, postquam suis egregie præfuisset, tumulo illatus est anno MDCXLVI, XIII. Calendas Martij, ætatis quadragesimo secundo.
- - 35. | - Ægidius Rambeck Schyrensis. *
- - 37. | - Wilibaldus Lendlin Ochsenhusanus. *
- - 39. | - Otto Guzinger Seonensis. *
1640. | - Bonifacius Dax Andecensis. *
- - 42. | - Joannes Jacobus a Preysing Tegernseensis. *
- - 43. | - Anselmus Stör Seonensis.
- - 44. | - Benedictus Eisenhard Attilensis. Electus est Abbas anno MDCXLVI, Mense Aprili.
- - 46. | - Alexander Hueber Andecensis. *
- - 47. | - Benedictus Höffter e S. Udalrico. *
1650. | - Petrus Hacker Cremifanensis. *
- - 51. | - Paris Gille Michaëlburanus. *
- - 55. | - Ernestus Leopold Cremifanensis.
- - 57. | - Virgilius Guggenberger e S. Petro. *
- - 58. | - Josephus Mezger e S. Petro. *
- - 59. | - Otto Aicher e S. Vito. *
1663. | - Paulus Mezger e S. Petro. *
- - 64. | - Dominicus Renner Schyrensis. *
- - 66. | - Otto Aicher e S. Vito. *
- - 68. | - Odilo Ostermayr Andecensis.
1672. | - Vitus Kaltenkrauter e S. Petro. *
- - 75. | - Volpertus Mozel Schyrensis. *

P. Ægi-

Anus	*suscepta Professura Poëseos.*
1676.	P. Ægidius Gundemann professus ad S Michaëlem Bambergæ.
- - 77.	- Bertholdus Ridl Garstensis. Obijt anno MDCXCV. XV. Calendas Februarij.
- - 78.	- Edmundus Ruedorffer Lambacensis. *
- - 79.	- Ludovicus Clasenau, e S. Lamberto. Mortuus anno MDCLXXXIX, typis Salisburgensibus edidit *Officium S. P. Benedicti.*
1682.	- Edmundus Grabman Seonensis. *
- - 83.	- Benedictus Hözl e S. Udalrico. Obijt an: MDCXC. Nonis Decembris.
- - 85.	- Augustinus Kendlinger e S. Petro. *
- - 86.	- Wolfgangus Rinsvveger Tegernseensis. *
- - 88.	- Augustinus Meyer Schyrensis. Varijs in Monasterio suo officijs, puta Prioris, Oeconomi, Parochi &c. egregie perfunctus demum ad Weltenburgensis Monasterij regimen evocatur an: MDCCIX. IX. Calendas Augusti. Hic, dum novæ Cœnobij fabricæ manum admovet, tympanitide correptus inter verba orationis animam efflavit an: MDCCXI. pridie Nonas Julij. Egit quoque Rhetorem & Præfectum Scholarum in Gymnasio Frisingensi.
1691.	P. Ildephonsus Heinzler Ettalensis. Vir multæ lectionis fatis cessit anno MDCCXII. XVI. Cal. Augusti.
- - 94.	- Engelmundus Alt e S. Michaële *Bambergæ.*
- - 95.	- Benedictus Agricola Zvvifaltensis.
- - 98.	- Alanus Pfeiffer Admontensis. *
1700.	- Placidus Seiz Ettalensis. *
- - - 2.	- Carolus Bader Ettalensis. *
- - - 5.	- Michaël Langbarthner Michaël-Buranus. *
- - - 6.	- Udiscalcus Hueber Seittenstettensis. *

Anus	*suscepta Professura Poëseos.*
1709.	Pat. Placidus Ruedorffer Seonensis. Fuit quoque Professor Poëseos in Gymnasio Frisingensi.
1713.	P. Magnus Schleyer Elchinganus. Vir impense doctus, & multarum lingarum gnarus ex Italico vertit *Artem Epistolarum Emanuelis Thesauri.* 8. 1709. E Gallico *Orationis bene pronuntiandæ & animandæ rationem*, uti & *Conciones D. Tlechier Episcopi Neumausensis.* Edidit etiam lingua vernacula *Peregrinationem* nuper bis a Balthasaro Schmid *ad S. Palestinæ loca* factam. Habet nunc sub manibus *Annales sui Monasterij*, & alia, quæ in præsentis anni cursu adhuc lucem videbunt.
- - 15.	P. Leonardus Kloz Wessofontanus. *
- - 17.	- Maurus Menzel e S. Udalrico & Afra. *
1720.	- Gregorius Zedl Benedicto-Buranus. Obijt anno MDCCXXI, pridie Nonas Decembris.
- - 21.	- Virgilius Kleinmayr Garstensis. *
- - 24.	- Werigandus Kogler Michaël-Buranus.
- - 27.	- Petrus Böcken Gluniceensis.

Professores Syntaxeos.

Anus	*suscepta Professuræ.*
1617.	P. Ferdinandus Pröbstle Ursinensis.
- - 18.	- Matthæus Faber Elchinganus. Obijt an: MDCXXXI, XII. Calendas Maij.
- - 19.	- Mathias Agricola Ottoburanus.
1620.	- Damianus Engel Wiblingensis. Prior & Parochus zelosissimus obijt anno MDCXLIX. Cal. Aprilis.
- - 21.	- Gregorius Stelz Nideraltachensis.
- - 22.	- Lucas Hailig Neresheimensis. Obijt peste anno MDCXXXIV, XIII. Cal. Octob.

P. Fer-

Annus	*Susceptæ Professuræ Syntaxeos.*
1 6 2 3.	P. Ferdinandus Pröbstle Ursinensis.
- - 2 5.	- Gregorius Krätel Nideraltachensis. *
- - 2 6.	- Fridericus Planck e S. Udalrico & Afra.
- - 2 7.	- Mathias Wanck Schyrensis. obijt anno MDCXLIII.
1 6 3 0.	- Ferdinandus Wezel Mariæmortanus. *
- - 3 1.	- Gregorius Mezelsperger Seonensis.
- - 3 2.	- Mathias Wanck Schyrensis.
- - 3 5	- Mathias Viola Andecensis.
1 6 4 1.	- Placidus Buechauer Cremifanensis. *
- - 4 2.	- Anselmus Stör Seonensis.
- - 4 3.	- Adalbertus Stockinger *de Ismaring* Tegernseensis. Obijt anno MDCLXXII, III. Nonas Octobris.
- - 4 4.	- Benedictus Höffter e S. Udalrico. *
- - 4 5.	- Bonifacius Dax Andecensis. *
- - 4 9.	- Placidus Scheibl e S. Petro.
1 6 5 1.	- Hieronymus Fickler Andecensis. Obijt anno MDCLV, III. Idus Septembris.
- - 5 2.	- Adalbertus Grueber Seonensis. *
- - 5 3.	- Ernestus Leopold Cremifanensis.
- - 5 5.	- Virgilius Guggenberger e S. Petro. *
- - 5 7.	- Otto Aicher e S. Vito. *
- - 5 9.	- Edmundus Pannagel Cremifanensis. Obijt anno MDCLXXXIV, XXVII. Decembris.
1 6 6 1.	- Romanus Molitor e S. Petro.
- - 6 2.	- Paulus Mezger e S. Petro. *
1 6 6 3.	- Dominicus Renner Schyrensis. *
- - 6 4.	- Augustinus Buechauer Cremifanensis. Diutius Monasterij sui Prior, obijt an: MDCLXXXIX, VI. Idus Septembris.
- - 6 6.	- Odilo Ostermayr Andecensis.
- - 6 8.	- Adalbertus Lödl Schyrensis. Obijt anno MDCLXXXVIII, VI. Idus Aprilis.

P. Qui-

Año	*Suſceptæ Profeſſuræ Syntaxeos.*
1 6 7 0.	P. Quirinus Hochenadl e S. Vito.
- - 7 4.	- Ægidius Gundemann e S. Michaële *Bambergæ.*
- - 7 6.	- Bertholdus Ridl Garſtenſis.
- - 7 7.	- Ludovicus Claſenau e S. Lamberto.
- - 7 9.	- Cœleſtinus Hainz Fornbacenſis.
1 6 8 1.	- Edmundus Grabman Seonenſis. *
- - 8 2.	- Benedictus Hözel e S. Udalrico & Afra.
- - 8 3.	- Cœleſtinus Kuchler Lunælacenſis.
- - 8 4.	- Joſephus Lövventhal e S. Emeramo *Ratisbonæ.*
- - 8 5.	- Wolfgangus Rinſvveger Tegernſeenſis. *
- - 8 6.	- Auguſtinus Mayr Schyrenſis.
- - 8 8.	- Corbinianus Detelbach Rottenſis. Obijt an: MDCCIII.
- - 8 9.	- Anſelmus Braun Mallerſtorffenſis.
1 6 9 1.	- Engelmundus Alt e S. Michaële *Bambergæ.*
- - 9 4.	- Benedictus Agricola Zvvifaltenſis.
- - 9 5.	- Placidus Maderer Michaëlburanus. *
- - 9 6.	- Kilianus Dirſchlmayr Lambacenſis.
- - 9 8.	- Conradus Haidn Lunælacenſis.
- - 9 9.	- Placidus Seiz Ettalenſis. *
1 7 0 0.	- Maurus Haslinger e S. Petro.
- - - 1.	- Michaël Langbarthner Michaël-Buranus. *
- - - 2.	- Rupertus Reichl Oſſiacenſis. Obijt an: MDCCXXIV.
- - - 3.	- Gregorius Schattenlechner e S. Petro.
- - - 4.	- Placidus Wibmer Benedicto-Buranus.
- - - 5.	- Otto de Lanaſperg Oſſiacenſis. Obijt an: MDCCXXV.
- - - 6.	- Virgilius Leüthner e S. Petro. *
- - - 7.	- Placidus Ruedorffer Seonenſis.
- - - 9.	- Gregorius Meyr Michaël-Buranus.
1 7 1 1.	- Marianus Kopp e S. Vito.
- - 1 3.	- Leonardus Kloz Weſſofontanus. *
- - 1 5.	- Dominicus Voberger Lambacenſis.
- - 1 6.	- Placidus Weiſs e S. Vito. Vir bonus & egregius Monaſterij ſui Priorem egit per ſexennium.

Anus	suscepta Professura Syntaxeos.
1717.	P. Romanus Weixer Weichenstephanensis.
- - 19.	- Æmilianus Hieber Lambacensis.
1721.	- Werigandus Kogler Michaël-Buranus.
- - 24.	- Placidus Mausperger Admontensis.
- - 26.	- Benedictus Franck Tegernseensis. *
- - 27.	- Philippus Melberl Ossiacensis.

Professores Grammaticæ.

Anus	suscepta Professura.
1617.	P. Benedictus Höss Ottoburanus.
1620.	- Zacharias Wizenberger Neresheimensis. Prior in Monasterio Seittenstettensi per sedecim annos, obijt Neresheimij anno MDCLXII. Linguæ Hebraicæ apprime gnarus plura eo idiomate conscripsit, inque publicum emisit *Psalt: Marianum.* 1638.
- - 21.	- Christophorus Herpffer Deggingensis. Abbas electus anno MDCXXVI, obijt anno MDCXXXII.
- - 22.	- Gregorius Krätel Nideraltachensis.
- - 23.	- Guilielmus Volkun e S. Petro.
- - 25.	- Placidus Simon Aspacensis.
- - 26.	- Gregorius Mezelsperger Seonensis.
- - 28.	- Josephus Hagel Rottensis. Obijt anno MDCXXVII.
1630.	- Gregorius Mezelsperger Seonensis.
- - 31.	- Rupertus Waibl Ottoburanus.
- - 32.	- Romanus Stromayr e S. Petro.
- - 33.	- Placidus Kurbel e S. Petro.
- - 34.	- Marianus Schwab Schyrensis. *
- - 35.	- Benedictus Bruggmoser Michaël-Buranus.
- - 37.	- Hieronymus Fickler Andecensis.
1640.	- Dominicus Platt Schyrensis. Domi aliquamdiu Prior

Añus | *susceptæ Professuræ Grammaticæ.*

Prior ad Pedum Cœnobij Blanckenstettensis evocatus anno MDCL, vitam finijt meritis plenam anno MDCLXXVII, VIII. Idus Aprilis.

1642. P. Adalbertus Stockinger Tegernseensis.

- - 43. - Joannes Schammius Ursinensis. Vir pius & prudentiæ singularis Infulam Abbatialem, quam anno MDCLXIV suscepit, morte deposuit anno insequente.

- - 45. - Jacobus Schvveighard Michael-Buranus. Prior ejusdem loci obijt anno MDCXLIX, VII. Cal. Februarij.

- - 46. - Simon Rebiser Lunælacensis. *

- - 47. - Laurentius Mayr e S. Udalrico & Afra. Vitam consummavit in Urbe Fridbergensi, ubi populo a concionibus fuerat, anno MDCLXIII, VI. Cal. Februarij.

- - 48. - Placidus Scheibl e S. Petro.

- - 49. - Joannes Hoffman e S. Petro.

1651. - Adalbertus Grueber Seonensis. *

- - 52. - Anselmus Schlager Andecensis. *

- - 53. - Virgilius Guggenberger e S. Petro. *

- - 55. - Maurus Haas e Monasterio Scotorum Vindobonæ. Obijt anno MDCLXII, IV. Idus Januarii.

- - 57. - Wolfgangus Sauervvein Michaël-Buranus.

- - 59. - Romanus Molitor e S. Petro.

1661. - Paulus Mezger e S. Petro. *

- - 62. - Dominicus Renner Schyrensis. *

- - 63. - Cœlestinus Hochenadl e S. Vito.

- - 64. - Antonius Steer Cremisanensis. Obijt anno MDCLXXIII, IV. Idus Octobris.

- - 65. - Quirinus Hochenadl e S. Vito.

- - 66. - Adalbertus Lödl Schyrensis.

- - 68. Vitus Kaltenkrauter e S. Petro. *

- - 69. - Quirinus Hochenadl e S. Vito.

P. Fran-

Añus	*Suscepta Professura Grammaticæ.*
1670.	P.Franciscus Fesenmayr e S.Udalrico & Afra. Obijt anno MDCLXXXVI, XIII. Calendas Julij.
- - 71.	- Joannes Stegbuecher e S. Petro.
- - 72.	- Augustinus Kendlinger e S. Petro. *
- - 73.	- Ægydius Gundemann e S. Michaele *Bambergæ.*
- - 74.	- Bertholdus Ridel Garstensis.
- - 76.	- Engelbertus Oelsnigg Seittenstettensis. Obijt anno MDCXCV.
- - 77.	- Sympertus Morell e S. Udalrico & Afra. Obijt anno MDCLXXXV.
- - 78.	- Cœlestinus Hainz Fornbacensis.
- - 79.	- Edmundus Grabman Seonensis. *
1681.	- Emmanuel Petermann Mallerstorffensis.
- - 82.	- Cœlestinus Kuchler Lunælacensis.
- - 83.	- Josephus Lövventhal e S. Emmeramo.
- - 84.	- Wolfgangus Rinsvveger Tegernseensis. *
- - 85.	- Augustinus Mayr Schyrensis.
- - 86.	- Corbinianus Detelbach Rottensis.
- - 88.	- Mathias Pierle Nideraltachensis.
- - 89.	- Bonifacius Weissbrunner Seonensis.
1691.	- Benedictus Eder Michael-Buranus.
- - 94.	- Placidus Maderer Michael-Buranus. *
- - 95.	- Kilianus Dirschlmayr Lambacensis.
- - 96.	- Conradus Haidn Lunælacensis.
- - 98.	- Anselmus Graff Aspacensis.
- - 99.	- Maurus Haslinger e S. Petro.
1700.	- Michael Langbarthner Michael-Buranus. *
- - - 1.	- Rupertus Reichl Ossiacensis.
- - - 2.	- Gregorius Schattenlechner e S. Petro.
- - - 3.	- Placidus Witmer Benedicto-Buranus.
- - - 4.	- Otto de Lanasperg Ossiacensis.
- - - 5.	- Virgilius Leüthner e S. Petro. *

P.Pla-

Anus | *suscepta Professura Grammaticæ.*

- - - 6. | P. Placidus Ruedorffer Seonensis.
- - - 7. | - Marianus Viechter e S. Petro.
- - - 8. | - Gregorius Mayr Michael-Buranus.
- - - 9. | - Romanus Zellermayr Seonensis.
1 7 1 0. | - Marianus Kopp e S. Vito.
- - 1 1. | - Fructuosus Scheidsach Seonensis. *
- - 1 3. | - Dominicus Voberger Lambacensis.
- - 1 5 | - Placidus Weiss e S. Vito.
- - 1 6. | - Maurus Menzel e S. Udalrico. *
- - 1 7. | - Sebastianus Mayrlechner Cremifanensis.
- - 1 8. | - Æmilianus Hieber Lambacensis.
- - 1 9. | - Elilandus Bayr Benedicto-Buranus.
1 7 2 0. | - Joannes Nepomucenus Spizauer Schyrensis.
- - 2 1. | - Wisintho Schärffenberger Cremifanensis.
- - 2 2. | - Placidus Stichauer Oberaltachensis.
- - 2 4. | - Virgilius Gleissenberger Ossiacensis. Abbas electus anno MDCCXXV Idibus Junij non vulgaribus meritis suos sibi devincit. Typis edidit *Poëma de Boleslao II. Poloniæ Rege*, qui ob cædem S. Stanislai Cracoviensis Episcopi per septennium Ossiaci delituit. 1722. *Francofurti.* Item *quatuor Libros Cyclicorum.* Prodijt hoc opus inscio auctore *Ratisbonæ* 1719. *Coloniæ* 1724.
- - 2 5. | P. Cajetanus Stöpperger Weichenstephanensis.
- - 2 6. | - Philippus Melberl Ossiacensis.
- - 2 7. | - Adalbero Oeffterel Lambacensis.

Professores Rudimentorum.

Anus | *suscepta Professura.*

1 6 1 7. | P. Benedictus Höss Ottoburanus.

P. Fran-

Anus	*suscepta Professura Rudimentorum.*
1618.	P. Franciscus N. ex *Augia Brigantina*.
- - 19.	- Damianus Engel Wiblingensis.
1620.	- Fridericus Blanck e S. Udalrico & Afra.
- - 21.	- Carolus Knödler e S. Petro.
- - 22.	- Vitus Seidl e S. Petro.
- - 23.	- Fridericus Blanck e S. Udalrico & Afra.
- - 24.	- Bernardus Vögele Ottoburanus.
- - 26.	- Josephus Hagl Rottensis.
- - 28.	- Joachimus Mayr Weichenstephanensis.
- - 29.	- Augustinus Kleeberger Priflingensis.
1630.	- Rupertus Waibl Ottoburanus.
- - 31.	- Romanus Stromayr e S. Petro.
- - 32.	- Placidus Curbel e S. Petro.
- - 33.	- Marianus Schwab Schyrensis. *
- - 34.	- Benedictus Bruggmoser Benedicto-Buranus.
- - 35.	- Magnus Miedl Neresheimensis. Exul ob bellum Suecicum obijt in Monasterio Seittenstettensi MDXLII.
- - 36.	- Hieronymus Fickler Andecensis.
- - 37.	- Honoratus Deffner Cremifanensis.
- - 38.	- Dominicus Flatt Schyrensis.
- - 39.	- Maximilianus Bonaventura Rottensis. Obijt anno MDCLVII.
1640.	- Adalbertus Stockinger Tegernseensis.
- - 42.	- Joannes Schammius Ursinensis.
- - 43.	- Jacobus Schweighard Michael-Buranus.
- - 45.	- Simon Rebiser Lunælacensis. *
- - 46.	- Laurentius Mayr e S. Udalrico & Afra.
- - 47.	- PlacidusScheibl e S. Petro.
- - 48.	- Laurentius Mayr e S. Udalrico & Afra.
1650.	- Adalbertus Grueber Seonensis. *
- - 51.	- Anselmus Schlager Andecensis. *

Anus	*suscepta Professura Rudimentorum.*
1 6 5 2.	P. Virgilius Guggenberger e S. Petro.
- - 5 3.	- Desiderius Schapperger Seonensis. *
- - 5 4.	- Jldephonsus Gerstel Andecensis.
- - 5 5.	- Wolfgangus Saurwein Michael-Buranus.
- - 5 7.	- Bonifacius Welzenmüller e S. Udalrico & Afra. Obijt anno MDCLXXXVI, VI. Calendas Maij.
- - 5 8.	- Romanus Molitor e S. Petro.
- - 5 9.	- Paulus Mezger e S. Petro. *
1 6 6 0.	- Bernardus Kimpfler Michaël-Buranus. Obijt ruina Seminarij Alumnorum Archi-Episcopalium anno MDCLXIX.
- - 6 2.	- Cœlestinus Hochenadl e S. Vito.
- - 6 3.	- Antonius Steer Cremifanensis,
- - 6 4.	- Quirinus Hochenadl e S. Vito.
- - 6 5.	- Adalbertus Lödl Schyrensis.
- - 6 6.	- Vitus Kaltenkrauter e S. Petro. *
- - 6 8.	- Quirinus Hochenadl e S. Vito.
- - 6 9.	- Franciscus Fesenmayr e S. Udalrico & Afra.
1 6 7 0.	- Joannes Stegpuecher e S. Petro.
- - 7 1.	- Augustinus Kendlinger e S. Petro. *
- - 7 2.	- Ægidius Gundemann e S. Michaële *Bambergæ.*
- - 7 3.	- Bertholdus Ridl Garstensis.
- - 7 4.	- Engelbertus Oelsnigg Seittenstettensis.
- - 7 6.	- Sympertus Morell e S. Udalrico & Afra.
- - 7 7.	- Cœlestinus Hainz Fornbacensis.
- - 7 8.	- Edmundus Grabman Seonensis. *
- - 7 9.	- Emanuel Peterman Mallerstorffensis.
1 6 8 1.	- Cœlestinus Kuchler Lunælacensis.
- - 8 2.	- Josephus Löwenthal e S. Emmeramo.
- - 8 3.	- Wolfgangus Rinsvveger Tegernseensis. *
- - 8 4.	- Augustinus Mayr Schyrensis.
- - 8 5.	- Corbinianus Detelbach Rottensis.

P. Gre-

Anus	*susceptæ Professuræ Rudimentorum.*
1686.	P. Gregorius Lospichler Seonensis.
- - 87.	- Bernardus Küenperger Nideraltachensis.
- - 88.	- Bonifacius Weissbrunner Seonensis.
- - 89.	- Engelmundus Alt e S. Michaële *Bambergæ.*
1691.	- Josephus Kellinger e S. Petro.
- - 93.	- Placidus Maderer Michaël-Buranus. *
- - 94.	- Kilianus Dirschelmayr Lambacensis.
- - 95.	- Conradus Haidn Lunælacensis.
- - 96.	- Maurus Pfentner e S. Vito.
- - 97.	- Anselmus Graff Aspacensis.
- - 98.	- Maurus Haslinger e S. Petro.
- - 99.	- Michaël Langbarthner Michaël-Buranus.
1700.	- Rupertus Reichl Ossiacensis.
- - - 1.	- Gregorius Schattenlechner e S. Petro.
- - - 2.	- Placidus Wibmer Benedicto-Buranus.
- - - 3.	- Otto de Lanasperg Ossiacensis.
- - - 4.	- Virgilius Leüthner e S. Petro. *
- - - 5.	- Placidus Wibmer Benedicto-Buranus.
- - - 6.	- Marianus Viechter e S. Petro.
- - - 7.	- Gregorius Mayr Michaël-Buranus.
- - - 8.	- Romanus Zellermayr Seonensis.
- - - 9.	- Marianus Kopp e S. Vito.
1710.	- Fructuosus Scheidsach Seonensis.
- - 11.	- Otto Schifferer Aspacensis.
- - 13.	- Placidus Weiss e S. Vito.
- - 15	- Maurus Menzel e S. Udalrico & Afra. *
- - 16.	- Romanus Weixer Weichenstephanensis.
- - 17.	- Æmilianus Hieber Lambacensis.
- - 18.	- Elilandus Bayr Benedicto-Buranus.
- - 19.	- Joannes Nepomucenus Spizauer Schyrensis.
1720.	- Werigandus Kogler Michaël-Buranus.


Annus	*suscepta Professura Rudimentorum.*
1721.	P. Rupertus Liezinger Seonensis, cui infra annum defuncto successit
	- Bonifacius Sünfftel Nideraltachensis. *
- - 22.	- Magnus Dival e S. Paulo.
- - 24.	- Cajetanus Stepperger Weichenstephanensis.
- - 25.	- Benedictus Franck Tegernseensis. *
- - 26.	- Adalbero Oefflerel Lambacensis.
- - 27.	- Maximilianus Lündner Garstensis, cui infra annum successit
- - 28.	- Edmundus Zanner e S. Vito cis *Rhotam.*



Li-



LIBER III.
DE
STUDIOSIS UNIVERSITATIS SALISBURGENSIS.



Andem ad eos dilabimur, quorum causa celebrem adeo Musarum Sedem Optimi Principes MARCUS SITTICUS *&* PARIS LODRONIUS *Archi-Episcopi Salisburgenses elapso abhinc Seculo erexerunt, ne unquam Provinciæ Salisburgensi suus deesset Parnassus, in quo maximo omnium commodo nova Reipublicæ semina excrescerent; Neque ea sola* Juvaviensis Provinciæ *felicitas est, sed totius propemodum* Viciniæ, *quæ studiosam sobolem suam ad Universitatem nostram certatim dimittere solet. Imo & hæc Uni-*

ver-

versitatis non postrema gloria, quod tot protulerit Viros, qui, ut olim magni essent, hic creverunt; Dedit namque Hierarchiæ Ecclesiasticæ Cardinales, Archi-Episcopos, Episcopos, Abbates, Præpositos, Pastores: Dedit Principum Aulis Aurei Velleris Equites, Consiliarios, Legatos, Camerarios: Dedit rei militari Belliduces, aliosq; tam pedestrium quam equestrium Copiarum Præfectos, rebus pro Patria gestis clarissimos: Dedit denique Academijs, Dicasterijs, Civitatibus, Provincijs, Doctores, Magistratus & Judices. Verum hæc majora sunt, quam ut succinctis paginis prosequi possimus; Pauca proin pro instituti nostri ratione de Disciplina, Gradibus Academicis, publicis Disputationibus, nec non studiosorum selectu in medium proferre statuimus, ne aut propositæ brevitatis limites transgressi, aut Illustris Juventutis obliti videamur.



CAPUT I.
De Matricula & Statutis
Universitatis Salisburgensis.

Depositionis Ritus Salisburgi non receptus.

RITUM illum *Depositionis* in aliquibus Germaniæ Academijs usu receptum ex Universitate nostra exulare superius jam *Lib. I.* N. XXXIII. innuimus, eo quod aliarum Academiarum exemplo per solam inscriptionem in Matriculam Studiosos Corpori Academico associari, adnumerarique crederet Senatus Academicus, quin etiam ijs legibus studiosos suos adstrictos vellet, quas omnes & singuli, Jllustri quoque sanguine procreati, ultro amplecterentur. Quantum vero a *Depositionis ritu* plerique Germaniæ Nobiles abhorrere, quave ratione alios, qui eorum nomine huic Legi se submittant, substituere soleant, norunt illi, qui similia Literarum emporia, ubi hic mos inolevit, frequentarunt. Quisquis ergo publicas prælectiones Salisburgi adire, Privilegijs, Immunitatibus, ac Foro Academico gaudere cupit, oportet, ut nomen suum inter aliorum Auditorum nomina referri petat & promittat, se Legibus academicis Rectoriq; Magnifico obtemperaturum: Secus qui fecerit, Privilegijs non gaudet, nec Academicis accensetur juxta statuta inferius recitanda, ubi hæc legimus: *Porro sicut ante immatriculationem in Universitatem nullus Lectiones frequentare, aut Pædagogiam quamcunque suscipere potest, neque ullis studiosorum Privilegijs gaudet; ita nisi in Facultates inscribatur, auditarum a se Lectionum testimonium nullum accipiet.*

Nemo nisi imatriculatus Privilegijs gaudet.

Ante-

Juramentum Matriculæ præmittendum.

Antequam vero quis Matriculæ Academicæ inseratur, juramentum ceu homagium præmittere tenetur, ut Sacramenti a se præstiti memor debitam Rectori Magnifico obedientiam exhibere sciat, ac Universitatem pro virili protegat & tueatur. Juramentum hoc nemo nisi perjurij intemperijs actus spreverit, cum Reipublicæ, cujus matrem Academias vocat *Schvvimmerus* (*) debeamus omnia, quæ salva & splendida esse non potest, nisi Ecclesijs Academijs, scholis sua constet integritas, decus & existimatio: quibus læsis & illam læsam fuisse censendum est. (*) Ne proin DD. Studiosi Sacramentum, quod Universitati dicere consueverunt, facile in oblivionem abire sinant, illius formulam hic inserimus.

Ejus formalia.

,, Ego N. in numerum Studiosorum hujus Almæ ,,& Archi-Episcopalis Universitatis Salisburgensis ,,hodie relatus & receptus, vicissim omnia statuta ,,Ejusdem Universitatis recipio, eadem, uti etiam laudabiles hujus Academiæ consuetudines sub pœnis ,,in transgressores determinatis, vel arbitrio Magnifici D. P. Rectoris aut Senatus Academici determinandis, sedulo observabo. Promitto insuper me ,,Magnifico D. P. Rectori pro tempore existenti & ,,exstituro tanquam immediato Superiori in omnibus rebus licitis & honestis obtemperaturum, Eique uti etiam cæteris Professoribus Academicis reverentiam & respectum debitum semper exhibiturum. Item me ad Magnificum D. P. Rectorem per ,,Pedellum vel alias legitime citatum comparere, ,,Eumq; in omnibus mihi tempore studiorum meorum sive ex delicto sive ex contractu movendis, &

,,qui-

[a] *In tract: Polit. de Academijs Dissertat.* VIII.
[b] Lansius *in Commentat: Histor: Polit: jurid: de Acad: pag.* 28.

„quibuſcunque cauſis ac negotijs ad Forum Academicum vi Privilegiorum hujus Univerſitatis ſpectantibus, Judicem immediatum agnoſcere, & coram ipſo (ſalvis tamen juris remedijs) jus accipere „velle. Singulariter autem, & quidem ſub juramenti „religione, promitto, quod, quamdiu hic Salisburgi „ſtudiorum cauſa commorabor, nunquam contra „Celſiſſimum ac Reverendiſſimum Principem & „Archi-Epiſcopum &c. Nec contra Almam hanc „Univerſitatem, neque in detrimentum hujus Civitatis Salisburgenſis quidquam vel palam attentare, „vel occulte machinari velim. Ita ſpondeo, voveo „ac juro, ſic me Deus adjuvet & hæc ſancta Dei „Evangelia. "

Neceſſitas Legum & Statutorum.

Porro cum Univerſitas peculiarem rempublicam conſtituat, propriumque Magiſtratum habeat, ut certis legibus & ſtatutis ſtudioſa juventus regatur ac coërceatur neceſſe eſt, miti tamen ſuavique imperio. Curarunt id initio ſtatim Majores noſtri, ut pro ampla, qua in ſubditos ſuos pollent, poteſtate, quidquid ad Academiæ bonum ſpectare viſum eſſet, legibus ſancirent, quidquid obeſſet, prohiberent. Vitijs omnibus & delictis ſua pœna decreta eſt, eaque aut legibus definita, aut Rectoris arbitrio determinanda, ne ullus impune ſit malus. Quam ob rem ſtatuta academica an: MDCLIII conſcripta & promulgata fuerunt; neve ignorantiæ clypeo tranſgreſſores ſe tueri præſumant, hodiedum in Academico Foro publice affixa omnium oculis patent, priſtinumq; vigorem retinent. Prodierunt ſubin, ſi id neceſſitas exigere videbatur, & alia decreta, quæ tamen hic miſſa facimus, atque unice memorata ſtatuta anni

MDCLIII tanquam fontes, unde reliqua hausta fuerunt, Lectori communicamus.

Statuta Academica pro D. Studiosis.

NOS Archi-Episcopalis Universitatis Salisburgensis Rector, Procancellarius, Facultatum Decani, totusque Senatus Academicus.

„Considerantes, quod statutorum Academicorum omnium finis sit eorum debita & diligens observatio, & studij publici atque decoris conservatio; „contingat vero sæpius statuta ignorari, aut saltem „eorum ignorantiam prætendi, decrevimus ea, quæ „omnibus studiosis communiter observanda sunt, „ita publicare, ut deinceps nemo legitime per ignorantiam se excusare possit. Quæ proinde sic affixa „& publicata sunt, ut serio & diligenter ab omnibus „nostris studiosis observentur, mandamus."

Lex Immatriculationis.

„Studiorum causa Salisburgum veniens ultra triduum non differat Pedellum accedere, per eum „ad Magnificum D. P. Rectorem ducendus, ut præstito Universitati juramento, ac persoluta debita taxa in Matriculam Universitatis primum, deinde accepta a Magnifico factæ immatriculationis scripta „attestatione per spectabilem D. Decanum, vel Decanos in Facultatem vel Facultates pro Lectionum „audiendarum varietate inscribatur."

„Porro, sicut ante Immatriculationem in Universitatem nullus Lectiones frequentare, aut etiam „Pœdagogiam quamcunque suscipere potest, neque „ullis studiosorum Privilegijs gaudet; ita nisi in Facultates inscribatur, auditarum a se Lectionum testimonium nullum accipiet."

Omnes sint Sodales B. V. Mariæ. „In Matriculam Studiosorum inscripti intra spatium „unius Mensis etiam Sodalitati Beatæ Virginis no„men dare teneantur: Qui diutius id distulerit, mo„ram & negligentiam suam certa oblatione eidem „Congregationi facienda expiabit. "

„In Festis majoribus & singulariter tempore Pa„schali, sive Feria V. Cœnæ Domini omnes Studiosi „per mandatum publicum admoniti sacram Syna„xin, Confessione præmissa, in Ecclesia Academica, „tanquam propria sua Ecclesia, recipient. Ad De„ductiones quoque academicas citati comparere te„nentur. "

Quot Lectiones frequentandæ. „Cum studiorum causa hic versentur Studiosi, „diligentissime ordinarias suas Lectiones frequen„tabunt. Præter has primi Anni Theologi Ss. Scri„pturam & Controversias Fidei: primi quoq; Anni „Philosophi Ethicam & Mathematicam audient, neq; „his primi Anni Philosophis citra specialem Magni„fici D. P. Rectoris licentiam vel nullas vel alias Lec„tiones extraordinarias frequentare licebit. "

Ad publicas Theses quinam comparere teneantur. „Quamvis omnium sit comparere ad Theses & „Disputationes publicas, singulariter tamen omnes „& singuli illius Facultatis Studiosi, cujus Theses ha„bentur, venire & toto die interesse tenentur, secus „a Decano illius Facultatis pœna pecuniaria deter„minata mulctabuntur. "

„Porro, qui Theses publicas defenderē volunt, „tempestive de hoc Magnificum D. P. Rectorem „moneant, plenam ab Eodem de tempore & modo „instructionem accepturi. "

Pœna statuta in tumultuantes, „Caveant Studiosi nostri, ne insolitis clamoribus, aliisve tumultibus de nocte Urbis quietem turbent, plateas confertim non obambulent, & in Æstate quidem non ultra decimam sine lumine, in Hyeme non ultra nonam in plateis vagentur."

„In Academiam arma qualiacunque inferre fas non est. De reliquo portandi gladium facultas iis conceditur, qui totam Philosophiam, vel hic examinati absolverunt, vel aliunde absolutæ Philosophiæ testimonium tulerunt, vel denique annum integrum in Jure expleverunt. (*c*) Cæteri, si gladium (nisi forte itineris causa) gestare deprehendantur, prima vice mulcta medii Imperialis, secunda arbitrarie punientur. Multo minus alter alterum ad Duellum provocet, neque provocatus *& Duellum ineuntes,* compareat; si contra fiat, cum armorum . . . ione provocans quidem ordinarie trium Imperialium, provocatus vero, si compareat, duorum Imperialium pœnas dabit. Gravius luent inflicto vulnere, vel si Pedello Academico imperanti pacem obtemperare recusent."

Quænam arma prohibita. „Insuper omnibus & singulis nostris Studiosis prohibemus, ne quis secum minores sclopos, vel aut breves pugiones (vulgo Terzroll und Stilet) portet. Deprehensus prohibita hæc arma secum gestare, etsi nihil attentaverit, aut damnum dederit, excludetur ab Universitate & Urbe. Similiter qui gladio punctim non solum ferire, sed etiam tantum petere aliquem tentaverit, etsi vulnus non sequatur, de hoc facto convictus ab Universitate & Urbe exterminabitur."

„Forum

(c) *Hodie usus gladiorum omnibus & singulis Academicis concessus est.*

Omnia ad Tribunal Rectoris spectant,

„Forum & jurisdictionem Rectoris in quibuscunque causis & litibus tempore studiorum movendis nullus Studiosorum declinare potest, cum vi „Privilegiorum hujus Universitatis Rector tam in „causis civilibus quam criminalibus (exceptis solum „causis matrimonialibus, quæ ad Reverendissimum „Consistorium remittuntur) in omnes studiosos absolutam jurisdictionem habeat. Citatus proinde „quacunque de causa, si coram Magnifico D. P. Rectore non comparet, pro mora ad citationem primam florenum unum, ad secundam duos, ad tertiam quatuor solvet: Si vero ulterius in contumacia persistat, ab Universitate excludetur."

exceptis causis Matrimonialibus.

Quorsum appellare possint?

„Quod si quis tamen per sententiam Magnifici D. „P. Rectoris se gravatum putet, remedio appellationis deposito aureo (quem recipiet, si sententiam „reformari contingat) ad Senatum totum Academicum, ab hoc ad Celsissimum Archi-Episcopum sibi „consulere licebit."

„Absente vel quocunque modo impedito Rectore jurisdictio Ejusdem penes Vice-Rectorem est, „a quo omnia negotia, quæ dilationem non patiuntur, expedienda erunt."

Quibus in rebus Decanis subsint?

„Omnes præterea suarum Facultatum Decanis subsunt in ijs, quæ profectum studiorum, Lectionum, ac Thesium frequentationem concernunt, a „quibus proinde per Pedellum citari, & pro sua negligentia pœnis, in statutis determinatis, puniri „possunt."

Pædago-

„Qui vero Pœdagogias habent, quantum ad il-
„las

gi Præfecto scholarum subjacent. „las P. Præfecto Gymnasij subjacent. Nemo autem „Pœdagogiam accipiat, permutet, aut resignet sine „Magnifici D. P. Rectoris, vel Præfecti scholarum „notitia & præscitu. Seipsos intrudentes aut clam „insinuantes hoc ipso amotionem ab eisdem promerebuntur; Sicut & ij, qui cum suis discipulis in Ecclesia Academica Sacris interesse negligent. „


Quomodo petenda testimonia. „Studiosi, qui e nostra Universitate discedunt; testimonia petere possunt vel a Magnifico Rectore „nomine Universitatis, vel a Decanis nomine Facultatum: Sive autem ab his, sive ab illo petantur, tenebitur petens a suis Professoribus schedam sive attestationem navatæ operæ, & in studijs profectus „ferre, ut juxta illam a Notario Universitatis expediatur & subscribatur, ac deinceps ultra triduum sine „speciali licentia Superiorum, in Urbe non commorentur. Neque hospitem prius mutent, aut Salisburgo discedant, quam & hospiti & creditoribus „fecerint satis; multo minus æs alienum sine consensu eorum, a quibus aluntur, contrahant. “

„Denique Studiosi Universitatis nostræ Pedello academico, velut publico Universitatis Ministro, „præter taxas Graduum, Thesium, Custodiæ Academicæ &c. Singulis quatuor temporibus salarium „duodecim crucigerorum persolvent. “

Festa & Feriæ Academicæ. „Festa quoque propria & Feriæ Academicæ in „nostra Universitate sic observantur. IV. Novembris Festum S. Caroli Borromæi Patroni Universitatis. XIII. Novembris Festum omnium Ss. Monachorum Ord: S. Benedicti. XXV. Nov: Festum „S. Catharinæ Patronæ Facultatis Philosophicæ.

VIII. De-

VIII. Decembris Festum Immaculatæ Conceptionis Beatæ Virginis Mariæ Patronæ Ecclesiæ academicæ. „XV. Dec: Dies Anniversarius Fundatoris Acade„miæ Celsissimi & Reverendissimi Domini Domini „*PARIDIS* Archi-Episcopi Salisburgensis fel: re„cord: XXIV. Ejusdem hora decima cessant Lec„tiones, reassumuntur a Philosophis post novum An„num, a Theologis, Juristis, & Medicis post Festum „Trium Regum. VII. Martij celebratur Festum An„gelici Doctoris S. Thomæ Aquinatis Patroni Facul„tatis Theologicæ. XXI. Ejusdem Festum S. P. Be„nedicti. Sabbato ante Quinquagesimam finiuntur „hora decima scholæ, quæ reassumuntur in die Ci„nerum post prandium. Sabbato Palmarum post „prandium nullæ amplius habentur Lectiones usque „ad Feriam secundam post Dominicam in Albis, „ubi reassumuntur. Feria V. in Cœna Domini Com„munio Paschalis in Ecclesia Academica. XXI. „Aprilis dies Anniversarius Celsissimi & Reveren„dissimi DD. *JOANNIS ERNESTI* Archi-Episcopi „Salisburgensis, Fundatoris Ecclesiæ Academicæ. „XIX. Maij Festum S. Jvonis Patroni Facultatis Ju„ridicæ. In Vigilia Pentecostes cessant scholæ hora „decima usque post Ferias. V. Junij Festum S. Bo„nifacij Patroni Convictus Religiosorum. X. Julij „ante prandium finiuntur scholæ, celebrantur Ve„speræ solennes. XI. Dein peragitur Officium so„lenne de S. P. Benedicto. VIII. Sept. Festum Na„tivitatis B. V. M. in quo post Officium solenne in„cipiunt Vacationes Autumnales. "



Caput II.

CAPUT II.

De Gradibus Academicis, ac Publicarum Disputationum frequentia.

COmmunis hodie in omnibus Universitatibus consuetudo invaluit, ut ij, qui doctrina excellerent, varijs honorum titulis & prærogativis, quas scholæ *Gradus Academicos* vocant, condecorarentur. *Quos Gradus Academicos,* Gradus hosce Academicos, quotquot demum ab alijs Academijs distribui novimus, Salisburgensibus Studiosis decrevit Privilegium Invictissimi Cæsaris FERDINANDI II, ut nimirum *ad quoscunque Gradus Baccalaureatus, Licentiæ, Magisterij, Doctoratus in Artibus, Philosophia, atque S. Theologia, Jure Canonico, Civili, & Medicina ab eisdem sive Rectore Universitatis, sive Cancellario, sive Professoribus promoveri, & solenniter creari, modo & solennitatibus in alijs Universitatibus consuetis, possint & debeant,* Eadem concessit Bulla URBANI VIII P. M. Universitati nostræ data Anno MDCXXV. Salisburgi itaque Facultas Philosophica *Baccalaureatus, Licentiæ,* & *Magisterij* Laureas distribuit: Reliquæ Facultates *& quibus Univers: Salisb: conferre soleat,* *Licentiatos* & *Doctores* creant, quin etiam Facultas Theologica quandoque *Baccalaureos* dedit. Honores istos, quisquis adipisci desiderat, scientia & doctrina polleat, oportet, nec nisi superato *rigoroso*, ut vocant, *tentamine* & *examine*, præmissaque publica Disputa-

1716.	D. Ernestus Ferdinandus.
1721.	D. Maximilianus Ernestus, &
	D. Wolfgangus Augustinus.
1722.	D. Wolfgangus Ehrenreich.
1724.	D. Franciscus Josephus.
	Com. de Auffseß.
1699.	D. Carolus Sigismund. Comes de *Auffseß in Wincklern.*
	L. Barones ab Abele.
1615.	D. Franciscus Josephus.
	L. B. ab Absaltern.
1680.	D. Franciscus Sigismundus. Factus est Baccalaureus anno 1681, Magister anno 1682. *Promotore P. Joachimo Morsack Zwifaltensi,* &
	D. Joannes Godefridus.
	L. B. ab Antlavv.
1653.	D. Columbanus e Cœnobio S. Galli Postulatus ad Principalem Abbatiam Murbacensem.
1701.	D. Ludovicus Wolfgangus.
	L. B. ab Armansperg.
1708.	D. Joannes Antonius Josephus Maximilianus L. B. ab Armansperg in Schönberg &c. Præfectus in Diessenstein prope *Passavium.*
	L. B. de Arragona.
1650.	D. Philippus L. B. de Arragona Prescianus.
1657.	D. Aloysius Carol. Ferd. de Arragona Mediolanensis.

L. B.

Annus | *Immatriculationis DD. Comitum ac Baronum.*

L. B. ab Arsio vulgo Arzt.

1648. D. Henricus Arzt L. B. a Francking.
1701. D. Franciscus Antonius, &
D. Joannes Antonius Thadæus, &
D. Vitus Georgius Christophorus L. B. ab Arzt.

Nobiles ab Artz.

1653. D. Maximilianus Ignatius.
1654. D. Joannes Emmanuel.

L. B. de Asch.

1725. D. Joannes Petrus Carolus. Factus est Baccalaureus anno 1726, *Promotore P. Menrado Troger San-Blasiano.*

L. B. ab Ascheberg.

1695. D. Joannes Mathias.

L. B. ab Asseburg.

1723. D. Hermannus Wernerus, &
D. Wilhelmus Ant: Can: Cath: Eccl: Osnabruggensis.

L. B. ab Aychelpurg.

1655. D. Julius Ernestus.

L. B. ab Aycholdt.

1697. D. Joannes Antonius, &
D. Joannes Josephus.

Nobiles ab Aycholdt.

1655. D. Joannes Jacobus.
1683. D. Joannes Christophorus.

L. B. ab Aychpichl.

1665. D. Carolus Amadæus ab Aychpichl.
1692. D. Josephus Ignatius, L. B.

L. B.

Annus | *Jmmatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*

Com. Barbo a Waxenſtein.

1664. D.Franciſcus Gebhardus L. B. Barbo.
1666. D.Georgius Maximilianus L. B. Barbò.
1683. D.Jodocus Bernardinus Barbo Comes a Waxenſtein L. B. a Guettenegg.
1700. D.Carolus Barbo Comes a Waxenſtein, Cathedralis Eccleſiæ Paſſavienſis Canonicus.
1705. D.Joannes Joſephus Barbo Comes a Waxenſtein.
1724. D.Jodocus Weichardus Antonius Barbo Comes a Waxenſtein.

Com. de Bathyan.

1712. D.Ludovicus Erneſtus Joachimus. Fuit renuntiatus Baccalaureus anno 1712. Magiſter anno 1713 *Promotore P. Cœleſtino Mayr e S. Vdalrico.* &
D.Carolus Joſeph. Ferd. Joannes Fratres Germani.
1724. D.Emericus Erneſtus.

Com. Bayer.

1689. D. Joannes Franciſcus.

Com. de Berge.

1704. D. Joannes Carolus Emericus.

Com. de Berchtold.

1705. D.Franciſcus Antonius Ignatius, creatus eſt Baccal: anno 1707 *Promot: P. Ambroſio Freydenbichl Garſt.*

Com. a Bevilaqua.

1711. D.Hieronymus.

Nobiles a Bevilaqua.

1657. D.Franciſcus Andreas.
1665. D.Antonius.
1693. D.Nicolaus Antonius.

Com.

Annus Jmmatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.

Com. Bortolazi.

1721. D.Ludovicus.

Com. Brandis.

1657. D.Franciscus Adamus, Hereditarius Rei Argentariæ Præfectus in Tyroli, & Auctor Libri sub titulo: Deß Tyrolischen Adlers immergrünendes Ehren-Kränzel prodiit anno 1678.

1727. D.Henricus.

Com. a Breüner.

1640. D.Sigismundus Franciscus L. B.

1646. D.Ernestus Fridericus L. B.

1664. D.Wolfgangus Daniel L. B.

1681. D.Leopoldus Guilielmus Comes, &
D.Joannes Philippus Cathedralis Ecclesiæ Olomucensis Canonicus. J. U. D. creatus est anno 1692 *Promotore D. Joanne Antonio Lindtner J.Cto.*

1716. D.Ferdinandus Josephus. Comes.

1719. D.Franciscus Josephus Antonius, dictus est AA. LL: Magister an: 1720 *Promotore P. Alano Ritter Wessof.* &
D.Ferdinandus Antonius.

Com. de Bubna.

1680. D.Franciscus Henricus.

Com. Buccelini.

1694. D.Nicolaus.

Com. de Buttler.

1671. D.Theodorus Guilielmus, &
D.Alexander Uladislaus.

L. B. de Baden.

1723. D.Carolus Ignatius.

Annus	*Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*
	L. B. *de Bartels.*
1712.	D. Maximilianus Henricus.
	L. B. *a Baumgarten.*
1666.	D. Joannes Ignatius Franciscus.
1677.	D. Ferdinandus Joannes Antonius.
1699.	D. Maximilianus Josephus Franciscus.
	L. B. *a Belckhoven.*
1704.	D. Joannes Ernestus Cajetanus Antonius, & D. Maximilianus Josephus; suscepit Gradum Baccalaureatus an: 1705 *Promot. P. Gotthardo Vischl Cremif.*
	L. B. *a Bemelberg.*
1692.	D. Sebastianus Andreas.
1699.	D. Ignatius Franciscus Philippus.
	L. B. *Bemler a Stepperg.*
1716.	D. Joannes David Ignatius.
1719.	D. Ferdinandus Franciscus Felix.
	L. B. *de Berchem.*
1725.	D. Marcus Maximil. Quirinus Ant. Joseph. Maria.
	L. B. *de Berndorff.*
1632.	D. Joannes Josephus a Berndorff.
1713.	D. Josephus Marquardus Eustachius. L. B.
	L. B. *de Bessol.*
1709.	D. Carolus Josephus. Suscepit Gradum Baccalaureatus an: 1710 *Promotore P. Gotthardo Haslinger Lambac.*
1710.	D. Franciscus Ladislaus Joannes Antonius.
	L. B. de Biessin & Bieschin.
1711.	D. Joannes Josephus Biessin L. B. de Büessin.
1719.	D. Joannes Josephus L. B. de Bieschin.

L. B.

Annus Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.

L. B. *de Bissingen in Schramberg.*

1712. D. Josephus Ferdinandus Franciscus Joannes, & D. Leopoldus Antonius, Fratres Germani.

L. B. *de Bœdigkeim.*

1707. D. Joannes Ferdinandus Cath. Eccl. Frising. Canonic.

L. B. *a Bodman.*

1666. D. Rupertus; electus est in Abbatem & Principem Ducalis Ecclesiæ Campidonensis anno 1678.

1722. D. Joannes Adamus Rupertus. J. U. Candidatus approbatus & examinatus anno eodem.

L. B. *de Bodegg & Elgau.*

1703. D. Joannes Carolus Josephus.

L. B. *de Brabeck.*

1721. D. Jodocus Edmundus.

L. B. *de Buechbaum.*

1668. D. Carolus Ferdinandus.

L. B. *de Buechenberg.*

1725. D. Joannes Franciscus.

L. B. *Burckard de Pirckenstein.*

1708. D. Franciscus Ferdinandus.

Nobiles de Burckard.

1662. D. Joannes Adamus.
1665. D. Anselmus Ernestus.
1675. D. Josephus, &
D. Franciscus Richardus,
1680. D. Joannes Henricus.
1681. D. Ferdinandus Josephus.
1682. D. Ferdinandus Leopoldus.
1686. D. Franciscus Antonius.

Annus Immatriculationis	D. D. Comitum ac Baronum.
	L. B. de Burgau.
1703.	D.Georgius Sigismundus Pancratius.
	De Capra Marchiones Vicentini.
1669.	D.Martius Joannes.
	Com. de Caraffa.
1652.	D.Ferdinandus.
	Com. a Cauriani.
1662.	D.Maximilianus Carolus, &
	D.Joannes Aloysius Carolus.
1687.	D.Joannes Franciscus Josephus.
1726.	D.Franciscus Carolus.
	Com. Cobenzl.
1681.	D.Joannes Casparus Comes Cobenzl L. B. in Proseck. &c. Supremus Hereditarius Dapifer in Comitatu Goritiensi S. C. M. Consiliarius Intimus, & Supremus Camerarius.
	Com. de Collalto.
1692.	D.Leopoldus. S. C. M. Camerarius.
	Com. Coloredo.
1650.	D.Pompejus.
1661.	D.Fabritius.
1723.	D.Rudolphus, &
	D.Fabianus Leander.
	Com: Coronini a Cromberg.
1725.	D.Rudolphus Antonius.
1726.	D. Joannes Antonius.
	Com. de Cronegg.
1670.	D.Josephus Guilielmus.

Com.

Annus | *Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*

Com. de Cuhrſchvvand.

1714. D. Joannes Chriſtophorus Deodatus, &
D. Joannes Henricus Antonius, Germani Fratres.

L. B. de Camerlohr.

1703. D. Franciſcus Joſephus Mathias.
1724. D. Joſephus Marquardus Euſtachius Aloyſius.

L. B. de Canon & Ruepp.

1690. D. Carolus ex Lotharingia.

L. B. de Clam.

1718. D. Ferdinandus Joſephus.
1728. D. Joannes Nicolaus.

L. B. de Cleſio.

1688. D. Bartholomæus Joſephus, &
D. Joannes Baptiſta.

L. B. de Cloſen.

1648. D. Joannes Baptiſta, &
D. Franciſcus, &
D. Ludovicus Bernardus.
1681. D. Albertus Joſephus Ignatius.
1684. D. Georgius Theophilus.
1696. D. Georgius Franciſcus Antonius.
1710. D. Franciſcus Joſephus Chriſtophorus Ignatius.

L. B. de Coredo.

1710. D. Maximilianus Erneſtus.

Nob. a Coredo.

1669. D. Joannes Caſparus a Coredo.
1712. D. Leop: Joſeph: de Coredo S.R.I.Eq: *a Kolbentburn.*
1714. D. Ignatius Franciſcus a Coredo.

De

Annus | *Immatriculationis D D. Comitum & Baronum.*

De Cornelio Patritij Veneti.

1689. D.Thomas.

L. B. de Cosa.

1710. D.Carolus Josephus L. B. Cosa Eques de Radisch.

L. B. de Coussey.

1712. D.Franciscus Claudius, &
D.Joannes Carolus. Acceperunt ambo Gradum Baccalaur. an: 1713 *Promot. P. Ambros. Ziegler Cremis.*

L. B. de Cresta.

1632. D.Franciscus.

L. B. Crosina de Mamburg.

1695. D.Franciscus Albertus.

Com. a Daun.

1684. D.Franciscus Ernestus.

Com. de Dietrichstein.

1686. D.Joannes Franciscus. L. B.
1707. D.Andreas Jacobus Metropolitanæ Ecclesiæ Salisburgensis Canonicus. Comes.
1717. D.Leopoldus Servatius Josephus. Comes.
1719. D.Carolus, &
D.Leopoldus. Comites.
1724. D.Joannes Josephus. Comes.
1725. D.Carolus Hannibal. Comes.

L. B. a Danberg.

1646. D.Franciscus Henricus.

Nob: a Dannenberg.

1632. D.Georgius Otto.

L. B.

Annus	Immatriculationis DD. Comitum ac Baronum.
	L. B. a Deüring.
1698.	D. Joannes Josephus.
1705.	D. Joannes Petrus Dominicus.
	Nob: de Deüring.
1656.	D. Fidelis, &
	D. Joannes Albertus. Brigantini.
1662.	D. Adrianus a Deüring in Püzenhoven, Excelsi Regiminis Oenipontani Consiliarius,
1666.	D. Joannes Joachimus.
	L. B. a Deütenhofen.
1692.	D. Franciscus Antonius Canonicus Regularis S. Augustini in Collegio Gurcensi.
1701.	D. Josephus.
	L. B. a D'ocfert.
1717.	D. Adamus Ludovicus Franciscus.
	Dom: a Dohlperg.
1711.	D. Gerardus Wilhelmus Cathedr. Eccl. August. Can:
	L. B. a Donnersperg.
1646.	D. Wolfgangus Carolus a Donnersperg.
1698.	D. Franciscus Albertus Antonius, &
	D. Joannes Franciscus Josephus. L. B.
	L. B. a Dücker ab Haslau & Urstein.
1625.	D. Franciscus, qui primus titulum L. B. obtinuit, Auctorque est Chronici Salisburgensis.
1649.	D. Joannes Sigismundus, &
	D. Eberhardus a Dücker.
1655.	D. Alphonsus Dücker ab Haslau, Urstein, & Winckel, Vice-Mareschallus, Camerarius, & Consiliarius Intimus Salisburgensis.

D. Be-

Annus	Immatriculationes D. D. Comitum ac Baronum.
1658.	D. Benedictus Dücker ab Haslau. &c.
1663.	D. Raymundus Dücker ab Haslau. &c.
1693.	D. Joannes Ernestus L. B. Camerarius & Consiliarius Salisburgensis Præfectus in Glanegg.
1694.	D. Josephus Antonius Alphonsus. L. B.
1704.	D. Maximilianus Cajetanus. L. B.
1707.	D. Joannes Gualbertus. L. B.
1715.	D. Ferdinandus Godefridus. L. B.
	Com: ab Egg.
1665.	D. Georgius Sigismundus. L. B.
1685.	D. Christianus Fridericus. L. B.
1693.	D. Theophilus Comes.
	S. R. I. Princ: ab Eggenberg.
1688.	D. Joañes Antonius Joseph: Dux Crumloviæ, S.R.I. Princeps ab Eggenberg, Comes Gradiscæ & in Adelsperg. S. C. M. Consiliarius actualis Intimus, ac Supremus totius Carniolæ Capitaneus.
	Com: ab Edlin.
1716.	D. Ignatius.
	Com: Engel de Wagrain.
1668.	D. Joannes Ludovicus. L. B.
1651.	D. Ferdinandus Ludovicus. L. B.
1704.	D. Franciscus Fridericus Thomas. L. B. creatus est Baccalaureus anno 1706, Magister anno 1707. *Promotore P. Paulo Stocker e S. Paulo.*
1705.	D. Joannes Ernestus. L.B. hodie Comitum titulo gaudet hæc Prosapia.
	L: B: Ecker a Käpfing & Liechtenegg.
1687.	D. Franciscus Sigismundus Antonius, Camerarius & Consiliarius Intimus Serenissimi Electoris Bavariæ, ac Frisingensis Aulæ Marescallus.

D. An-

Annus	Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.
1702.	D.Antonius.
1704.	D.Maximilianus Franciscus Dominicus Cathedralis Ecclesiæ August: & Ratisb: Canonicus. Suscepit Gradum Baccalaureatus anno 1705, Magisterij Anno 1706 *Promotore P.Gotthardo Vischel Cremifanensi.*
1705.	D.Joan. Joseph. Ant. Impertijt Eidem Baccalaureatus lauream an: 1712, *P. Cælest. Meyer e S. Udalrico.*
	L. B. ab Eckershausen.
1696.	D.Philippus Franciscus Damianus.
	L. B. Eckard a Tään.
1647.	D.Joannes Antonius Eckard a Tään.
1676.	D.Georgius Theophilus Eckard a Tään.
1696.	D.Joannes Paulus. L. B.
	L. B. ab Edelbeckh.
1679.	D.Josephus Franciscus.
	L. B. ab Ehingen.
1699.	D.Francisc.Ant.Ehingen a Balzhaimb L.B.a Grosköz.
	L. B. ab Elz.
1700.	D.Philippus Adolphus.
	L. B. ab Engelhaus.
1683.	D.Joannes Erasmus.
	L. B. Enis de Aller.
1705.	D.Joannes Josephus Enis L. B. de Aller.
	L. B. ab Enzenberg.
1685.	D.Joannes & Sigismundus, & D.Josephus Alphonsus.
1727.	D.Franciscus Josephus Xaverius.

Annus | *Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*

Nobiles ab Enzenberg.

1635. D. Philippus Jacobus.
1657. D. Christophorus.
1662. D. Joannes Wolfgangus Ernricus.
1675. D. Antonius Jacobus.

L. B. Eschey de Rosenheimb

1711. D. Joannes Georgius Ludovicus Josephus Eschey L. B. de Rosenheimb. Factus est Baccalaureus anno 1712 *Promotore P. Cœlestino Meyer e S. Udalrico.*

L. B. ab Evehard.

1717. D. Franciscus Antonius.

Domini ab Eyslsperg.

1672. D. Franciscus Placidus, &
D. Joannes Mathias, &
D. Joannes Fridericus,
1676. D. Ferdinandus Carolus, &
D. Maximilianus Benedictus.
1679. D. Christophorus Raphaël.
1700. D. Joannes Josephus.
1709. D. Weichardus.

Dom. ab Ernberg.

1685. D. Wolfgangus Carolus.
1689. D. Joannes Antonius.
1713. D. Wolfgangus Adamus.

L. B. de Federspil.

1727. D. Josephus Carolus.

Com. Fieger L. B. ab Hirsperg & Fridberg.

1629. D. Carolus Benno Fieger ab Hirsperg.
1635. D. Carolus Fieger ab Hirsperg.

D. Ioan-

Annus	Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.
1650.	D. Joannes Ferdinandus Fieger ab Hirſperg.
1662.	D. Ferdinandus Carolus. L. B.
1668.	D. Ferdinandus Andreas. L. B.
1687.	D. Joannes Carolus. L. B.
1689.	D. Joſephus Alexius. L. B.
1692.	D. Joannes Georgius, &
	D. Joannes Raymundus, L. B.
1709.	D. Joañes Paulus Marcus Comes Fieger ab Hirſperg.
	Com. Fuchs de Fuchsberg.
1642.	D. Franciſcus, &
	D. Carolus.
1717.	D. Leopoldus.
	Com: Fugger a Kirchberg & Weiſſenhorn.
1623.	D. Joannes Fridericus.
1632.	D. Bonaventura, &
	D. Sebaſtianus.
1634.	D. Joannes Euſebius.
1642.	D. Fridericus Ferdinandus.
1654.	D. Ignatius Franciſcus Aloyſius.
1695.	D. Franciſcus Ignatius. Renuntiatus eſt Baccalaureus anno 1697 *Promotore P. Odilone Neũman Ochſenhuſano.*
1699.	D. Rupertus Antonius Joſephus.
1700.	D. Maximilianus Antonius Joſephus.
1702.	D. Antonius Rupertus Chriſtophorus.
1704.	D. Philippus Carolus Dominicus Clemens.
1713.	D. Antonius.
1715.	D. Cajetanus Joſephus Antonius, &
	D. Maximil. Caſparus Melchior Balthaſarus Joſephus.
1727.	D. Franciſc. Joſeph. Com. de Fugger de Gottersdorff.
	Landgravij de Fürſtenberg.
1722.	D. Ludovicus Auguſtus Egon.

Annus	Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.
	Com. de Fünffkirchen.
1714.	D. Joannes Adamus.
	L. B. de Falckenstein.
1725.	D. Rupertus.
	L. B. Colonna a Fels.
1627.	D. Joannes Baptista.
1677.	D. Joannes Leopoldus Josephus.
1690.	D. Joannes Georg. Gustav. Canonic. Salisb. & Passav.
1694.	D. Joannes Baptista Franciscus.
1715.	D. Josephus Ignatius.
	L. B. de Fiernberg.
1712.	D. Franciscus Josephus.
	L. B. de Fin.
1722.	D. Josephus Antonius.
	L. B. de Firmian.
1699.	D. Francisc. Alphons. Georg. Maximilianus Emanuel.
	L. B. de Alt- & Neüen Frauenhofen.
1648.	D. Franciscus Desiderius.
1662.	D. Wolfgang. Adam. Elect: Bavar. & Colon. Camerar.
1672.	D. Maximilianus.
1678.	D. Adamus Laurentius.
1693.	D. Joannes Ignatius Antonius.
1696.	D. Albertus Laurentius.
1712.	D. Josephus Ferdinandus Desiderius Adamus.
	L. B. de Freyberg.
1622.	D. Joannes Theodoricus de Freyberg.
1629.	D. Philippus Eduardus, &
	D. Joannes Georgius de Freyberg.
1632.	D. Placidus de Freyberg Ducalis Eccl: Campid: Capit.

D. Men-

Annus | *Immatriculationis D. D. Comitum & Baronum:*
1666. D.Menradus Ejusdem Ecclesiæ Capitularis.
1712. D.Joannes Christophorus, &
D.Joannes Franciscus L. B. Eques Melitensis.
1715. D.Adamus Josephus L. B.
1717. D.Joan.Roman.Joseph.L.B.Eccl.Cath.Aug.Canon.
1719. D.Josephus Franciscus. L. B.
1725. D.Maximilianus. L. B. de Freyberg & Eisenberg.

L. B. de Frideberg.

1692. D.Franciscus Bernardus.

L. B. de Froberg.

1652. D.Franciscus Paris.
1668. D.Franciscus Ignatius.

L. B. de Fürstenberg.

1722. D.Fridericus Christianus L. B. de & in Fürstenberg, Cathedralium Ecclesiarum Monasteriensis & Paderbornensis Canonicus, &
D.Franciscus Egon Cath: Eccles. Paderbornensis & Hildesheimensis Canonicus.

Com. a Gaisruck.

1630. D.Wolfgangus Andreas. L.B.
1675. D.Joannes Christophorus. L.B.
1701. D.Joannes Josephus Comes.
1717. D.Leopold: Frideric:Anton: Comes. Dictus est Baccal.an: 1718 *Promot: P. Carolo Schwandtner Seitenstett.*
1726. D.Josephus Comes. Factus est eodem anno Baccalaureus *Promotore P. Menrado Troger San-Blasiano.*

Com. de Gallas.

1721. D.Philippus.

Com. a Gallenberg.

1684. D.Joannes Richardus Canonic: Capitul: Salisb: , &
D.Wolf-

Annus | Immatriculationis D. D. Comitum & Baronum.

D. Wolfgangus Weichardus S. C. M. Consil: intimus, & Supremus Carniolæ Capitaneus.

1724. D. Wolfgangus Sigismundus.

Com. Gall de Gallenstein.

1678. D. Georgius Adamus. L. B. Factus postea Comes.

Com. Galler.

1674. D. Joannes Ernestus. L. B. Factus postea Comes.

Com. de Gellhorn L. B. de Pettersvvald.

1705. D. Franciscus Antonius Carolus Julius, & D. Julius Ernestus.

Com. a Göesen.

1711. D. Joannes Antonius.

Com. de Gourland.

1700. D. Joannes Antonius Ernestus.

Com. de Gözen.

1692. D. Joannes Carolus.

1711. D. Joannes Franciscus Antonius Bonaventura.

Com. de Guttenstein.

1674. D. Wenceslaus Hrosnata Com. de Guttenstein S. C. M. Consiliarius intimus, Consilij Aulico-Bellici ibidem Consiliarius, Locumtenens Bohemiæ. &c. Obijt anno 1714.

L. B. de Gablhoven.

1700. D. Georgius Sigefridus.

1717. D. Josephus Carolus.

L. B. de Galen.

1722. D. Joannes Adolphus Christophorus.

L. B.

Annus	Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.
	L. B. a Gallenfels.
1664.	D. Joannes Sigismundus a Gallenfels.
1723.	D. Andreas Eusebius L. B.
	L. B. Gaun de Lebengang.
1720.	D. Joannes Baptista.
	L. B. a Gera.
1645.	D. Joannes Vitus.
	L. B. de Ginsheimb.
1677.	D. Martinus Albertus Jacobus a Ginsheimb.
1708.	D. Maximilianus Franciscus Josephus. L. B.
	L. B. de Gise.
1724.	D. Franciscus Emericus Adamus.
	L. B. Girardi de Castello.
1669.	D. Joannes Franciscus Girardi de Castello.
1670.	D. Joannes Paulus Girardi de Castello.
1671.	D. Carolus Gaudentius Girardi de Castello.
1690.	D. Franciscus Dominicus. L. B.
1695.	D. Leopoldus Josephus Alexius L. B. Regiminis Cæsarei Friburgensis Consiliarius.
1702.	D. Franciscus Antonius.
	L. B. de Goder.
1722.	D. Franciscus Ignatius, & D. Ernestus Josephus Antonius.
	L. B. Gold a Lampading.
1656.	D. Paris Rudolphus a Gold.
1662.	D. Richardus Joannes Gold a Lampading.
1663.	D. Wolfgangus Ludovicus Gold in Lambading.
1664.	D. Vigilius Rudolphus Emmeramus a Gold.
1665.	D. Christophorus Godefridus a Gold.

D. Joan-

Annus | *Immatriculationis D .D. Comitum ac Baronum.*

1668. D. Joannes Richardus Gold. L. B. a Lambading.
1695. D. Franciſcus Antonius Auer in Winckel. L. B. Gold a Lambading Camer. Salisb. & Præfect. in Waging.
1698. D. Franciſcus Rochus Auer in Winckel L. B. Gold a Lampading, Camerarius & Conſiliarius Salisb.

L. B. de Gräcs.

1722. D. Joannes Antonius.

L. B. a Graffenberger.

1700. D. Carolus Weickardus.

L. B. a Greüth.

1680. D. Ægidius Fridolinus Ludovicus a Greüth; factus eſt poſtea L. B, ac S. C. M. Legatus Extraordinarius ad Rhœtorum Rempublicam.

L. B. de Giel a Gielſperg.

1725. D. Franciſcus Benedictus Chriſtophorus.

L. B. Gienger de Grienpichl.

1698. D. Joannes Franciſcus Joſephus Antonius.
1703. D. Chriſtophorus Ignatius Leopoldus Maria.
1711. D. Felix Aloyſius Maria. Creatus eſt Baccalaureus anno 1712. *Promotore P. Cæleſtino Meyr e S. Udalrico.*

L. B. de Grienthall.

1684. D. Joannes Wenceſ. Mathias Leopold. a Grienthall.
1702. D. Joannes Franciſcus. L. B.

L. B. de Grimming.

1685. D. Joannes Theophilus Supremus Militiæ Præfectus Urbis Salisburgenſis, primus ſibi ſuæque Familiæ L. B. titulum obtinuit.
1614. D. Joannes Franciſcus Joſephus O. S. Ruperti Eques; ſuſcepit Gradum Baccalaureatus anno 1720, & an-

no

Annus Immatriculationis D. D. Comitum & Baronum.

no insequenti Magisterium *Promotore P. Sebastiano Mayrlechner Cremisanensi.* Professus est hodie Ordinem Carmelitarum Discalceatorum.

1721. D. Joannes Theophilus O. S. Ruperti Eques.

L. B. a Grotta.

1654. D. Franciscus Sigismundus.

L. B. de Gruttschreiber.

1726. D. Adamus Franciscus.

L. B. Grundeman de Falckenberg.

1645. D. Francisc. Fortunat. Grundeman de Falckenberg.
1646. D. Joannes Erasmus Grundeman de Falckenberg.
1711. D. Joannes Adamus L. B. a Grundeman. Creatus est Baccal. an: 1712. *Promot. P. Cælest. Mayr e S. Udalrico.*

L. B. Gugkel a Weinbruch.

1717. D. Balduinus professus Ordinem S. Benedicti in Monasterio Admontensi.

L. B. de Guttenberg.

1716. D. Georgius Wilhelmus Casimirus Cathed. Eccl: Herbipolensis & Eystadiensis Canonicus.

D. de Gentilhommer.

1698. D. Thomas Josephus.

D. de Glöckelsperg.

1716. D. Carolus Josephus.

D. a Grimschiz.

1674. D. Georgius Carolus.
1713. D. Joannes Carolus.

D. de Guarient & Lall.

1710. D. Christophorus Leopoldus.

Annus Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.

D. de Gumppenberg.

1633. D.Georgius Franciscus.

Com. Hamilton.

1648. D.Georgius natione Anglus.

Com. ab Hardegg.

1726. D.Joannes Henricus Conradus, &
D.Joannes Ludovicus Antonius, &
D.Joannes Julius Leopoldus Josephus.

Com. ab Harrach.

1646. D.Ferdinandus Bonaventura aurei Velleris Eques, S. C. M. Consiliarius Intimus, ac Supremus Aulæ Præfectus, obijt anno 1706.

1683. D.Aloysius Raymundus Thomas Aurei Velleris Eques, Consiliarius Intimus S. C. M. Camerarius, & Archi-Ducatus Aust. Inferioris Mareschallus, &
D.Franciscus Antonius, ex Episc. Viennensi in Archi-Episcopum Salisburg. electus, de quo supra Lib. I.

1707. D.Carolus Antonius. S. C. M. Camerarius.

1710. D.Fridericus Christianus S. C. M. Camerarius, & ad Aulam Turinensem Legatus, &
D.Carol. Joseph. Gervas. Prothas. Metropol Eccl: Salisburg: & Cath: Passaviensis Canonicus. an. 1720.

1719. D.Wenceslaus Ord: Melitensis Eques, &
D.Joannes Ernestus Metropol: Salisb. & Cath: Eccl: Passaviensis Canonicus, &
D.Ferdinandus Bonaventura.

Com. ab Haunsperg.

1624. D.Franciscus Rudolphus L. B. erecti anno 1634 vexilli Academici Supremus Capitaneus.

1639. D.Franciscus L. B. Obtinuerunt Comitum Prærogativam anno 1660.

Annus	Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.
	Com. de Hazfeld & Gleichen.
1711.	D. Joannes Hugo, &
	D. Carolus Casparus, &
	D. Franciscus Lotharius. Fratres Germani.
	Com. ab Heimhausen.
1724.	D. Carolus Ferdinandus Maria, &
	D. Sigismund: Ferdinand: Joseph: Maria. Fratr: Germ.
	Com. ab Heinrichsberg.
1715.	D. Antonius Josephus Victorinus Baccalaur. creatus anno 1716 *Promot. P. Romuald. Dreer Ettalensi.*
	Com. Heisler ab Heidersheim.
1705.	D. Franciscus Josephus.
	Com. ab Henckel.
1706.	D. Carolus Josephus Ertmandus.
	Com. de Hendel.
1691.	D. Franciscus Maximilianus. L. B.
1702.	D. Joannes Georgius Josephus Comes.
1706.	D. Antonius Josephus Dominicus Comes, suscepit Gradum Baccalaureatus 1715, Magisterij anno 1716 *Promot: P. Fructuoso Scheidsach Seonensi*, &
	D. Casparus Sebastianus.
	Com. ab Herberstein.
1640.	D. Ferdinandus Ernestus.
1668.	D. Joannes Franciscus Ernestus.
1678.	D. Wolfgangus Erasmus.
1689.	D. Carolus Ferdinandus Antonius.
1717.	D. Sigebertus Benedictinus Admontensis.
1719.	D. Franciscus Wilhelmus.
1721.	D. Sigefridus.

Annus | *Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*

Com. & L. B. ab Hervvarth.

1633. D. Joannes Guilielmus Herwarth ab Hochenburg.
1646. D. Joannes Georgius Herwarth ab Hochenburg, Consiliarius Intimus apud Serenissimum Electorem Bavariæ.
1672. D. Joannes Ferdinandus Leopoldus. L. B. &
D. Joannes Franciscus Carolus. L. B.
1676. D. Christophorus Guilielmus. L. B.
1684. D. Ferdinandus Josephus L. B. Primus Comitis titulum obtinuit, Serenissimi Electoris Bavariæ Camerarius & Consiliarius.
1705. D. Joannes Francisc. Ant. L. B. Creatus est Baccalaur. an: 1707 *Promot. P. Ambrosio Freydenpichl Garstensi.*

Com. ab Hochenembs & Vaduz.

1636. D. Franciscus Leopoldus Canonicus Metrop: Salisb: & Cath: Eccl: Augustanæ.
1669. D. Ferdinandus Carolus Franciscus, &
D. Jacobus Hanibal S. C. M. Consiliarius Intimus.
1711. D. Franciscus Wilhelmus.

Com. ab Hochenfeld.

1688. D. Otto Ferdinandus Felix Supremus Culinæ Præfectus apud Augustissimam Imperatricem viduam Wilhelminam Amaliam, &
D. Otto Achatius.
1691. D. Otto Hartmannus Franciscus Henricus.
1700. D. Otto Ernestus, &
D. Otto Severinus.

Com. ab Hochenlohe.

1725. D. Josephus.

Com. ab Hochenzolleren.

1709. D. Antonius Christophorus Franciscus.

Com.

Annus | *Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*

Com. ab Horn.

1719. D. Ludovicus.

Com. Hrzan ab Harras.

1678. D. Sigismundus Valentinus S. C. M. Consiliarius Intimus, Camerarius, & Cameræ Præses in Bohemia.
1719. D. Carolus Josephus. Renuntiatus est Baccal:an:1721 *Promotore P. Anselmo Erb Ottoburano*, &
D. Joannes Adamus.

L. B. Hager ab Altensteig.

1687. D. Otto Maximilianus, &
D. Otto Sigismundus.

L. B. ab Halden.

1641. D. Franciscus Joannes ab Halden.
1667. D. Joannes Franciscus ab Halden.
1684. D. Antonius Eusebius L. B. Celsissimi Principis & Archi-Episcopi Salisb: Camerarius, Consiliarius Intimus, Vice-Mareschallus, Consilij Aulici Vice-Præs. & ad Comitia Ratisbonens. Legatus Primar.
1716. D. Josephus Antonius L.B. Camerarius Salisb: & Frising: Legatus ad S. R. I. Comitia Ratisbonensia; Ex U. J. examinatus & approbatus anno 1720.

L. B. ab Hallerstein.

1713. D. Josephus Leopoldus ex U. J. examinatus & approbatus anno 1718.
1716. D. Josephus Nicolaus.

L. B. ab Handel.

1710. D. Franciscus Leopoldus Wolfgangus.

L. B. ab Haslang.

1648. D. Maximilianus Fridericus, &
D. Joannes Francisc. Carol. Metrop: Eccl: Salisb: Can.

D. Joan-

Annus	*Immaticulationis D. D. Comitum ac Baronum.*
1667.	D. Joannes Rudolphus.
1686.	D. Ferdinandus Joannes Josephus.
	L. B. de Heidenheim.
1721.	D. Joannes Franciscus Christophorus Cathed: Ecclesiæ Eystettensis & Augustanæ Canonicus, &
	D. Joannes Ludovicus.
	L. B. ab Helversen.
1680.	D. Dionysius Adalbertus.
	L. B. de Helvvig.
1714.	D. Christophorus Otto. Baccalaureatu donatus est anno 1715, Magisterio anno 1716. *Promotore P. Fructuoso Scheidsach Seonensi.*
	L. B. de Hesperg.
1722.	D. Joannes Philippus.
	L. B. de Hettersdorff.
1702.	D. Georgius Ernestus.
	L. B. de S. Hilario.
1623.	D. Mathias.
	L. B. de Hochenegg.
1707.	D. Joannes Georgius Leo, Baccalaureus anno 1710 *Promotore P. Gotthardo Haslinger Lambacensi.*
1711.	D. Joannes Georgius Briccius. Baccalaureus renunciatus est anno 1714, Magister anno 1715 *Promotore P. Benedicto Schmier Ottoburano.* Ex U. J. examinatus & approbatus anno 1718.
1724.	D. Ernestus Ord: S. Benedicti professus in Principali Ecclesia Fuldensi.
	L. B. de Hochsteden.
1711.	D. Joannes Carolus Leopoldus.

L. B.

Annus Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.

L. B. ab Högi.

16[illegible]. D. Augustinus Fridericus ab Högi.
1656. D. Joannes Oswaldus ab Högi.
1663. D. Franciscus Guidobaldus ab Högi.
1700. D. Joannes Josephus. L. B.
1720. D. Josephus Antonius Ernestus. L. B.
1725. D. Joannes Carolus. L. B.

L. B. ab Höggenmüller.

1622. D. Wenceslaus.

L. B. de Horneck.

1711. D. Marquardus Joannes Antonius, &
D. Lotharius Franciscus.

L. B. de Hornstein.

1700. D. Franciscus Marquardus Antonius Maria.

Dom. ab Hacklet.

1702. D. Franciscus Leopoldus, &
D. Franciscus Ferdinandus Josephus.
1723. D. Joannes Carolus Josephus, &
D. Paulus Antonius Josephus, Fratres Germani.

Com. de S. Juliano.

1658. D. Leopoldus Guilielmus.

L. B. a Jabornegg.

1684. D. Joannes Andreas.

L. B. ab Imhoff.

1706. D. Franciscus Antonius. Creatus est Baccalaureus an: 1707 *Promotore P. Ambrosio Freidenbichl Garstensi.*

Nobiles ab Imhoff.

1634. D. Hieronymus Dominicus.

D. Con-

Annus	*Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*
1647.	D. Constantinus.
1707.	D. Josephus Ferdinandus.
	L. B. ab Imslandt.
1663.	D. Joannes Ludovicus ab Imslandt.
1707.	D. Franciscus Ferdinandus Josephus Maria L. B. Factus est Baccalaureus an: 1708 *Promotore P. Virgilio Leüthner e S. Petro.* Camerarius Salisburgensis.
	Nob: ab Ilsung Patritij Augustani.
1624.	D. Sebastianus.
1643.	D. Sebastianus Albertus.
1648.	D. Joannes Jacobus.
1651.	D. Christophorus Udiscalcus.
1656.	D. Joannes Christophorus Ilsung a Trazberg. Ni fallimur, in numerum L. B. relatus est.
1659.	D. Joannes Franciscus.
1705.	D. Franciscus Xaverius.
1708.	D. Felix Antonius Josephus.
	Com. Kazianer a Kazenstein.
1638.	D. Joannes Wenceslaus. L. B.
1646.	D. Joannes Herbardus. L.B. S. C. M. Consiliar. Intimus, Camerar. Intimus, & Capitan. Goritiensis. &c.
1682.	D. Leopoldus Engelbertus Josephus. Comes.
	Com. Khevenhüller.
1683.	D. Fridericus Sigismundus Consiliarius Cæsareus Intimus, Inferioris Austriæ Locumtenens.
1721.	D. Joannes Josephus Ludovicus.
	Com. a Khüenburg.
1667.	D. Franciscus Guilielmus S. C. M. Consiliar. actualis.
1675.	D. Joannes Sigismundus ex Canonico Salisb: & Passav: primo Lavantinus, dein Chiemens. Episc. &
	D. Joannes Fridericus Ignatius, &

D. Joan-

Annus	Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.
	D. Joannes Maximilianus S. C. M. Consiliarius.
1678.	D. Christophorus Maximilianus, &
	D. Joannes Ferdinandus.
1685.	D. Joannes Christophorus Salisburgi supremus stabuli Præfectus, &
	D. Joannes Georgius.
1699.	D. Joannes Gandolphus.
1701.	D. Carolus Josephus Præpositus Metr: Eccl. Salisb. & Canonic: Passavienf. ab Episcopatu Seccoviensi ad Chiemensem translatus, &
	D. Ernestus Josephus, qui in militia clarum nomen obtinuit.
1715.	D. Christophorus Ludovicus Cath: Eccl: Passav. Canonic: accepit Baccal: lauream an: 1720, Magisterij an: 1721 *Promotore P. Sebastiano Meyerlechner Cremif.*
1723.	D. Joannes Franciscus Ludovicus.
1725.	D. Franciscus Josephus Antonius Wenceslaus.
	Com. de Kolobrath seu Colovvrat.
1659.	D. Augustinus L. B.
1689.	D. Wenceslaus Comes
	Com. a Kolonitsch.
1654.	D. Georgius Wilhelmus.
1693.	D. Joannes Henricus Eustachius Ferdinandus.
	Com. a Königsegg.
1654.	D. Antonius Eusebius.
1676.	D. Hugo Franciscus Metrop: Eccl: Salisb: Canonic. &
	D. Albertus, Canonic: Paderbornenf. & Uratislaviensis, quos tamen Canonicatus postea resignavit.
1681.	D. Sigismundus Wilhelmus Regis Rom: Josephi I. Supremus Aulæ Mareschallus, & in expeditione Landaviensi Consil: Imp: Aul:

Annus	*Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*
1684.	D. Franciscus Maximilianus Eusebius. Dictus est Baccalaureus anno 1685, Magister anno 1686 *Promotore P. Brunone Schlibnigg e S. Paulo.* S.C.M. Consil: Intim.
1709.	D. Carolus Seifridus Ferdinandus, &
	D. Ernestus Joannes Seifridus.
1715.	D. Hugo Franciscus.
	Com. a Königsfeld.
1635.	D. Franciscus Nicolaus L. B. Serenissimi Elect: Bavariæ Camerarius.
1680.	D. Joannes Godefridus L. B.
1667.	D. Joannes Georgius Joseph: Anton: Maria. Comes.
1701.	D. Joannes Christophorus Adamus Josephus Antonius Comes, Can: Cath: Eccl: Ratisb: & Frisingens.
1702.	D. Joannes Georgius Pancratius Josephus Antonius Maria. Comes, Camerarius ac Consiliarius Intimus Serenissimi Electoris Bavariæ, & ad Comitia Ratisbonensia Legatus.
	Com. de Kriestorff.
1720.	D. Adamus Franciscus Xaverius Josephus Carolus Goder Com: de Kriestorff.
	Com. Kuen de Belasi.
1624.	D. Joannes Sigismundus L. B.
1625.	D. Joannes Christophorus, &
	D. Joannes Jacobus L. Barones, S.C.M. Consiliarius.
1651.	D. Wolfgangus Guilielmus L. B.
1648.	D. Joannes Christophorus, &
	D. Georgius Theodoricus L. B.
1650.	D. Jacobus Ferdinandus Comes.
1661.	D. Jacobus Arbogastus L. B.
1676.	D. Guidobaldus Joannes Theodoricus L. B.
1680.	D. Carolus Josephus, &
	D. Gandolphus Joannes Sigismundus. L. B.

D. Ma-

Annus Immatriculationis	*D. D. Comitum ac Baronum.*
1692.	D. Maximilianus Brisgottus. Comes.
1695.	D. Erneftus Waramundus Ord: Equeftris S. Ruperti Commendator. Comes.
1699.	D. Francifcus Maximilianus Xaverius. Comes.
	Com. a Kuefffein.
1660.	D. Hilfgott.
1675.	D. Francifcus Ludovicus.
1678.	D. Maximilianus Gandolphus.
1680.	D. Antonius Liebgott.
1711.	D. Joannes Jofephus Benedictus Cajetanus. Creatus eft Baccalaureus anno 1714 *Promotore P. Benedicto Schmier Ottoburano*, & D. Carolus Jofephus Francifcus Innocentius, renuntiatus & ipfe Baccalaureus anno 1715, Magifter an: 1716 *Promotore P. Fructuofo Scheidfach Seonenfi*, & D. Maximilianus Jofephus Antonius Corbinianus.
	Com. a Kullenftein.
1664.	D. Rudolphus Maximilianus.
	Com. a Künigl.
1705.	D. Francifcus Jofephus Dominicus Metropol: Ecclef. Salisburgenfis Canonicus.
1719.	D. Alexander Jofephus Carolus fufcepit Baccalaureatum an: 1720 *Promotore P. Sebaft. Mayrlechner Cremif.*
	L. B. a Käding.
1704.	D. Joannes Francifcus Sigifmundus Canonicus Cath: Eccl: Frifingenfis. Creatus eft Baccalaureus anno 1706 *Promotore P. Paulo Stocker e S. Paulo.*
1711.	D. Joannes Francifcus Martinus.
	L. B. a Kagenegg.
1723.	D. Jofephus Antonius.

Annus	*Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*
	L. B. a Kainpach.
1682.	D.Carolus Joſephus.
	L. B. a Kaiſerſtein.
1668.	D.Joannes Erneſtus. Hodie, ſi recte meminimus, Comitis axiomate hæc Familia gaudet.
	L. B. Karg *de Bebenburg.*
1717.	D.Joſephus, Franco Bambergenſis, ex U. J. examinatus & approbatus anno 1718.
	L. B. de Keck.
1701.	D.Joannes Joſephus.
1722.	D.Carolus Adamus Franciſcus Joſephus.
	L. B. a Keitſchach.
1670.	D.Joannes Georgius Wolfgangus.
1727.	D.Joannes Erneſtus.
	L. B. Keller *de Schleitheim.*
1705.	D.Carolus Henricus Maria Dominicus. Suſcepit Baccalaureatum anno 1707, Magiſterium anno 1708 *Promotore P. Ambroſio Freydenbichl Garſtenſi.*
1718.	D.Sigiſmundus Joſephus Leopoldus. Renuntiatus eſt Baccalaureus anno 1724. *Promotore P. Bernardo Oberhauſer Ettalenſi.*
	L. B. de Kielmonſegg.
1679.	D.Henricus Fridericus.
	L. B. de Knobelsdorff.
1702.	D.Ferdinandus Ludovicus Georgius.
	L. B. a Knöringen.
1661.	D.Joannes Erneſtus.

L.B.

Annus Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.

L. B. Kotulinscky de Kotulin & Keziskovviz.

1676. D. Joannes Christophorus.
1683. D. Franciscus Carol. Excelsi Dicasterij in Silesia Consil.

L. B. a Kuchler.

1712. D. Joannes Georgius.

L. B. de Kulmer.

1725. D. Ignatius.

L. B. a Kuniz.

1662. D. Joannes Richardus, &
D. Joannes Sigefridus a Kuniz.
1668. D. Joannes Christophorus Kuniz L. B. ab & in Plankenstein & Stuz.

L. B. a Kurz.

1697. D. Leopoldus. Renuntiatus est Baccal. anno 1698 *Promotore P. Placido Mayrhauser e S. Petro.*

Nob. a Kurz.

1668. D. Joannes Georgius.
1669. D. Stephanus Carolus.
1674. D. Joannes Paris.
1679. D. Franciscus Engelhardus, &
D. Antonius Placidus.
1683. D. Optatus Patritius.

D. de Kettschau.

1710. D. Joannes Fridericus Antonius Principalis Ecclesiæ Fuldensis O. S. B. Capitularis.

Princ. & Comites de Lamberg.

1622. D. Joannes Guilielmus.
1630. D. Julius Henricus.

D. Si-

Annus	*Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*
1638.	D.Sigiſmundus Albertus.
1645.	D.Joannes Ludovicus.
1649.	D.Joannes Antonius.
1652.	D.Franciſcus Antonius.
1656.	D.Joannes Guilielmus Bonaventura.
1668.	D.Joannes Anſelmus.
1669.	D.Joannes Hiacynthus.
1670.	D.Joannes Guidobaldus Raymundus.
1677.	D.Joannes Antonius, &
	D.Franciſcus Adamus.
1678.	D.Joannes Maximilianus Joſephus Antónius.
1683.	D.Leopoldus Math. Sigiſmund. poſtea S.R.I.Princ.
1684.	D.Maximilianus Erneſtus.
1704.	D.Joannes Franciſcus Cajetanus Maximilianus.
1708.	D.Joannes Maximilianus Cajetanus Guilielmus.
1709.	D.Joannes Philippus Cajetanus Bonaventura.
1711.	D.Joannes Fridericus Cajetanus.
1713.	D.Franciſcus Bernardus.
1714.	D.Joannes Joſephus Cajetanus.
1717.	D.Philippus Maximilianus, &
	D.Joannes Fridericus Cathed: Eccl: Friſing: Canonic.
1722.	D.Joannes Joſephus Cajetanus.
1724.	D.Joannes Antonius, &
	D.Leopoldus Joannes.
1725.	D.Franciſcus Antonius Comes de Lamberg & Sprinzenſtein, &
	D.Joſephus.
	Com. Lanthieri.
1702.	D.Ludovicus.
	Com. de Leslie.
1668.	D.Alexander Franciſcus.
1687.	D.Jacobus Scotus Balghanenſis. Factus eſt Baccal: an: 1688 *Promotore P.Baſilio Finckeneis e S. Lamberto.*
1621.	D.Dominicus. O.S.B. Profeſſus ad S. Jacob.Ratib.

Annus Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.

Com. de Leübelfing.

1669. D.Joannes Fridericus, &
D.Wolfgangus Jacobus L. B.
1679. D.Franciscus Ignatius. L. B.
1695. D.Joannes Josephus. Comes.
1708. D.Josephus Ferdinandus Christophorus. Comes. Suscepit Gradum Baccalaureatus anno 1709 *Promotore P. Romano Sedelmayer San- Blasiano.*
1722. D,Maximilianus. Comes.

Princ. & Com. de Liechtenstein.

1628. D.Maximilianus.
1635. D. Rudolphus, &
D.Carolus ex Canonico Metrop: Eccles: Salisburg:& Cathed:Eccl:Olomucensis in Episc: Olomucensem electus anno 1664.
1643. D.Georgius Paris.
1658. D.Christophorus Philippus.
1663. D.Franciscus Carolus S. C. M. Consiliarius Intimus.
1696. D.Franciscus Antonius.
1718. D.Josephus Thomas.
1720. D.Joannes Antonius Princeps de Liechtenstein. &c.

Com. Lippay de Zombor.

1688. D.Nicolaus Antonius Ferdinandus Abbas infulatus B.V.M. de Almad. Creatus est Ss.Theologiæ Doctor anno eodem.

Com. de Lodron.

1623. D.Sebastianus Canonicus Metrop: Eccl: Salisb.
1627. D.Hieronymus.
1634. D.Joannes Baptista Metrop: Eccl: Salisburgensis Decanus anno 1670, Præpositus anno 1675.
1636. D.Paris.
1641. D,Carolus, &

D. Fran-

Annus Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum:

D.Franciſcus.
1643. D.Joannes Baptiſta.
1652. D.Nicolaus S. C. M. Conſiliarius.
1669. D.Hieronymus Maximilianus.
1672. D.Franciſcus Philippus.
1674. D.Franciſcus Sebaſtianus Joſephus, &
D.Ferdinandus Maria Joſephus Cajetanus Antonius.
1676. D.Guidobaldus Albertus Joſephus.
1682. D.Paris Joannes Baptiſta S. C. M. Conſil.& Camerar.
1686. D.Philippus Antonius.
1691. D.Hieronymus Maximilianus.
1705. D.Hieronymus Joſephus,
1719. D.Joſephus Antonius.
1722. D.Joannes Michaël.
1726. D.Joannes Chriſtophorus, &
D.Carolus Albertus.

Com. de Lubna & Lubienski.

1659. D.Mathias Nicolaus, &
D.Stanislaus Andreas Canonicus Cracovienſis.

L. B. a Lampfrizhaim.

1648. D.Franciſcus Mathias.
1681. D.Franciſcus Joſephus, &
D.Joannes Herwaldus.
1697. D.Sigiſmundus Proſper.

L. B. a Laſſer.

1623. D.Joañes Erenricus Laſſer a Laſſeregg & Martiſolij.
1644. D.Joannes Georgius Laſſer L. B. a Laſſeregg.
1670. D.Franc:Honor:Laſſer L.B.a Marzol &Schwarzbach.
1671. D.Caſparus Ferdinandus, &
D.Georgius Theophilus Laſſer L. B. a Marzol & Schvvarzbach.

D.Si-

Annus	*Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*
1674.	D. Sigismundus Lasser L. B. a Marzoll & Schwarzbach, elect: est in Præposit: ad S. Zenonem an: ----
1681.	D. Josephus Benedictus Lasser L. B. a Marzoll. &c.
1705.	D. Maximilianus Franciscus Josephus, Ord: S. Ruperti Eques & Camerarius Salisb. Renuntiatus est Baccalaureus anno 1712 *Promotore P. Cælestino Mayer e Ss. Udalrico & Afra Augustæ Vindel.*
1710.	D. Ernest. Theoph. Cajetan: L. B. a Lasser. Cam. Salisb.
	L. B. *de Lechen.*
1692.	D. Franciscus.
	L. B. *de Lemming.*
1719.	D. Henricus Sigismundus Aloysius.
	L. B. *a Lenden.*
1632.	D. Rupertus.
	L. B. *a Lerchenfeld.*
1650.	D. Carolus Franciscus.
1651.	D. Joannes Sigismundus.
1654.	D. Ignatius Sebastianus, &
	D. Casparus Albertus.
1667.	D. Joannes Guilielmus.
1685.	D. Marquardus Antonius.
1689.	D. Franciscus Adamus Josephus.
1695.	D. Franciscus Ludovicus Antonius, &
	D. Josephus Franciscus.
1708.	D. Franciscus Ignatius Leopoldus.
1722.	D. Franciscus Josephus Maria, &
	D. Ferdinandus Carolus.
	L. B. *de Liebenfels.*
1696.	D. Jacobus Antonius Cath. Eccl. Constantiens. Can.
	L. B. *de & in Liechtenthurn.*
1701.	D. Franciscus Adamus.

Annus Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.

L. B. de Linck.

1687. D. Joannes Georgius, &
D. Joannes Melchior de Linck.
1709. D. Guido Eugenius L. B.

L. B. de Lindelia.

1634. D. Georgius Maximilianus.

L. B. de Lösch.

1726. D. Josephus Adamus, &
D. Sigismundus Maria.

L. B. a Lüzelburg.

1677. D. Joannes Guilielmus.
1718. D. Ferdinandus Guilielmus.
1724. D. Franciscus Josephus Guilielmus.

Com. de Magni.

1688. D. Antonius Josephus Franciscus.

Com. a Malzan

1712. D. Joannes Leopoldus. Suscepit Gradum Baccalaur. an: 1718 *Promotore P. Carolo Gsvvandtner Seitenst.*

Com. a Mämmingen.

1682. D. Franciscus Benedictus L. B. de Mämmingen.
1706. D. Nicolaus Benedictus Com. a Mämmingen, L. B. in Stainach Haimb- & Tragspurg.

Com. in Mansfeld.

1693. D. Carolus Franciscus ex Linea Bornstediana.

Com. a Maxelrain.

1648. D. Joannes Vitus Serenissimi Elect. Bavar. Camerar.
1668. D. Jo. Henr. Franc. Dominic. Cath. Eccl. Frising. Decan.

Com. a Mersperg.

1682. D. Joannes Josephus Antonius.

Com.

Annus Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.

Com. Migazzi.

1723. D.Casparus Michaël, &
D. Vincentius Felix. Tridentini, e quibus ille Baccalaureus renuntiatus fuit anno 1724, *Promotore P. Bernardo Oberhauser Ettalensi.*

Com. a Mohr.

1668. D.Maximilianus Philippus, &
D.Franciscus Albertus.
1706. D.Josephus Nicolaus FranciscusXaverius.

Com. a Montfort.

1702. D.Sebastianus.
1705. D.Josephus.
1708. D.Ernestus.

Com. & L. B. a Muggenthal.

1655. D.Maximilianus. L.B.
1678. D.Maximilianus Albertus. L.B.
1683. D.Franciscus Christophorus. L. B.
1711. D.Franciscus Ignatius Josephus Antonius. Comes.
1722. D.Joannes Carolus Antonius Vitus Felix. L.B.

L. B. a Machoviz.

1656. D.Wenceslaus Henricus Kimas L.B. a Machoviz.

L. B. a Malovez.

1705. D.Joannes Petrus Malovez L.B. de Chegnovv.
1710. D.Joannes Josephus L.B. de Malovez.
1713. D.Joannes L.B. Malovez de Maloviz.

L. B. Mändel ab & in Deütenhofen.

1696. D.Joannes Hilfgott Bernardinus Wolfgangus.
1697. D.Joannes Carolus Josephus.
1704. D.Josephus Antonius.

Annus | *Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*

1709. D. Joannes Franciscus Ignatius Cajetanus Ord. Can. Regularium in Berchtesgaden Canonicus.

1710. D. Joannes Franciscus Felix Stanislaus.

L. B. a Mandorff.

1677. D. Joannes Mathias.

L. B. a Maphæis.

1712. D. Felix Benno Josephus.

Nob. de Maphæis.

1660. D. Franciscus Antonius.
1673. D. Ferdinandus.
1683. D. Joannes Josephus Antonius Anastasius, & D. Benedictus Jacobus.
1688. D. Joannes Thomas.
1690. D. Petrus Josephus, & D. Joannes Petrus a Maffeis.

L. B. a Marenzi.

1681. D. Franciscus Antonius.

L. B. de Mattenclot.

1709. D. Franciscus Ludovicus.

L. B. a Mayerhofen.

1691. D Jeremias Xaverius.

L. B. de Mervelde.

1679. D. Adolphus Bernardus.

L. B. de Mevers.

1714. D. Carolus Guilielmus Jacobus. Ex utroque Jure examinatus & approbatus anno 1718. & D. Josephus Antonius.

L. B. de Millenau & Millau.

1702. D. Joannes L. B. de Millenau.

D. Pau-

Annus	Immatriculationis D. D. Comitum & Baronum.
1708.	D.Paulus Josephus Anton. Nicolaus L. B. de Millau. Renuntiatus est Baccal. an:1709, Magister an:1710 *Promotore P. Romano Sedelmayr San-Blasiano.*
	L. B. *de Minquinzburg.*
1714.	D.Joannes Josephus.
	L. B. *a Muhr.*
1704.	D.Franciscus Xaverius Josephus.
	L. B. *a Muschon.*
1702.	D.Franciscus Carolus Xaverius.
	Dom. Maz. a Spiegelfeld.
1713.	D.Aloysius Ferdinandus.
	Dom. de Mortaigne.
1622.	D.Joannes Theodoricus, & D.Jacobus Sitticus. Familia hæc, ni fallimur, L.B. de Seeberg titulo fruitur.
	Dom. Mallknecht a Millegg.
1648.	D.Franciscus.
1667.	D.Joannes Aloysius.
1677.	D.Franciscus Ignatius Michaël, & D.Joannes Baptista Judas Thadæus.
	Com. de Nostiz.
1684.	D.Wenceslaus.
1691.	D.Joannes Carolus Christophorus S.C.M. Consil. & Augustis. Imperatricis Viduæ Wilhelminæ Amaliæ Supremus Culinæ Præfectus. &c. & D.Joannes Otto Wenceslaus S. C. M. Camerarius.
1711.	D.Franciscus Wenceslaus.
1726.	D.Josephus, & D.Antonius.

Com.

Annus	Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum:
	Com. & L. B. de Nothafft.
1635.	D. Joannes Ignatius L. B.
1688.	D. Cajet. Ant. Maria Joſeph. Nothafft L. B. de Weiſſenſtein Princ. Eccl. Berchtesgad. O. Can. Reg. Dec.
1693.	D. Joannes Franciſcus Nothafft Comes a Wernberg.
1695.	D. Sebaſtianus Henric. Nothafft Comes a Wernberg.
1699.	D. Joan. Achat. Ludov. Nothafft L. B. de Weiſſenſtein.
1702.	D. Joan. Marquard. Ludovic. L. B. Creatus eſt Baccal. an: 1707 *Promotore P. Ambroſio Freydenbichl Garſtenſi.*
1703.	D. Joannes Joſephus Antonius. L. B.
1705.	D. Joannes Albertus L. B. Renunciatus eſt Baccalaureus anno 1714, Magiſter anno 1715 *Promotore P. Benedicto Schmier Ottoburano.*
1713.	D. Maximilianus Antonius Franciſcus.
	L. B. de Nehem.
1697.	D. Mathias Chriſtophorus Antonius.
	L. B. de Neſſelrod.
1693.	D. Franc. Carol. Obtinuit hoc ſeculo Comit. titulum.
	L. B. de Neven.
1694.	D. Franciſcus Antonius.
	L. B. a Neühauß.
1671.	D. Ferdinandus Maria Franciſcus.
1677.	D. Ferdinandus Joannes Baptiſta: Gorizienſis.
1700.	D. Sigiſm. Joſ. Ant. ſuſcepit Gradum Baccal. an: 1706, Magiſterij 1707. *Promot: P. Paulo Stocker e S. Paulo.*
1702.	D. Franciſcus Ferdinandus.
	L. B. Nuz de & in Wartenburg.
1685.	D. Joannes Antonius.

Nob.

Annus | *Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.*

Nob. Nuz a Gaisernburg.

1645. D. Joannes Philippus, &
D. Joannes Paulus, &
D. Joannes Ignatius.

Dom. a Neüenstein.

1647. D. Franciscus Ignatius Hanibal.
1684. D. Castolus Principalis Eccl. Campidonensis Capitul.

Com. ab Oëdt.

1634. D. Amadeus L. B. &
D. Christophorus L. B.
1663. D. Emmeramus Antonius L. B.
1714. D. Carolus Ignatius. Comes.

Com. ab Oetingen.

1702. D. Crafto Wilhelmus Maximilianus Antonius.
1724. D. Joannes Aloysius Comes de Oeting, Wallerstein & Spilberg.

Com. in Oelsnica Oelsnicki.

1646. D. Nicolaus Regni Poloniæ Marescballi Filius.

Com. ab Oppersdorff.

1702. D. Joannes Ferdinandus.
1728. D. Henricus.

L. B. ab Offenheim.

1716. D. Francisc. Maria Joseph. Promotus est in Baccalaur. anno 1717 *Promotore P. Gregorio Horner Glanicensi.*
1725. D. Marquardus Josephus Ignatius.

L. B. ab Ostein.

1708. D. Joannes Fridericus Carolus.

L. B. de Osterberg.

1712. D. Joannes Michaël Adamus.

Annus	Immatriculationis D. D. Comitum ac Baronum.
	L. B. d'Ovv.
1632.	D. Joannes Erhardus d'Ow,
1703.	D. Josephus Clemens L. B.
	Com. a Paar.
1676.	D. Josephus Ignatius Apud Augustissimum Reg: Rom: Josephum I. Supremus rei Culinariæ Præfectus, & apud Aug: Imp: Carolum VI. Conferentiarum Consiliarius ab anno 1721.
	Com. de Palfi.
1683.	D. Nicolaus Joseph. Aurei Velleris Eques, ac S. C. M. Conferentiarum Consil: ab anno 1721. & D. Franciscus.
	Com. a Pappenheim.
1668.	D. Ludovicus Franciscus.
	Com. de Payrsperg.
1694.	D. Ernestus Carolus Eccl. Cathed. Passaviens. Decan.
1701.	D. Ferdinandus.
	Com. Perrouse.
1701.	D. Maximilianus Emanuel.
	Com. de Petazi.
1717.	D. Carol. Sigism. Factus est Baccal. an: 1722, Magister an: 1723 *Promotore P. Leonardo Kloz Wessofontano.*
	L. B. a Petrasch.
1727.	D. Ernestus Theophilus.
	Com. de Pieskova.
1648.	D. Joan. Com. de Pieskova Sckala Wielopolski Polon.
	Com. a Plaz.
1639.	D. Joannes Rudolphus L. B.

D. Ma-

Annus	*Immatriculationis D. D. Comitum & Baronum.*
1688.	D.Maximilianus Comes. Camerarius & Consiliarius Intimus Salisburgensis, nec non Archi-Episcopalis Judicij Aulici Vice-Præses, obijt anno 1715. & D.Franciscus Josephus. Comes. Camerarius ac Consiliarius Intimus Salisburgensis, & Archi-Episcopalis Cameræ Vice-Præses.
